

<36700007340018
<36700007340018
Bayer. Staatsbibliothek

D. Cat. 1057/4
4°
V - 745 -

[Hagen]

Chronol. ~~62~~

(T. IV)

Observationes

OBSERVATIONES
IN
HERACLII IMPERATORIS
METHODUM PASCHALEM;

Ut et

IN
MAXIMI MONACHI
COMPUTUM PASCHALEM;

Nec non

IN
ANONYMI
CHRONICON PASCHALE,

Ejusque Chronotaxin & Methodum Paschalem.

AMSTELÆDAMI,

Apud JOHANNEM BOOM.

MDCCXXXVI.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

PRÆFATIO

AD

BENEVOLUM LECTOREM.

DAmus tibi, Benevole Lector, Obſervationes in tres Tractatus: quorum *Primus* ſcriptus eſt ab Heraclio Imperatore, Imperii ſui annis prioribus, partim ſcilicet Imperii anno IX°, partim anno XIII°; editusque eſt ab Henrico Dodwello, in Appendice, ad Diſſertationes ſuas Cyprianicas: *Alter* ſcriptus eſt a S. Maximo Monacho & Confeſſore, anno Heraclii Imperatoris XXXI° & ultimo, editusque eſt a Dionyſio Petavio, in ſuo Uranologio: *Tertius* denique ſcriptus eſt ab Auctore Anonymo, in Chronico, quod in editione Pariſienſi, *Paſchale* vocatur, quodque in Heraclii anno XX° deſinit.

Hæ Obſervationes, annis abhinc circiter vi-

ginti,

ginti, conſcriptæ & deinceps aliquoties reviſæ & recenſitæ ſunt: atque inde *Curæ Secundæ* in Methodum Paſchalem Heraclii Imperatoris, & imprimis *Curæ Secundæ ac Tertiæ* in Methodum Paſchalem Auctoris Anonymi Chronici Paſchalis, natæ ſunt.

Præterea inde plurimæ correctiones & acceſſiones variis, in his Obſervationibus, locis, ortæ ſunt; præſertim in Obſervationibus in Maximi Monachi & Martyris Computum Paſchalem.

Si autem licuiſſet, has Obſervationes de novo deſcribere, & refingere atque juſto ordine diſponere, (quod per ætatem non licuit) forte quædam concinnius, & commodiori ordine tractari potuiſſent. Verum his, ut edita ſunt, utere mecum.

Errata Typographica, quæ irrepſerunt, (quanquam admodum pauca eſſe confido) Benevolum Lectorem oro, ut boni conſulere, & corrigere velit.

OB-

OBSERVATIONES
IN
METHODUM
PASCHALEM
HERACLII IMPERATORIS.

I.

De Editione hujus Methodi.

PRodiit primum, ni fallor, cura Henr. Dodwelli, Græc. & Lat., in Appendice ad Diſſertationes Cyprianicas, quæ ſubjunguntur operibus Cypriani, in edit. Lond. in fol.
Recuſa, poſt Chronicon Paſchale, inter Selecta, N° XXI. p. 474—79. edit. Pariſ.

II.

De Auctore.

Heraclium Imperatorem eſſe hujus methodi ſcriptorem, tam clarum eſt, tum ex ejus verbis expreſſis, in quibus ſui Imperii meminit, ut & Mauricii Imperatoris, tum ex characteribus Paſchalibus, ut de eo dubitari non poſſit.

III.

De Tempore, quo scripta.

Scripsit hanc Methodum prioribus Imperii sui temporibus.

In Methodo ad inveniendam Feriam in quolibet anni die, utitur exemplo anni Imperii sui 9ni, qui a sequenti Januario concurrit cum anno Christi Æræ Vulg. 619no, Indictione VIIa, quam præsentem vocat. Unde non immerito concludas, tum hanc Methodum esse scriptam.

In Methodo ad inveniendum Pascha, utitur exemplo anni Imperii sui 13tii, qui a sequenti Januario concurrit cum anno Æræ Vulg. Christi 623o, Indictione XIa, quam præsentem vocat. Unde non immerito concludas, tum hanc Methodum esse scriptam, quatuor annis post præcedentem Methodum.

IV.

Contenta generalia.

Continet hoc scriptum duas Methodos, quarum

Una docet invenire Feriam in quolibet anni die, eaque

Primo proponitur,

Deinde explicatur.

Altera docet invenire Paschæ diem, & quicquid eo requiritur.

V.

Inscriptio 1a partis hujus scripti:

Methodus, qua invenitur cujusque mensis quæcunque dies, & in quam Septimanæ Feriam incurrit, & in quem annum incidit Bissextus.

VI.

Occasio hujus Methodi ad inveniendam Feriam, ab Auctore conscriptæ.

In Expedito (inquit) *Canone Ptolemæi, post Canones inerrantium stellarum, habentur* Κανόνια, *hoc est Tabellæ, quarum ope quis potest cognoscere, in quam Septimanæ Feriam cujusvis mensis dies incurrat.*

Sed

Sed quoniam, absque illis Tabellis, non potest quis invenire Feriam quæsitam, invenimus nos compendiosiorem Methodum, ut, absque istis Tabellis, inveniri facile possit, in quacunque Indictione, cujuslibet mensis dies in quam Septimanæ Feriam incurrat: neque hoc tantum, sed etiam in quo anno sit Bissextus.

V I I.

Methodus ad inveniendam Feriam in quolibet anni die proponitur.

Oportet, inquit, *igitur*

1°, *Sumere annos, qui colliguntur ab initio* 3^tii^ *anni nostri, Dei beneplacito, Imperii hoc est, ab Indictione* 1^a^ *inclusive.*

2°, *Et huic summæ annorum collectorum semper addere propriam quartam partem.*

3°, *Et post hanc additionem quartæ partis, a summa proveniente unitatem auferre.*

4°, *Deinde huic reliquo addere dies mensis de quibus instituitur quæstio, quemadmodum se habent secundum Alexandrinos:* hoc est, ποσιαίαν mensis Alexandrini quæ respondet τῇ ποσιαίᾳ mensis Romani propositæ.

5°, *Et numerare a Septembri mense* (inclusive) *usque ad mensem quæsitum* (inclusive) *quot sint menses, & hos* (seu hunc numerum mensium) *duplicare, & addere summæ jam collectæ.*

6°, *Et summam inde ortam dividere per VII.*

7°, *Et numerus dierum, qui ex hac divisione relinquitur, exprimet quota sit Feria in die quæsito.*

V I I I.

Hæc Methodus ad inveniendam Feriam exemplo illustratur.

Verba Auctoris hæc sunt:

Exempli autem gratia, proponatur nobis (dies) 10^a^ *mensis Aprilis, Indictionis septimæ labentis.* (Pro ιαʹʹ legendum ιʹʹ, ut ex sequentibus, & toto Computo patet.)

1. *Sunt igitur a* 1ª *Indictione, sive tertio anno nostri, quod divino nutu administramus, Imperii, usque ad hanc septimam Indictionem, anni* 7. (Pro ΗΣ ΤΟΥΤΟΥ, lego Η ΤΟΥ ΤΡΙΤΟΥ.)

2. *Et quarta eorum pars est* 1. *Tres enim reliqui indicant, quotus a Bissexto annus sit. Et eorum tantisper non capimus quartam partem donec usque ad* 8 *assurgant, ut alia rursus unitas pro eorum quarta parte accedat.* (Quid si pro θ″ legamus, non η″, ut Dodwellus, sed δ″, & tum sic vertamus, *donec* 4arium *absolverint, ut quarta eorum pars fiat unitas.*) *Quando enim numerus annorum a* 1ª *Indictione collectus, per* 4 *divisus, nihil relinquit, in anno illo Bissextus inseritur, sicut in futura Indictione octava, divisus, nihil relinquit, octavus enim (annus) est ab hac prima Indictione. Similiter autem & in* 12° *anno, a prima Indictione & in* 16°, *& in reliquis eodem modo sequentibus. Qui enim post divisionem per* 4, *ut fieri solet, relinquuntur, illi sunt anni a Bissexto, sive unus relictus fuerit, sive duo, sive tres: quorum, ut dictum est, quartam partem non capimus, eousque dum quatuor annorum numerus fuerit completus; tunc* (enim) *etiam eorum quarta pars fit unitas. Oportet igitur unitatem illam, quæ ex* 7 *annorum, a* 1ª *Indictione usque ad labentem septimam* (collectorum,) *divisione per* 4or *oritur, adjicere illis* 7 *annis.*

Fiunt igitur illi anni, una cum quarta parte adjecta, numero 8.

3. *A quibus necesse est auferre unitatem, ut supra indicatum est: & rursus manent numero* 7.

4. *Oportet igitur his adjicere diem, de qua quæstio est, hoc est,* 10am *mensis Aprilis, quæ est apud Alexandrinos* 15ª. *Oportet itaque illas* 15 *adjicere illis septem, post ablationem unitatis, relictis; & fiunt* 22.

5. *Necesse autem est numerare, quot menses sint a Septembri usque ad mensem, de quo quæstio est, hoc est, Aprilem; & sunt* 8. *& hos duplantes,* (eorum duplum, quod est 16,) *adjicimus illis* 22, *& fiunt numero* 38.

6. *Hunc igitur numerum triginta octo, partientes per septem, ejicimus septenarios quinque, & invenimus reliquas* 3, *&* (*hæ*) *indicant, quod* 10ª *mensis Aprilis in tertiam Septimanæ diem incurrat.*

Computus itaque Auctoris, ut hoc exemplum breviter proponamus, procedit hoc modo:

Pro-

Proponatur dies Apr. 10, Indictionis VII^a praesentis: & quaeratur in quam Feriam incidat.

A 1^a Indictione inclusive usque ad hanc VII^am, de qua quaeritur, inclusive sunt anni	7
Horum VII annorum quarta pars est . . .	1
* Nam VII divisi per IV, dant in Quotiente I, & relinquunt III, ex quo patet hunc annum esse 3^um a Bissextili.	
fiunt	8
Aufer ab hac summa unitatem	1
Relinquuntur	7 (Epactae)
Dies 10^us mensis, secundum Romanos Aprilis, est dies 15 secundum Alexandrinos. Adde itaque illos dies	15
fiunt	22
Menses a Septembri inclusive ad Aprilem inclusive numerantur VIII, hunc numerum duplatum, qui est 16, adde summae inventae	16
fiunt	38
hanc summam divide p. VII	
Relinquuntur	3.

Ergo dies Apr. 10, Indictione VII^a cadit in Feriam III^am. Estque litera Dom. G, in illo anno Juliano.

I X.

Quomodo inveniatur in quo anno bissextus sit.

Auctor in hoc ipso exemplo, quo Methodum suam ad inveniendam Feriam illustrat, etiam ostendit, quomodo inveniatur in quo anno Bissextus inseratur.

Invenitur autem, ut Auctor indicat, ex reliquo, quod relinquitur, quando,

quando, ad capiendam quartam partem, numerus annorum a prima Indictione, cum qua annus Imperii ejus tertius concurrit, usque ad Indictionem datam inclusive collectorum, per quaternarium dividitur.

Si enim numerus ille annorum collectorum, per quaternarium divisus, nihil relinquit, tum in illo anno dato, inquit, inseritur Bissextus: ac proinde annus ab hac prima Indictione inclusive 4us & 8us, & 12us, & 16us, & sic porro, sunt, ut expresse monet, *Bissextiles*.

Sin vero numerus ille annorum collectorum, divisus per quaternarium, relinquit unum, duo, vel tria, tum numerus ille reliquus exprimit quotus ab anno Bissextili proxime transacto sit annus datus: unde patet annum primum ab hac prima Indictione, seu ipsum primæ hujus Indictionis annum, esse ab anno Bissextili proxime transacto primum annum.

Loquitur autem Auctor, quod notandum, *de Bissexto Romanorum proprie dicto*, qui in mense Februario, die VI Kal. Mart. inseritur, non autem de die intercalari Alexandrinorum, qui ad finem anni eorum adjicitur, immediate ante initium mensis eorum Thoth, & ipsis sexta Epagomena vocatur, quique in anno Romano occupat diem præcedentis Augusti 29um.

Per annum itaque in quo Bissextus inseritur, intelligit Auctor, non annum Alexandrinum, qui in sui fine habet sextam Epagomenam, sed annum Romanum, & quidem (ut infra ostendam) more Græcorum a Septembri Romano ineuntem, qui in sequenti Februario habet diem Bissextilem.

Unde patet annum Alexandrinorum qui annum ipsis intercalarem, qui habuit sextam Epagomenam, & fuit dierum 366, immediate sequitur, adeoque ab anno intercalari proxime transacto primus est, & ab Augusti die 30° init, concurrere cum anno Romano, more Græcorum a proxime sequentibus Kalendis Septembr. ineunte, qui in sequenti Februario diem Bissextilem recipiet, adeoque ipse Bissextilis est. Et sic porro annum Alexandrinum, qui ab anno ipsis intercalari proxime transacto secundus est, & ab Augusti die 29° init, concurrere cum anno Romano, more Græcorum a proxime sequentibus Kalendis Septembr. ineunte, qui ab anno Bissextili proxime transacto primus est.

X. In-

X.

Inscriptio 2ª partis hujus scripti qua continetur explicatio praecedentis Methodi.

Demonstratio, cur oporteat, quærentes quotam mensis secundum Alexandrinos diem, a tribus ante Septembrem diebus incipere.

Præcedens Methodus requirebat, ut dies mensis Romani propositus reduceretur ad diem mensis Alexandrini, qui illi respondebat.

Sive ut quis in comperto haberet, vel ope alicujus Methodi statim invenire posset, de die aliquo mensis Romani, quotus ille esset in mense Alexandrino, qui mensi illi Romano respondebat.

Methodus qua dies mensis Romani reduceretur ad diem mensis Alexandrini, jubebat 3 dies ante Septembris initium capere &c.

Hanc Methodum in hac 2ª scripti sui parte tradit, & hujus Methodi rationem & causam explicat.

XI.

Partis secundæ interpretatio Latina, cum Observationibus interspersis.

Demonstratio, qua de causa, quærentes mensis apud Alexandrinos quotam diem invenire, tres capimus dies ante mensem Septembrem.

Observatio.

Recte monet Dodwellus hic verbum deësse. deëst autem meo judicio verbum λαμβάνομεν, ut ex immediate sequentibus patet.

Quoniam necesse est cognovisse aut cognoscere, quare, cum quærimus invenire quotam habeat mensis apud Alexandrinos diem, tres capiamus dies ante initium Septembris.

Sciendum nos Romanos initium mensium a mense Januario computare, Alexandrinos autem a Septembri, qui apud ipsos Thoth dicitur.

Colliguntur (autem) usque ad Augustum completum tres dies superfluæ ante initium Septembris, si singuli menses 30 dierum computentur, quemadmodum Alexandrini menses computare solent.

Ob-

Obſervatio.

Hoc vult Auctor, ſi juxta ordinem menſium in anno Romano a menſe Januario ineunte, computus inſtituatur, &, juxta morem Alexandrinorum, ſingulis menſibus Romanis tribuantur dies XXX, videlicet Januario XXX, Februario XXX, Martio XXX, Aprili XXX, Majo XXX, Junio XXX, Julio XXX, & denique Auguſto XXX dies, tum completo illo menſe Auguſto dierum 30, ſuperſunt in menſe Auguſto civili adhuc tres dies ante initium menſis Septembris.

Collecto enim numero dierum, qui continentur in menſibus a Januario uſque ad Auguſtum completum, hoc eſt, in octo menſibus 30 dierum, ut dictum eſt, ſicut Alexandrini menſes tot diebus) abſolvunt, remanent dies tres, & inveniuntur hæ tres dies (eſſe) menſis noni apud Romanos, hoc eſt, Septembris, qui apud Alexandrinos primus eſt.

Obſervatio.

Si enim numerus dierum, qui continentur in menſibus a Januario ad Auguſtum incluſive, qui ſimul numero octo, & ſinguli dierum 30 ſunt, ut ſupra vidimus, in unam ſummam colligatur, fient dies 240, qui a Kalendis Januariis numerati, terminantur in die menſis Auguſti civilis 28°, adeoque finito illo menſe Auguſto dierum 30, ſuperſunt adhuc tres dies ad menſem Auguſtum civilem complendum.

Et hæ tres dies pertinebunt ad menſem Septembrem dierum 30, qui in anno Romano nonus, ſed in anno Alexandrino primus anni menſis eſt.

Hic Auctoris Computus procedit, quia menſis Tybi dies 6us eſt Januarii dies 1us, & quinque dies in menſe Tybi, ante Kalendas Januarias transacti, æquantur quinque Epagomenis, quæ poſt menſem Meſori ante menſem Thoth inſeruntur.

Quando igitur nos habemus 29um Auguſti, Alexandrini habent primum Thoth, hoc eſt, Septembris. Quando vero nos habemus primum Septembris, Alexandrini habent quartam ejusdem menſis.

Obſervatio.

Auctor non tantum menſem Alexandrinorum Thoth conſiderat, ut menſi Septembri correſpondentem, ſed eundem nomine Septembris deſignat. Unde jam ſupra dixerat, Alexandrinos initium menſium computare *a Septembri, qui apud ipſos dicitur Thoth*, & infra dicit, uſque *ad Auguſtum completum, qui vocatur apud ipſos Meſori.* Adeoque Auctori duplex September &c. conſideratur, *September Romanus*, & *September Alexandrinus.* Quod notandum.

Ut itaque cognoſcamus,, deprehendamus menſem juxta Alexandrinos Thoth,

aut

aut etiam (*hunc*) *ſequentes* (*menſes*,) *& quotam apud eos menſis diem habeat, neceſſe eſt tres hoſce dies ſuperfluos adjicere, & deinde ita incipere a Septembri* (*Alexandrino*) *& computare uſque ad Auguſtum completum, qui nominatur apud ipſos Meſori.*

Completo igitur illo Auguſto, reperiuntur Alexandrini 8 *dies habere ſuperfluos.*

Obſervatio.

September enim Alexandrinus init ab Auguſti Romani die 29°, & a Septembri Alexandrino uſque ad Auguſtum Alexandrinum incluſive ſunt menſes 12, ſinguli dierum 30, qui ſimul faciunt dies 360, qui ab Auguſti Romani die 29° numerati terminantur in die Auguſti Romani 23°, adeoque Auguſto Alexandrino completo, ſuperſunt adhuc in Auguſto Romano dies 8 ante initium Septembris Romani.

Tribus enim adjectis ante Septembrem (*Romanum*) *ſimiliter ſingulorum menſium, qui* 31 *dierum ſunt, ſuperfluam unam diem adjicimus tribus illis, hoc eſt, Octobris unam, Decembris unam, Januarii unam, ita ut fiant numero* 6: *ablatis autem duabus pro Februario menſe, manent quatuor. Manifeſto autem oportet adjicere Martii, & Maji, & Julii, & Auguſti, qui quatuor ſunt, pro ſingulis, unam diem, hi enim omnes* 31 *dies habent: adjectis autem hiſce quatuor, fiunt* 8 *completo Auguſto.*

Alexandrini autem ex his 8 *auferentes* 5 *dies, & conficientes unum menſem, qui apud ipſos quinque dierum* πενθήμερος) *dicitur, relinquunt tres dies, quas Septembri denuo ineunti neceſſe eſt rurſus adjicere, quia menſis ſecundum Alexandrinos Thoth, qui poſt illum quinque dierum menſem init, comperitur tertiam diem jam completam habere.*

Obſervatio.

Scriptum erat πεπληρώματα, pro quo Dodwellus legit πληρώματα, nullo, ut mihi videtur, ſenſu: ego judico legendum eſſe πεπληρωμένην.

Hoc enim vult Auctor, menſem ſecundum Alexandrinos Thoth tertiam diem jam completam habere, quando ſcilicet September Romanus init, & propterea Septembre ineunte tres illas dies, quæ poſt menſem quinque dierum additum, adhuc ad menſem Auguſtum Romanum complendum ſupererant, adjiciendas eſſe ante Septembrem Romanum, ut cognoſcamus quotam, Septembri Romano ineunte, diem habeat September Alexandrinus, qui apud ipſos vocatur Thoth.

Sic oportet rurſum computare menſes, & ſingulorum menſium ſuperfluam illam unam diem his tribus adjicere.

Quando autem Biſſextus (dies apud Alexandrinos intercalaris) *eſt, in*

illo ante Biſſextum (apud Romanos) *anno, hoc eſt, quando compleverunt Alexandrini* (numerum XII menſium dierum 30,) *illo anno & ſolo, poſt Auguſtum, qui dicitur apud ipſos Meſori, loco menſis quinque dierum, menſem ſex dierum conficiunt.*

Auferentibus autem illis hos 6 dies ab illis 8 *ſuperfluis diebus, inveniuntur dies 2 ſuperfluæ remanere; & propterea anno iſto & ſolo, qui Biſſextilis* (apud Romanos, annum a Kal. Septembris ineuntes, & diem Biſſextilem in ſequenti Februario recipientes) *eſt, duo dies adjiciuntur ante Septembrem, & pro Februario non auferuntur duo, ſed unus dies, propterea quod Romani in Biſſextili anno Februarium faciant 29 dierum.*

Obſervatio.

Primo pro ἀφαιρȣ̃ντες, ut legit Dodwellus, legendum ἀφαιρȣ̃ντων, ut patet ex illo ἀυτῶν, quod ſequitur.

Deinde, male in editione Pariſienſi, nota marginalis pro ἀφαιρȣ̃νται legendum monet ἀφαιρȣ̃ντες, quæ nota ex editione Dodwelli deſumpta, alieno loco poſita eſt.

Præterea obſerva, diem apud Alexandrinos intercalarem (quæ ipſis dicitur 6ª Epagomena) in fine anni Alexandrini adjici, & ſemper occupare Auguſti diem 29um; & propterea annum Alexandrinum, qui annum ipſis intercalarem proxime ſequitur, ſemper inire ab Auguſti die 30°, duobus ante Septembrem diebus; atque tum ſemper apud Romanos in ſequenti Februario inſeri diem Biſſextilem.

XII.

Methodus ad reducendam diem menſis Romani, ad diem menſis Alexandrini ejusque Methodi ratio & cauſa.

Methodi hujus ratio & cauſa cognoſcitur ex collatione anni Romani cum anno Alexandrino, & menſium Romanorum cum menſibus Alexandrinis.

Sciendum (inquit) *nobis Romanis initium menſium a Januario menſe calculari: Alexandrinis autem a menſe Septembri, qui apud ipſos dicitur Thoth.*

Sciendum illos menſem ſuum Thoth incipere tribus ante Septembrem diebus, a die Auguſti 29°.

Sciendum illos facere menſes ſuos omnes & ſingulos præciſe dierum

rum XXX. Et in fine anni ſui adjicere 13^um^ menſem πενθήμερον, ſeu dies Epagomenas V.

Hinc naſcitur talis collatio anni & menſium Romanorum, cum anno & menſibus Alexandrinorum in anno Communi.

dies		dies	dies			προσθέται
Aug. 29^us^, eſt		Thoth 1^us^,	Sept. 1^us^, eſt		Thoth 4^us^,	Sept. 3.
Sept. 28	—	Paophi 1	Oct. 1	—	Paophi 4	Oct. 3.
Oct. 28	—	Athyr 1	Nov. 1	—	Athyr 5	Nov. 4.
Nov. 27	—	Choiac 1	Dec. 1	—	Choiac 5	Dec. 4.
Dec. 27	—	Tybi 1	Jan. 1	—	Tybi 6	Jan. 5.
Jan. 26	—	Mechir 1	Feb. 1	—	Mechir 7	Feb. 6.
Feb. 25	—	Phamen. 1	Mart. 1	—	Pham. 5	Mar. 4.
Mar. 27	—	Pharm. 1	Apr. 1	—	Pharm. 6	Apr. 5.
Apr. 26	—	Pachon 1	Maji 1	—	Pachon 6	Maji 5.
Maji 26	—	Pauni 1	Jun. 1	—	Pauni 7	Jun. 6.
Junii 25	—	Epiphi 1	Jul. 1	—	Epiphi 7	Jul. 6.
Julii 25	—	Meſori 1	Aug. 1	—	Meſori 8	Aug. 7.
Aug. 24	—	Epagom. 1	Sept. 1	—	Thoth 4	Sept. 3.

Ex hac collatione patet

1°, Menſem Romanorum Septembrem reſpondere menſi Alexandrinorum Thoth, qui primus anni Alexandrini menſis eſt, menſem Rom. Octobrem reſpondere menſi Alexandr. Paophi, qui ſecundus anni Alexandrini menſis eſt, & ſic porro: atque hinc eſt, quod numerus menſium ineatur a Septembri, ſeu Thoth Alexandrinorum.

2°, Menſes Alexandrinorum ſemper incipere aliquot diebus ante initium menſium Romanorum, qui illis menſibus Alexandrinis reſpondent: vel, quod idem eſt, menſes Romanorum incipere ſemper aliquot diebus poſt initium menſium Alexandrinorum, qui illis menſibus Romanis reſpondent.

Adeoque ut dies (ποστιαία) menſis Romani reducatur ad diem (ποστιαίαν) menſis Alexandrini, illi reſpondentem, ſemper neceſſe eſſe, ut diei menſis Romani propoſito addantur aliquot dies (προσθέται, ſeu *Regulares.*)

Et quidem in ſpecie, ut diei in menſe Septembri propoſito, addantur dies 3, ut reducatur ad diem menſis Thoth, illi reſpondentem: & ſic porro, ut Schema præcedens oſtendit.

 Hos

Hos dies addititios, ſeu has προσθέτας docet Imperator invenire, abſque tali Schemate, ex conſideratione quantitatis dierum, quos ſinguli menſes Romani habent.

Nam incipiendo a Septembri, qui reſpondet Alexandrinorum Thoth, & aſſumens 3 dies addititios, diebus menſis Septembris ſemper addendos, ut habeas ποςιαίαν menſis Thoth, quia menſis Thoth tribus diebus ante Septembrem incipit.

Obſerva menſem Septembrem eſſe dierum XXX, æque ac Thoth, adeoque ſequentem menſem Alexandrinorum Paophi incipere quoque tribus diebus ante menſem Octobrem, ac proinde totidem dies addititios ſemper diebus menſis Octobris addendos eſſe, ac diebus menſis Septembris addendi erant.

Obſerva menſem Octobrem eſſe dierum XXXI, adeoque menſem Alexandrinum uno die excedere, ac proinde menſem Alexandrinum 3um Athyr incipere quatuor diebus ante menſem Novembrem, & per conſequens 4 dies addititios ſemper diebus menſis Novembris addendos eſſe. Et ſic porro.

Unde naſcitur hæc Regula προσθεταὶ, quæ pro Septembri ſunt 3, in progreſſu, intercedente menſe dierum XXXI, unitate ſemper augeri, intercedente autem menſe Februario, dierum XXVIII, duabus unitatibus minui.

Unde, ſi quæratur, exempli gratia, quot dies addititii (προσθεταὶ) ſint addendi diei Aprilis propoſito: dic προσθεταὶ Septembris ſunt 3, a Septembri ad Aprilem, interceſſerunt quatuor menſes, XXXI dierum, October nempe, December, Januarius, & Martius, qui dant quatuor unitates, quæ additæ προσθεταῖς Septembris, faciunt 7. Sed interceſſit quoque menſis Februarius, dierum XXVIII; demantur itaque duæ unitates, & remanebunt 5 προσθεταὶ, diei menſis Aprilis addendæ, ut habeatur dies menſis Alexandrini (Pharmuthi) qui menſi Romano Aprili reſpondet.

Repetatur itaque Exemplum §° 8° *propoſitum.*

Et inventis (Epactis) . . .	7	
adde diem menſis Aprilis . . .	10 }	15
adde προσθέτας Aprilis . . .	5 }	
adde duplum menſium &c.	16	
habebis	38, ut antea.	

Quid

Quid circa annum Biſſextilem ſit obſervandum.

In anno Biſſextili ſingulæ προσθεται Septembris, Octobris, Novembris, Decembris, Januarii & Februarii, unitate minuendæ ſunt, Reliquorum autem menſium, Martii, Aprilis, Maji, Junii, Julii, & Auguſti προσθεται eædem ſunt, ac in anno Communi.

Hoc oritur ex diverſo ſitu Biſſexti, ſeu diei intercalaris in anno Alexandrino, & in anno Romano.

In anno Alexandrino inſeritur immediate ante 1^{um} diem menſis Thoth, habetque tum præcedens annus Alexandrinus non 5, ut reliqui, ſed 6 dies Epagomenas; ac propterea tum 6^{us} dies Epagomenôn incidit in diem Auguſti 29, & 1^{us} dies menſis Thoth tum incidit in diem Auguſti 30^{um}, non tribus, ut in reliquis, ſed duobus diebus ante initium menſis Septembris.

In anno autem Romano inſeritur Biſſextus, ſeu dies intercalaris in ſequenti menſe Februario, cujus dies VI Kal. Mart., bis numeratur, fitque tum Februarius dierum XXIX.

Hinc naſcitur talis Collatio anni & menſium Romanorum, cum anno & menſibus Alexandrinorum in anno Biſſextili.

dies		dies	dies		dies	προσθεται
Aug. 30.	eſt	Thoth 1.	Sept. 1.	eſt	Thoth 3.	Sept. 2.
Sept. 29.	—	Paophi 1.	Oct. 1.	—	Paophi 3.	Oct. 2.
Oct. 29.	—	Athyr 1.	Nov. 1.	—	Athyr 4.	Nov. 3.
Nov. 28.	—	Choiac 1.	Dec. 1.	—	Choiac 4.	Dec. 3.
Dec. 28.	—	Tybi 1.	Jan. 1.	—	Tybi 5.	Jan. 4.
Jan. 27.	—	Mechir 1.	Feb. 1.	—	Mechir 6.	Feb. 5.
B. Feb. 26.	—	Pham. 1.	Mart. 1.	—	Pham. 5.	Mart. 4.
Mart. 27.	—	Phar. 1.	Apr. 1.	—	Phar. 6.	April. 5.

& tum porro, ut in anno Communi.

Corollarium.

Hinc patet ad inveniendam Feriam in die aliquo menſis Martii aut Aprilis, tam in anno Communi, quam in anno Biſſextili, ſemper προσθετας, Martii eſſe 4, & προσθετας Aprilis eſſe 5.

Quomodo autem hæ προσθεται, abſque tali Schemate facile invenian-

 tur,

tur, ex supradictis clarum est: modo memineris, in anno Bissextili, προσθετὰς Septembris esse 2, & Februarium habere dies 29, seu 30 ÷ 1.

XIII.

Aliud Exemplum quo Methodus ad inveniendam Feriam ulterius illustratur.

Quando dies mensis Romani datus, de quo quæstio instituitur, in quam Feriam incidat, datur in prioribus mensis Romani diebus, tum nulla difficultas oritur, quia illo in casu dies ille datus qui cadit exempli gratia in Aprili Romano, cadit quoque in Aprili Alexandrino, qui apud ipsos vocatur Pharmuthi; ac proinde idem numerus mensis reperitur a Septembri Romano usque ad Aprilem Romanum, qui reperitur a Septembri Alexandrino usque ad Aprilem Alexandrinum.

Sed, quando dies datus cadit in postremis mensis Romani diebus, tum oritur aliqua difficultas, quia illo in casu dies ille datus, qui cadit, exempli gratia, in Aprili Romano, non cadit quoque in Aprili Alexandrino, qui apud ipsos vocatur Pharmuthi, sed in Majo Alexandrino, qui apud ipsos vocatur Pachon: unde dubium oritur, quomodo illo in casu Computus sit instituendus, & quomodo numeratio mensium fieri debeat.

Ut itaque Methodus Auctoris magis illustretur, tale Exemplum proponere volui.

Proponatur itaque dies Aprilis, non 10ª, sed 28ᵘˢ.

Juxta Methodum Auctoris

diei propositæ Aprilis . .	28
adjiciendæ sunt προσθεταὶ . .	5
fiunt	33.

Qua adjectione id efficitur, ut hæc summa dierum ineat a primo die Aprilis Alexandrini, qui apud ipsos vocatur Pharmuthi.

Sed Aprilis Alexandrinus diebus XXX absolvitur.

Adeoque illa summa 33 dierum terminatur in die tertio Maji Alexandrini, qui apud ipsos vocatur Pachon.

Et proinde dies Aprilis Romani 28ᵘˢ, est Aprilis Alexandrini, sive Pharmuthi dies 33ᵘˢ, hoc est, Maji Alexandrini, sive Pachon dies 3ᵘˢ.

Quæritur

Quæritur jam, quid hoc in caſu hic ſit agendum.

An ſcilicet in Computo loco diei Aprilis Romani 28^{vi} ſubſtituendus dies 3^{us} Maji Alexandrini, qui ipſis dicitur Pachon: & an hoc velit auctor, quando dicit *Epactis jam inventis oportet adjicere*, τὰς ἡμέρας τοῦ μηνὸς τὰς ἐπιζητουμένας, ὡς κατ' Ἀλεξανδρεῖς.

An vero loco diei Aprilis Romani 28^{vi} ſit ſubſtituendus dies 33^{us} Aprilis Alexandrini, qui ipſis dicitur Pharmuthi; non conſiderato, quod dies 33^{us} Aprilis Alexandrini ultra fines iſtius menſis progrediatur: ſeu quod eodem redit, an in Computo ad diem datum Aprilis Romani 28^{um} ſimpliciter addendæ ſint προσθεῖναι 5, quo efficitur ut illa ſumma dierum ineat a primo die Aprilis Alexandrini, neque curandum ubi illa dierum ſumma terminetur: & an hoc velit Auctor verbis modo adductis.

Si priori modo Computus inſtituatur, tum notandum

Quod numeratio menſium fieri debeat non a Septembri uſque ad Aprilem, quia tum error bidui in Feria oriretur.

Sed quod numeratio menſium fieri debeat a Septembri uſque ad Majum.

Exempli gratia.

Epactis jam inventis, quæ ſunt . . .	7
adjice Aprilis dies 28, ὡς κατ' Ἀλεξανδρεῖς, hoc eſt Maji Alexandrini dies . . .	3
fiunt	10
Adjice duplum menſium a Septembri uſque ad *Aprilem*	16
fiunt	26
divide p. 7	
Reliquum 5 Feria erronëe.	
reſumatur ſumma dierum inventa . .	10
adjice duplum menſium a Septembri uſque ad *Majum*	18
fiunt	28
divide p. 7	
Reliquum 7 Feria recte.	

Si

Si autem posteriori modo Computus instituatur, tum numeratio mensium fieri debet a Septembri usque ad Aprilem.

Exempli gratia.

Epactis jam inventis, quæ sunt . . .	7	
adjice Aprilis dies	28	} 33
una cum προσθεταῖς	5	
fiunt	40	
Adjice duplum mensium a Septembri usque ad *Aprilem*	16	
fiunt	56	
divide p. 7		
Reliquum	7	Feria.

Hoc posteriori modo Auctor Computum instituit, & institui vult. Quod patet ex Methodo, qua Auctor Parte 3ª utitur, ad inveniendam Feriam in die Martii 21°, in quem Luna XIVª illo anno cadebat, addit enim προσθετὰς 4, & jubet, quando dies quæsitus in mensem Martium incurrit, semper adjicere προσθετὰς 4.

Et præterea ex Methodo, quam Auctor Parte 2ª præscribit, ad inveniendum προσθετὰς, quarum additione computus peragitur.

Nec non ex ipsa Regula generali, quam Auctor Parte 1ª proponit; jubet enim *numerare a Septembri usque ad mensem quæsitum*. Per *mensem quæsitum* autem intelligit mensem Romanum datum, de quo quæritur in quam Feriam dies aliquis in illo mense datus incidat; non enim dicit, *mensem quæsitum*, ΩΣ ΚΑΤ' ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΣ, sed simpliciter *mensem quæsitum*: cum paulo ante loquens de die quæsito hoc expresse addat, jubens adjicere *dies* mensis quæsitos, ΩΣ ΚΑΤ' ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΣ.

Quibus & hoc addo, quod ipsa facilitas Computi, si hoc posteriori modo peragatur, hoc suadeat.

XIV. *De*

XIV.

De Compendio Calculi in usu hujus Methodi, quando dies aliquis mensis Martii aut Aprilis proponitur.

Auctor in 3ª Parte hujus scripti, sive in Methodo ad inveniendum diem Paschatis, hanc Methodum ad inveniendam feriam adhibet, sed ita ut compendio quodam calculi utatur, quanquam ea de re nihil moneat.

Compendium calculi, quando dies aliquis Martii proponitur, in eo consistit, quod numerum mensium a Septembri inclusive ad Martium inclusive, qui est VII, duplicatum, qui est XIV, non addat; quia numerus XIV præcise duas Septimanas facit, adeoque, ad inveniendam feriam, perinde est, sive addatur, sive non addatur.

Compendium calculi, quando dies aliquis Aprilis proponitur, in eo consistit, quod & numerum mensium duplicatum, qui hic est XVI, & simul προσθετὰς Aprilis, quæ sunt V, non addat, quia simul sumpti faciunt XXI, seu tres Septimanas præcise, adeoque ad inveniendam Feriam perinde est, sive addantur, sive non addantur.

Exemplum hujus compendii in Martio.

Quæritur quota sit Feria in Martii die 21°, Indictione XI Heraclii anno 13°.

Epactis jam inventis, quæ sunt . . .	5	—	5
adjice quotam Martii	21	—	21
adde præterea προσθετὰς Martii . . .	4	—	4
adde denique duplum septem mensium a Septembri usque ad Martium inclusive . . .	14	—	0
	44		30
divide p. 7	/		/
Reliquum	2		2

Feria quæsita in Martii die 21°, XIª Ind. Her.

Exem-

Exemplum hujus Compendii in Aprili.

Quæritur quota ſit Feria in Aprilis die 10, Indictione VII^a, Heraclii anno 9.

Epactis jam inventis, quæ ſunt	7	7
adjice quotam Aprilis	10	10
adde præterea προσθετὰς Aprilis . . 5 }	21	0
adde denique duplum octo menſium a Septembri ad Aprilem incluſive 16 }		
	38	17
divide p. 7	/	/
reliquum	3	3

Feria quæſita in Aprilis die 10^a, VII Ind. Her. 9°.

X V.

Obſervatio ad hanc Methodum ad inveniendam Feriam in quolibet anni die.

Ex iis, quæ hactenus vidimus, facile colligimus, hanc Methodum Auctoris hauſtam eſſe ex Methodo Alexandrinorum : imo eſſe ipſam Methodum Alexandrinam ad rationem anni Romani inflexam.

Atque hinc igitur detegi poterit Methodus Alexandrinorum ad inveniendam Feriam in quolibet anni die.

X V I.

Inſcriptio 3^æ Partis hujus ſcripti.

Methodus, qua Paſcha invenitur ſecundum Eccleſiaſticam traditionem.

X V I I.

Contenta 3^æ Partis.

Continentur hac 3^a Parte,

1°, Brevis indicatio Limitum Dominicarum & Lunar. Paſchalium.

2°, Me-

2°, Methodus ad inveniendas Epactas Solis.

3°, Methodus ad inveniendas Epactas Lunæ.

4°, Methodus ad inveniendas Lunas XIV^as^.

5°, Methodus ad inveniendam Feriam Septimanæ in illo die Martii aut Aprilis, in quem Luna XIV^a^ cadit: & per consequens ipsam Dominicam Paschalem.

XVIII.

De limitibus Dominicarum & Lunarum Paschalium.

Dies (inquit) *omni cultu dignissima, Festi vivificæ Resurrectionis Domini nostri & veri Dei J. Christi, celebratur a* 22° *Martii inclusive, usque ad* 25^um^ *Aprilis inclusive. Non enim* 21° *Martii celebratur, neque* 26° *Aprilis.*

Peragitur autem a XV^a^ *(die) Lunæ inclusive, usque ad XXI*^am^ *(diem) Lunæ inclusive. Non enim XIV*^a^ *(die) Lunæ peragitur, neque XXII*^a^.

XIX.

De Methodo ad inveniendas Epactas Solis.

Hæc autem (inquit) *dies festiva invenitur, per Ecclesiasticum Computum, hoc modo:*

Oportet quærere Epactas Solis & Lunæ.

Sic autem inveniuntur Epactæ Solis.

Ab nunc præteritâ 1^a^ *Indictione* 3^tii^ *anni nostri, Dei beneplacito, Imperii, oportet numerare omnes, qui colliguntur, annos, quemadmodum nunc ad præsentem XI*^am^ *Indictionem, colliguntur anni* 11.

Et oportet accipere quartam partem eorum, & iis addere; quæ est duo; bis enim quatuor, fiunt octo; remanent tres, quorum non oportet quartam partem sumere; illi enim tres reliqui indicant tres annos a Bissexto: quot enim (ex divisione illorum annorum, a 1^a^ illa Indictione usque ad præsentem inclusive, de quo quæritur, collectorum, per quatuor) *remanent sive unus, sive duo, sive tres, annos post Bissextum* (*ut dictum est*) *indicant.* (hoc est indicant quotus annus præsens, de quo quæritur, sit ab anno Bissextili.) *Et non oportet illorum quartam partem accipere. Oportet*

tet igitur, ut dictum est, quartam partem collectorum annorum a 1ª Indictione, semper addere αὐτῇ, (hoc est illi summæ annorum collectorum) *quemadmodum nunc illis* 11 *annis, quartam eorum partem, hoc est,* 2.

Et post factam additionem quartæ partis, (vox ἑνὸς abundat) *oportet semper auferre unitatem.*

Et (reliquum) *dividere per septenarium numerum.*

Et quæ fiunt seu remanent dicere Epactas Solis esse.

Quemadmodum

Nunc (Indictione XIª) *sunt a 1ª Indictione anni*	11
Eorum autem quarta Pars	2
additione facta fiunt	13
aufer, ut semper fieri debet,	1
remanent	12
Hoc reliquum dividentes per 7	
invenimus numerum remanentem esse	5

& sunt V Epactæ Solis hac Indictione XIª.

Hæc Methodus inveniendi Epactas Solis plane convenit cum ea, quam vidimus in 1ª hujus scripti parte, innexam Methodo ad inveniendam Feriam in quolibet anni die.

X X.

De Methodo ad inveniendas Epactas Lunæ.

Sic autem (inquit) *inveniuntur Epactæ Lunæ.*

Annos ab VIIIª Indictione Mauritii Beatæ memoriæ Principis, qui sunt usque ad (præsentem) *Indictionem XIªm*, 34.

Oportet dividere (per XIX) *& oportet semper, quotquot Enneadecaëterides repertæ fuerint, auferre ab illis annis, qui colliguntur* (ab VIII Indictione Mauritii ad præsentem inclusive, de qua quæstio est.)

Et annos, qui remanent, per XI multiplicare.

Et (ab hac summa) *oportet auferre quotquot invenimus menses XXX dierum.*

Et numerus reliquus invenitur exprimere Epactas Lunæ.

Quem-

Quemadmodum nunc

Sumimus ab VIII^a, uti dictum eſt, Indictione, uſque ad præſentem XI^am Indictionem annos 34

Et ab hac ſumma annorum auferimus unam Enneadecaëterida, hoc eſt, ... 19

& remanent anni . . . 15

hos multiplicamus per XI

& fiunt 165

Auferimus ab his menſes dierum XXX, quinque, hoc eſt, dies 150

& remanent dies 15

Sunt ergo XV Epactæ Lunæ hac Indictione XI^a.

In hac Methodo nihil ſingulare eſt, niſi Æra Cyclo Lunæ illigata.

XXI.

De Methodo ad inveniendas Lunas XIV^as.

Epactis Lunæ anni, de quo quæſtio eſt, per præcedentem Methodum jam inventis, jubet ſemper addere *octo* dies.

Et deinde jubet huic ſummæ addere tot dies, quot requiruntur ad complendum numerum XLIV.

Et dicit numerum illum, qui ad complendum numerum XLIV requiritur, indicare diem Martii vel Aprilis, in quem Luna XIV^a incidit.

Hac tamen adhibita cautela,

1°, Si numerus ille complementi major ſit quam XX (non VIII, ut male editum eſt) & non major quam XXXI tum numerus ille præciſe, nullo dempto, exprimit diem Martii, in quem Luna XIV^a cadit.

2°, Sin vero numerus ille complementi minor ſit quam XX (non VIII, ut male editur) tum numerus ille non præciſe, ſed uno dempto, exprimit diem Aprilis, in quem Luna XIV^a cadit.

3°, Si autem numerus ille complementi major ſit, quam XXXI,

tum ab illo oportet XXXI auferre, & numerus reliquus exprimit diem *Aprilis*, in quem Luna XIV^a cadit.

Harum cautelarum rationes claræ ſunt, nam Luna XIV^a non poteſt cadere infra diem Martii 21, & Martius habet dies XXXI.

His addit monitum circa ſpecialem caſum, quando nempe anni ab VIII^a Indictione Mauritii collecti, per XIX diviſi, nihil relinquunt: quo monet iſtius anni Epactas nullas eſſe: & tum jubet numerum octonarium complere uſque ad XLIV, & dicit eo in caſu Lunam XIV cadere in diem Apr. 5. Quod notandum, quia inde patet, quod hic ſit 1^us Cycli decemn. annus, & quod ille annus, qui Epactas nullas habet, quique Cycli primus eſt, habeat Lunam XIV^am in die Apr. 5, & Neomeniam Paſchalem in die Mart. 23.

Ipſa Auctoris verba hæc ſunt:

Et oportet ſemper addere (*Epactis*) *Lunæ octo dies.*

Quare cum habeamus, in præſenti XI^a Indictione, Epactas Lunæ XV, addimus iis VIII dies, & fiunt numero XXIII.

Porro oportet capere ſemper hujus numeri (ex Epactis & VIII Regularibus collecti) *reliquum numerum, qui illi deficit ad numerum XLIV dierum complendum.*

Quem numerum invenimus (hoc in caſu) *eſſe XXI.*

Et (hic numerus) *indicat, quod XXI^o die Martii, præſentis XI^æ Indictionis, ſit XIV^a Lunæ.*

Si enim ſupra VIII (lege *XX*) *remanſerit numerus ille aſſumendus ad numerum XLIV dierum complendum, Martii eſt,* hoc eſt indicat ipſam Martii diem, in qua XIV^a Lunæ reperitur. *Et ſic oportet obſervare XIV^am Lunæ.*

Si autem (ille numerus complementi) *infra VIII* (lege, *XX*) *inventus fuerit, ſcire oportet, quod in menſem Aprilem cadat XIV^a Lunæ. Et quando infra VIII* (lege, *XX*) *exiſtens prodit XIV^am Lunæ in Aprilem cadere, oportet ab illo numero reliquo, qui deficit ad numerum XLIV dierum complendum, unitatem ſemper auferre, & numerus, qui remanſerit, erit illa Aprilis dies, in qua XIV^a Lunæ reperitur.*

Sin vero numerus complementi, qui numero, ex octo Regularibus & Epactis collecto, deficit ad numerum XLIV dierum complendum, [*ſit ſupra XXXI*] *oportet XXXI ab eo auferre, & ſcire, quod numerus, qui remanet ſit illa Aprilis dies, in qua XIV^a Lunæ reperitur.*

Si autem anni ab VIII^a Indictione Mauritii Piæ memoriæ, diviſi per XIX, nihil relinquant, ſed omnes anni per XIX æqualiter dividantur,

oportet

oportet dicere annum istum nullas habere Epactas, & solum numerum VIII, qui semper Epactis Lunæ additur, capere, & hujus numeri complementum, quod illi deficit ad numerum XLIV dierum complendum, oportet observare, & ab illo auferre XXXI, & tunc dicere (in illo Aprilis die) *XIVam Lunæ esse.*

Cum enim Indictio ista nullas habeat Epactas, habemus, qui Epactis additur, numerum VIII. Et capimus hujus numeri complementum, quod illi deficit ad numerum XLIV dierum complendum, & est ille numerus complementi XXXVI. Auferimus itaque, sicut supra dictum est, ab eo XXXI, & numerus V, qui remanet, indicat, quod quinta dies Aprilis sit XIVa Lunæ, quando nullas habet Epactas illa Indictio.

Illustramus hæc exemplis.

1°, Sint jam inventæ Epactæ XV
adde VIII
fiunt XXIII
adde numerum complementi XXI, qui major est quam XX
fiunt XLIV
ergo Luna XIVa cadit in diem Martii 21.

2°, Sint jam inventæ Epactæ XXVI
adde VIII
fiunt XXXIV
adde numerum complementi X, qui minor est quam XX
fiunt XLIV
X, dempto uno, sunt IX
ergo Luna XIVa cadit in diem Apr. 9.

3°, Sint jam inventæ Epactæ I
adde VIII
fiunt IX
adde numerum complementi XXXV, qui major est quam XXXI
fiunt XLIV
a numero XXXV
aufer XXXI
remanent IV
ergo Luna XIVa cadit in diem Apr. 4.

4°, Sic

4°, Sit quæstio de anno Heraclii 17°, Ind. XV^a^.

Ab VIII Indictione Mauritii, usque ad hanc XV^am^ Indictionem Heraclii, sunt anni 38, qui divisi per XIX, nihil relinquunt,

ergo erit Epacta o
adde VIII
fiunt VIII
numerus complementi est XXXVI major quam XXXI
fiunt XLIV
a numero XXXVI
aufer XXXI
remanent V
ergo Luna XIV^a^ cadit in diem April. 5.

Hæc Methodus non admodum diversa est a Methodo Auctoris Chronici Paschalis, & ab illa, quæ reperitur in Epistola ad Wichredam, quæ Bedæ tribuitur.

X X I I.

De Methodo ad inveniendam Feriam in die illo, in quem Luna XIV^a^ cadit.

Jubet diei mensis, in quem Luna XIV^a^ cadit, addere Epactas Solis istius anni.

Et huic summæ, quando Luna XIV^a^ in Martium cadit, semper addere quatuor, quando autem in Aprilem cadit, nihil addere.

Et denique hanc summam dividere per Septenarium.

Et dicit reliquum exprimere Feriam in illo die.

Exempli gratia.

Diei Martii 21, in quo est Luna XIV^a^
adde Epactas Solis 5 istius anni
fiunt 26
adde προσθετὰς 4, quia in Martio
fiunt 30
divide per VII
relinquuntur 2
ergo Luna illa XIV^a^, in die Martii 21 cadit in Feriam 2^am^.

Ut

Ut jam Paſchæ dies habeatur,
Adde reliquos dies uſque ad ſequentem Dominicam.
Et erit
Indictione XI^{a} Heraclii, anno ejus Imperii 13^{o}, Paſcha in die Mart. 27.

Hæc methodus ad inveniendam Feriam, eadem eſt, cum ea, quam in præcedentibus tradiderat, adhibito tantum Compendio calculi, de quo egimus, §^{o} 14.

XXIII.

De Æra, qua utitur Heraclius in Methodo ſua Paſchali in genere.

Non utitur Æra mundana, ut Anianus, Panodorus, atque Auctor Chronici Paſchalis, & Maximus, ac illi, quos Maximus πενταπλοῦντας & ἑξαπλοῦντας vocat, neque Æra Diocletianea, ut Paulus Alexandrinus, Metrodorus, aliique,
Sed utitur Æra Indictionum, cum annis ſui Imperii, & Mauritii Imperatoris connexa.
Habetque hæc ejus Æra duplicem terminum a quo, pro duplici Cyclo Solis & Lunæ.
Terminus a quo hujus Æræ pro Cyclo Solis eſt Indictio 1^{a}, connexa cum anno ipſius Imperii 3^{o}.
Terminus a quo hujus Æræ pro Cyclo Lunæ eſt Indictio VIII^{a} Mauritii Imperatoris, quæ non expreſſe connectitur cum certo Imperii ejus anno, quia durante Mauritii Imperio Indictio VIII^{a} ſemel tantum occurrit, adeoque terminus hic per ſe notus & fixus erat: Diſtantia autem patet ex annis, quos ab VIII^{a} Mauritii Indictione numerat, uſque ad primam, ſub ſuo Imperio, Indictionem XI^{am}.
Duplicem autem terminum a quo cogebatur aſſumere, quia Cyclus Solis & Lunæ ſuo tempore tam diverſum initium habebant.

XXIV.

De Cyclo Solis & Æra illi illigata.

Indictio 1^a currens a Septembri, anno Imperii Heraclii 3^o, currente ab Octobris 5, quo coronatus est, concurrit cum anno Æræ Vulg. 613, a sequenti Januario incipiente, Lit. Dom. G.

Et hic annus est annus 1^{us} Æræ, qua utitur in Methodo Solari ad inveniendam Feriam.

Idem annus est 1^{us} annus Cycli Solis juxta Heraclium: quod natura rei postulat:

Ille annus est juxta Auctorem Chronici Paschalis, annus Mundi 6122^{us}, & Cycli Solis 18^{us}, habens Epactas VII.

Juxta πενταπλοῦντας & ἑξαπλοῦντας autem est annus Mundi 6121^{us}, Cycli Solis 17^{us}, habens Epactas VII.

Juxta Maximum autem annus Mundi 6105^{us}, Cycli Solis 1^{us}, habens Epactas VII.

Hinc non immerito concludere licet Heraclium in Æra Mundana, & Cyclo Solis illi innexo, convenire cum Maximo, & iis, quos Maximus sequebatur, Aniano videlicet, Panodoro, aliisque.

(Quod autem legitur in marg., *anno Imperii nostri* 3^o, τουτέστι τὸ (ἔτος) ἀπὸ κτίσεως κόσμου ϛρκ″, sive 6120, quodque Dodwellus textui inserendum putat; vel imperiti nota marginalis est, vel pro ϛρκ″ legendum est ϛρε″, hoc est, 6105.)

Quod & inde confirmatur, quia Cyclus Epactarum Solis Heraclii, juxta Methodum ab ipso traditam inventus, & ab ejus anno 3^o, Ind. 1^a, initium sumens, convenit cum Cyclo Epactarum Solis Maximi.

Quærantur enim juxta Methodum Heraclii, Epactæ Solis Indictionis 1^a anno Imperii Heraclii 3^o.

Hic est annus Æræ ejus primus.

Colligitur igitur annus	1
adde quartam partem, quæ est	0,
fiunt	1
aufer	1
remanet	0
divide p. VII	
relinquitur	0

estque hic annus 1^{us} a Biss. secundum Romanos a sequenti Januario, & secundum Græcos a præcedente Septembri annum ineuntes.

Ergo

Ergo Indictione 1ª, anno Heraclii 3°, Epactæ Solis sunt o, vel quod idem est, sunt VII.

adeoque

anno Heraclii,	Ind.	annus Cycli Solis	Epactæ Solis	annus secundum Romanos & Græcos
3°	Iª	1us	o. VII	1us post Bissextilem.
4°	IIª	2us	I	2us post Bissextilem.
3°	IIIª	3us	II	3us post Bissextilem.
4°	IVª	4us	IV	Bissextilis.

& sic porro.

Conferatur jam hic Cyclus Solis Heraclii cum Cyclo Solis Maximi (*quem descripsimus in observationibus ad Computum Maximi.* §° 28.) & videbis ovum ovo similius esse non posse.

Hoc tamen notandum, Epactas Solis Heraclii proprie affixas esse diei antepenultimo anni Alexandrini, hoc est, Epactas Solis Heraclii proprie exprimere Feriam concurrentem cum die antepenultimo anni Alexandrini, qui in anno Communi est 3ª, in anno vero intercalari est 4ª Epagomena, quique cadit in anno Communi in Aug. diem 26, in anno autem intercalari in diem Aug. 27. Epactas Solis Maximi autem exprimere Feriam concurrentem cum *sequentis* Martii die 31°. Sed & hoc observandum, eandem Feriam, quæ concurrit cum *præcedentis* Augusti die 26°, in anno Alexandrino Communi, & Augusti die 27° in anno Alexandrino intercalari, quoque concurrere cum *sequentis* Martii die 17°, 24°, & 31°.

XXV.

De initio singulorum annorum in Æra, quâ utitur Heraclius.

Sciendum (inquit Heraclius in initio Partis 2æ) *nos Romanos initium mensium computare a Januario, Alexandrinos autem a Septembri, qui apud ipsos dicitur Thoth.*

Hinc primo intuitu concluderes annos in Æra Heraclii inire a mense Januario, non autem a Septembri.

Præsertim cum non dicat simpliciter sciendum *Romanos* hoc facere, sed expresse addat, sciendum *nos Romanos* hoc facere, idque in oppositione ad

ad Alexandrinos, qui initium menſium computabant a Septembri, qui apud ipſos vocatur Thoth.

Sed hoc minime inde concludendum eſt. Heraclius enim hoc tantum Romanis tribuit, qui hanc anni formam primi inſtituerant, eaque adhuc in civili uſu utebantur, & ſe ipſum, utpote qui Romanorum Imperator erat, & in nova Roma ſedem Imperii habebat, Romanis aſſociat, non autem hoc tribuit Græcis in Imperio Orientali degentibus, neque hoc vult, annum, quo ipſe, & Conſtantinopolitani, aliique Græci in Imperio Orientali in uſu civili utebantur, inire non a Septembri, ſed a Januario. Quod etiam inde patet, quia eo in loco, ubi hoc dicit, hanc anni Romani formam adhibet tantum calculi gratia, ut numerando menſes Romanos a Januario, eosque comparando cum menſibus Alexandrinorum dierum XXX, hoc modo facilius oſtenderet, Septembrem Alexandrinum, qui apud ipſos vocatur Thoth, incipere (ordinarie) tribus ante Septembrem Romanum diebus, in die 29° Auguſti Romani. Vide ſupra §° 10.

Quod autem anni in Æra Heraclii ineant a Septembri, idque juxta uſum civilem tunc temporis in Imperio Orientali, apud Græcos receptum, hoc patet, quia, ut jam ſupra monuimus, utitur Æra Indictionum cum annis Imperii ejus connexa.

Indictiones enim Orientales ſive Conſtantinopolitanæ inibant a Septembri. Vide Car. Du Freſne Domini Du Cange Gloſſar. ad Scriptores mediæ & infimæ Græcitatis, ad vocem ἐπινέμησις, & Ἰνδικτιών. Et ejusdem Gloſſarium ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis, ad vocem *Indictio*.

Saltem regnante Heraclio Indictiones inibant a Septembri, ut patet ex Auctore Chronici Paſchalis, qui regnante Heraclio ſcripſit, ubi agit de initio Imperii Heraclii, & rebus eo regnante geſtis inde a p. 382, variis in locis. Exempli gratia

Ad annum M. 6118, Phocæ VIII, dicit *Aprilis* 8°, *Ind. XIII Sergius creatur Patriarcha CP.* & paulo poſt, *ſub exitum Septembris Indict. XIV, renuntiatum* &c Item, *Octobris* 3°, *Ind. XIV, Feria VII. apparuere naves, in quibus Heraclius, die Octob.* 6°, (lege 5°) *Feria II*ª *occiditur Phocas, & coronatur Heraclius.* p. 382, & p. 383.

Ad annum M. 6119, Heraclii I, dicit, *ab ipſo* 7° *Octob. die, præſentis Indictionis (XIV) uſque ad* 13^{um} *Januarii menſis ejusdem Indictionis (XIV), ſcriptum eſt in Actis publicis, imperante Heraclio: & a* 14° *ejusdem menſis, ſcriptum in ſequens tempus uſque ad Decembrem ſcilicet*

com-

completum, XV^{x} Indictionis, & consulatu ejusdem piissimi Domini nostri. Et paulo post, *Julii* 8° *die, ejusdem XIV^{x} Indictionis Feria IV^{a} nata est Epiphania filia Heraclii.*

Ad annum 6120. Heraclii II. dicit, *Augusti* 13°, *Indictionis XV^{x} obiit Eudocia Augusta, Feria I^{a}.* Et paulo post, *Octobris* 4°, *Indictionis I^{x}, Feria IV^{a} coronata est puella Epiphania.*

Ad annum M. 6122. Heraclii IV. dicit, *die* 14° *Septembris mensis, III^{x} Indictionis &c.*

XXVI.

De Methodo Heraclii Solari, sive de ejus computo ad inveniendas Epactas Solis, & feriam in quolibet anni die.

Quæritur 1°, cur non ab annis Æræ suæ primo auferat unitatem, & deinde quartam partem addat, sed primo sumat annos collectos integros, & horum quartam partem addat, & tum demum unitatem auferat.

Respondetur primo, Heraclium non auferre ab annis Æræ suæ unitatem, antequam quartam partem capiat, sed eum capere quartam partem annorum ab Æræ suæ anno 1° usque ad annum datum inclusive collectorum, quia annus Alexandrinus, qui anno Æræ ejus 1° respondet, est ab anno intercalari Alexandrino proxime transacto, secundus annus; non enim ad annos Græcorum a Septembri ineuntes, & in sequenti Februario diem Bissextilem recipientes, sed ad annos Alexandrinorum a Thoth ineuntes, & in die, qui mensem Thoth immediate præcedit, diem intercalarem recipientes, hoc est in die 29° Aug., qui Februarium Bissextilem proxime præcedit, computus ejus accommodatus est. Secundo Heraclium sumere primo annos collectos integros, ut (quemadmodum modo dictum est) debitam quartam partem capere possit: deinde autem auferre unitatem, quia, præter quartam partem, non anni collecti usque ad datum inclusive, sed exclusive addendi erant, adeoque illa unitas, quæ ultra debitum adjecta erat, iterum auferri debebat, ita ut hic nihil aliud nisi compendium calculi obtineat.

Quæritur 2°, cur Heraclius menses numerans a Septemb. ad mensem, de cujus die quæritur, in quam Feriam incidat, illum mensem includat, cum ipsa rei ratio videatur suadere, ut numeremus ad illum mensem usque exclusive.

 Respon-

Respondetur, hoc fieri propter compendium calculi. Nam, si numeratio fieret ad mensem, de cujus die quæstio est exclusive, tum, post numerum mensium duplicatum jam additum, adhuc biduum foret adjiciendum: quia in anno Cycli Solis 1°, in anni Alexandrini die 1° invenitur Feria III^a^. Ut itaque hoc per Compendium fieret, hinc est, quod illa numeratio fiat usque ad mensem, de cujus die quæstio est, inclusive.

Quæritur 3°, cur numerus mensium duplicatus addatur.

Respondetur, quia unusquisque mensium in anno Alexandrino, est XXX dierum, qui faciunt quatuor Septimanas, & præterea dies 2, & propterea, abjectis quatuor Septimanis, pro singulis mensibus adduntur dies 2, sive, quod eodem redit, numerus mensium duplicatus.

XXVII.

De Cyclo Lunæ & Æra illi alligata.

Indictio VIII Mauritii, currens a Septembri (quæ Indictio connexa est cum anno Imperii ejus 8°) concurrit cum anno Æræ Vulg. Christi 590° a sequenti Januario incipiente. Lit. Dom. A.

Ab hoc anno inclusive numerat annos usque ad annum inclusive, cujus Epactas Lunæ quærit. Hos annos sic collectos dividit per XIX, sive ab iis omnes Cyclos decemnovales aufert. Reliquum per XI multiplicat; & a producto omnes tricenarios, seu menses Embolimæos, aufert. Et quod Reliquum manet exprimit Epactas Lunæ istius anni.

Ex hac Methodo patet Cyclum decemnovalem Heraclii incipere Indictione VII^a^ Mauritii, anno ejus Imperii 7°, Æræ Vulg. 589°. Vide quoque infra §° 28.

Quod porro hoc modo demonstrari potest.

Si, juxta Methodum ab Heraclio traditam, inquiras, ut feci, Epactas Lunæ, & Lunas XIV^as^ per spatium XIX annorum, sibi invicem succedentium, invenies præcise Epactas Lunæ, & Lunas XIV^as^ easdem, quas habet Cyclus decemnovalis Alexandrinorum, quasque ab iis accepit Dionysius.

Præterea invenies Indictione XV^a^, anno Imperii Heraclii 17°, Æræ Vulg. 627°, anno 38° ab Indictione VIII^a^ Mauritii, Epactas Lunæ nullas, Lunam XIV^am^ in die Apr. 5, (quod fieri etiam expresse monet Heraclius) adeoque Neomeniam Paschalem Mart. 23.

Adeo-

Adeoque hic annus habens Epactas Lunæ nullas, & Lunam XIV in die Apr. 5, incidens in annum Æræ Vulg. 627^{um}, Indictione XV^{a}, Heraclii 17^{o} eſt annus 1^{us} Cycli ejus decemnovalis.

Heraclii 17^{o},	Indict. XV^{a},	Æræ Vulg. 627^{us},	eſt annus 1^{us}.
aufer duos Cyclos, ſeu annos 38		annos 38	
Mauritii 7^{o},	Indict. VII^{a},	Æræ Vulg. 589^{us},	eſt annus 1^{us}.

Ergo Æra, qua Heraclius utitur in Cyclo ſuo decemnov., incipit ab Indictione VII^{a}, connexa cum anno Imp. Mauritii 7^{o}, & concurrente cum illâ anno Æræ Vulg. Chriſti 589^{o}.

Utitur autem hac Æra, uno anno dempto, in Methodo ad inveniendas Epactas Lunæ, more Computiſtis ſolito, cujus rationes alibi expoſui.

Ille autem annus Æræ Heraclii 1^{us} eſt juxta Auctorem Chronici Paſchalis, annus Mundi 6098^{us}, Cycli Lunæ 18^{us}.

Juxta πενταπλοῦντας & ἑξαπλοῦντας de quibus Maximus, annus M. 6097^{us} Cycli Lunæ 17^{us}.

Juxta Maximum ipſum autem annus Mundi 6081^{us}, Cycli Lunæ 1^{us}.

Hinc non immerito concludere licet, Heraclium in Æra Mundana, & Cyclo Lunæ illi innexo, convenire cum Maximo, & iis, quos Maximus ſequebatur, Anianum videlicet & Panodorum.

Quæritur merito, cur Heraclius Æram, cui Cyclus Lunæ illigatur, non inceperit XIX annis ſerius, ab Indictione XI^{a} Phocæ, anno Imperii Phocæ 6^{o}, anno Æræ Vulg. Chriſti 608^{o}, Mundi (juxta Maximum) 6100^{o}. Præſertim cum Methodus ad inveniendas Epactas Lunæ, eo aliquanto facilior redderetur.

Sed Reſponſio facilis eſt, quia noluit memoriam Phocæ, Tyranni potius, quam Principis, quique, cum ipſe Imperium acciperet, violenta morte e medio ſublatus erat, Methodo ſuæ Paſchali innectere, & refricare.

Et, quum hoc ſcriptum ederet, nondum tot anni in ejus Imperio proprio elapſi erant, ut inde initium numerandi capi poſſet: ſcripſit enim, quod etiam hinc patet, ante Ind. XV^{am}, anni Imperii ſui 17^{mi}, Æræ Vulgaris 627^{um}, a quo novus Cyclus decemnovalis incepturus erat.

His accedit, quod Methodus ejus requirebat, annos collectos partiri

tiri per 19, ut Enneadecaëterides elapſæ inde auferantur, adeoque conveniebat, ut Æra ejus ita ad anteriora protruderetur, ut ab annis inde uſque ad tempus, quo hæc ſcribebat, collectis, ad minimum una Enneadecaëteris elapſa auferri poſſet.

XXVIII.

De Methodo Heraclii Lunari, ſive de ejus Computo ad inveniendas Epactas Lunæ & Lunas XIV^as^.

Methodus ejus ad inveniendas Epactas Lunæ, ut jam monui, nihil habet ſingulare: atque ejus ratio & artificium ex iis, quæ jam alibi obſervavi, patere poteſt.

In Methodo ejus ad inveniendas Lunas XIV^as^, ſingulare eſt, quod Epactis Lunæ ſemper addat VIII Regulares.

Ratio cur ſemper addat VIII Regulares hæc eſt, quod in anno Cycli 1° Neomenia, quæ Paſchalem præcedit, cadat in diem Febr. 21, diebus VIII ante Martium.

Adeo ut ille numerus dierum, qui ex his VIII Regularibus & Epactis colligitur, ſemper incipiat a menſe ante-Paſchali, & deſinat die Februarii 28, in annis Communibus, excepto anno Cycli 9°, in quo aliquid ſingulare obtinet: In annis autem Embolimæis numerus ille dierum ſemper incipiat a menſe, qui menſem ante-Paſchalem ſive Embolimæum præcedit, & deſinat in die Februarii 28°.

Numerus autem complementi ſemper init a Kalendis Martiis, ſed in annis Embolimæis illi tricenarius adjiciendus eſt: quod etiam in anno Cycli 9° fieri debet.

Numerus autem XLIV init a Neomenia, excepto anno Cycli 9°, & terminatur in Luna XIV^a^ menſis ſequentis. Supponitur itaque quod *Lunatio illa, quæ menſem Paſchalem*, nec non *menſem Embolimæum præcedit*, & quod ipſa *Lunatio menſis Embolimæi* ſit *plena dierum XXX.*

Exempli

Exempli gratia.

Anno Cycli 1°, Epactæ 0
Regulares 8

	incipit Febr. 21. . .	8	. . definit Febr. 28.
Complement.	incipit Mart. 1. . .	36	. . definit April. 5.
		44	

Anno Cycli 2°, Epactæ 11
Regulares 8

	incipit Febr. 10. . .	19	. . definit Febr. 28.
Complement.	incipit Mart. 1. . .	25	. . definit Mart. 25.
		44	

Anno Cycli 3°, Epactæ 22
Regulares 8

	incipit Jan. 30. . .	30	. . definit Febr. 28.
Complement.	incipit Mart. 1. . .	14	. . definit Mart. 14.
		44	adjice . 30.
			definet Mart. 44.
			seu
			April. 13.

Anno Cycli 4°, Epactæ 3
Regulares 8

	incipit Febr. 18. . .	11	. . definit Febr. 28.
Complement.	incipit Mart. 1. . .	33	. . definit April. 2.
		44	

Anno Cycli 5°, Epactæ 14
Regulares 8

	incipit Febr. 7. . .	22	. . definit Febr. 28.
Complement.	incipit Mart. 1. . .	22	. . definit Mart. 22.
		44	

Anno Cycli 6°, Epactæ 25
Regulares 8

incipit Jan. 27. . . 33 . . desinit Febr. 28.
Complement. incipit Mart. 1. . . 11 . . desinit Mart. 11.
44 adjice . 30.
desinet Mart. 41.
seu
April. 10.

Anno Cycli 7°, Epactæ 6
Regulares 8

incipit Febr. 15. . . 14 . . desinit Febr. 28.
Complement. incipit Mart. 1. . . 30 . . desinit Mart. 30.
44

Anno Cycli 8°, Epactæ 17
Regulares 8

incipit Febr. 4. . . 25 . . desinit Febr. 28.
Complement. incipit Mart. 1. . . 19 . . desinit Mart. 19.
44 adjice . 30.
desinet Mart. 49.
seu
April. 18.

Anno Cycli 9°, Epactæ 28
Regulares 8

incipit *Jan.* 24. . . 36 . . desinit Febr. 28.
Complement. incipit Mart. 1. . . 8 . . desinit Mart. 8.
44 adjice . 30.
desinet Mart. 38.
seu
April. 7.

Anno Cycli 10°, Epactæ 9
Regulares 8

incipit Febr. 12. . . 17 . . desinit Febr. 28.
Complement. incipit Mart. 1. . . 27 . . desinit Mart. 27.
44

Anno

Anno Cycli 11°, Epactæ 20
Regulares 8

incipit Febr. . . . 1 . . . definit Febr. 28.
Complement. incipit Mart. 1 . . . 16 . . definit Mart. 16.
adjice . 30.
44
definet Mart. 46.
seu
April. 15.

Anno Cycli 12°, Epactæ 1
Regulares 8

incipit Febr. 20. . . 9 . . definit Febr. 28.
Complement. incipit Mart. 1. . . 35 . . definit Apr. 4.
44

Anno Cycli 13°, Epactæ 12
Regulares 8

incipit Febr. 9. . . 20 . . definit Febr. 28.
Complement. incipit Mart. 1. . . 24 . . definit Mart. 24.
44

Anno Cycli 14°, Epactæ 23
Regulares 8

incipit Jan. 29. . . 31 . . definit Febr. 28.
Complement. incipit Mart. 1. . . 13 . . definit Mart. 13.
adjice . 30.
44
definet Mart. 43.
seu
April. 12.

Anno Cycli 15°, Epactæ 4
Regulares 8

incipit Febr. 17. . . 12 . . definit Febr. 28.
Complement. incipit Mart. 1. . . 32 . . definit April. 1.
44

Anno Cycli 16°, Epactæ 15
Regulares 8

	incipit Febr. 6. . . .	23 . .	desinit Febr. 28.
Complement.	incipit Mart. 1. . . .	21 . .	desinit Mart. 21.
		44	

Anno Cycli 17°, Epactæ 26
Regulares 8

	incipit Jan. 26. . . .	34 . .	desinit Febr. 28.
Complement.	incipit Mart. 1. . . .	10 . .	desinit Mart. 10.
		44	adjice . 30.
			desinet Mart. 40. seu April. 9.

Anno Cycli 18°, Epactæ 7
Regulares 8

	incipit Febr. 14. . . .	15 . .	desinit Febr. 28.
Complement.	incipit Mart. 1. . . .	29 . .	desinit Mart. 29.
		44	

Anno Cycli 19°, Epactæ 18
Regulares 8

	incipit Febr. 3. . . .	26 . .	desinit Febr. 28.
Complement.	incipit Mart. 1. . . .	18 . .	desinit Mart. 18.
		44	adjice . 30.
			desinet Mart. 48. seu April. 17.

Corollarium.

Ex hoc Computo confirmantur, quæ ſupra §° 27. diximus de primo, juxta Heraclium, Cycli Lunæ anno. Nam, quia ſemper VIII Regulares adjicit, hinc patet anno Cycli Lunæ 1° Martium inire Luna IXª, & Neomeniam Paſchalem cadere in Martii 23, Lunam autem XIV in Aprilis diem 5. Et proinde Indictione Mauritii VIIª reperiri annum

annum Cycli Lunæ 1um, atque id ab Heraclio tantum propter calculi compendium fieri, quod in Computo Epactali colligat annos ab Indictione Mauritii VIIIa.

XXIX.

Cur hoc Heraclii Scriptum in Dodwelli editione vocetur, Fragmentum e Commentario Imperatoris Heraclii in προχείρους *Ptolemæi Canones.*

Hoc Heraclii scriptum, quod Henricus Dodwellus primus e MSto edidit, & Latine vertit, hoc titulo in ejus editione insignitur.

Sed quo fundamento, & quam ob causam fateor me non capere.

Hunc enim titulum in MSto suo non invenit Dodwellus: Quod inde concludo, quia eum non Græce, sed tantum Latine expressit, & suæ interpretationi Latinæ superscripsit.

An autem Heraclius in προχείρους Ptolemæi Canones Commentarium scripserit, mihi non constat: neque illud ex hoc Heraclii scripto concludere licet.

Et licet demus, Heraclium in προχείρους Ptolemæi Canones Commentarium scripsisse, non tamen propterea hoc scriptum hujus Commentarii fragmentum dicendum erit.

Quid enim hujus scripti pars tertia, quæ tradit Methodum inveniendi Paschatis secundum Ecclesiasticam traditionem, cum προχείροις Ptolemæi Canonibus commune habet.

Præterea singulæ hujus Scripti partes proprium suum titulum habent, & uniuscujusque partis contenta titulo suo exacte satisfaciunt: & Methodus ad inveniendam Feriam in quolibet anni die dato, in Parte 1a & 2a, ut & Methodus ad inveniendum Paschatis diem & quicquid eo requiritur, in Parte 3a hujus scripti plene traditur, ita ut nulla sit suspicio, hoc scriptum esse tantum Fragmentum, aut excerptum e majori opere.

Accedit, quod Heraclius Methodum ad inveniendam Feriam in quolibet anni die dato, quæ hujus scripti Parte 1a & 2a traditur, scripserit Imperii sui anno 9o, Indictione VIIa; Methodum vero ad inveniendum Paschatis diem, & quicquid eo pertinet, quæ hujus scripti Parte 3a traditur, scripserit Imperii sui anno 13o, Indictione XIa. Ut jam monui supra §o 3.

Heraclius, fateor, in hujus ſcripti initio meminit Κανονίων, ſeu Tabularum, quæ in προχείρῳ Ptolemæi Canone reperiebantur, quarum ope, quis poterat cognoſcere, in quam Septimanæ Feriam cujusvis menſis dies incurrat: & ex his Heraclii verbis originem traxit hic titulus, qui huic ſcripto, in Dodwelli editione præfigitur. Sed absque juſta cauſa. Heraclius enim in hoc ſcripto eam Ptolemæi Methodum, quæ Tabularum ope inquirebat Feriam in quolibet anni die dato, non explicat, aut illuſtrat, ſed miſſa illa Methodo Ptolemæi, aliam a ſe inventam publicat in hujus ſcripti Parte 1ª & 2ª, non in uſum, ut mihi videtur, Aſtronomorum, quibus πρόχειρος Canon, & quæ illi inſertæ erant Tabulæ ad manus erant, ſed aliorum & maxime Computiſtarum Eccleſiaſticorum. Nam Methodus, qua Heraclius, in hujus ſcripti Parte 3ª, utitur ad inveniendam Feriam in illis Martii & Aprilis diebus, in quos Lunæ XIVæ Paſchales incidebant, eſt hæc ipſa Methodus, quam hujus ſcripti Parte 1ª & 2ª tradiderat, cum novo tantum calculi compendio, ut vidimus ſupra §° 14°.

Confer omnino Diſſertationem noſtram de Canone Regum Aſtronomico §° XXII. A. N° 3°, a—b. p. 283—286.

X X X.

De Ptolemæi Tabulis ad inveniendam Feriam in cujusvis menſis die.

Heraclius in Partis 1æ initio dicit; *in expedito Canone Ptolemæi, poſt Canones inerrantium ſtellarum* ἔγκειται Κανόνια *hoc eſt, Tabulæ, quarum ope quis poteſt cognoſcere, in quam Septimanæ Feriam cujusvis menſis dies incurrat.*

Has Tabulas in Ptolemæi Almageſto fruſtra quæſivi: & an alibi exſtent, non novi: imo an ſint ipſius Ptolemæi dubito.

(* Has Tabulas tamen videtur Ptolemæus, poſt ſuum Almageſtum, edidiſſe in Faſciculo Tabularum Aſtronomicarum, quæ proprie & ſpecifice πρόχειροι Κανόνες appellantur. Vide Diſſertationem noſtram de Canone Regum Aſtronomico, imprimis, §° XXVII. Lit. H. N° 1°, & 2°, p. 314. & N° 23° & 24°, p. 317, 318.)

XXXI.

XXXI.

Quid Heraclio sit invenire Pascha juxta Ecclesiasticam traditionem.

Titulus Partis 3ᵃᵉ ita conceptus est, Methodus per quam Pascha invenitur *juxta Ecclesiasticam traditionem.*

Et in hujus Partis fine ita concludit, & inveniemur, *juxta Apostolicam Sanctorum Patrum traditionem*, vivificam resurrectionem Christi Dei nostri celebrare, &c.

His verbis Heraclius, meo judicio, Computum suum Paschalem commendat, utpote patrum Nicænorum placitis conformem, qui Enneadecaëteridem Alexandrinorum, & Lunas XIVᵃˢ in ea constitutas, si non expresse, saltem tacite approbaverant, dum Patriarchæ Alexandrino demandaverant, ut quotannis Pascha per literas indiceret.

Et præterea his verbis, meo judicio, Computum suum Paschalem contradistinguit a Computo illorum, quos Maximus ἐξαπλούντας & πενταπλούντας vocat, qui labem, quam Alexandrinorum Enneadecaëteris lapsu temporis contraxerat, animadvertentes, novum & accuratiorem Lunæ XIVᵃᵉ venditabant, & introducere volebant calculum: quem Imperator eo ipso, utpote non juxta, sed contra Ecclesiasticam traditionem, rejicit.

XXXII.

De Computo Solari, & de Cyclo Solis, atque Epactis, Heraclii Imperatoris, Observationes secundæ.

XXXIII.

De Æra, qua utitur Heraclius.

Heraclius utitur Ærâ Indictionum, connexa cum annis Imperii ejus. Vide supra, §° 24.

XXXIV.

XXXIV.

De Æræ ejus anno primo.

Æræ ejus annus primus eſt Indictio 1ª, connexa cum Imperii ejus anno 3°.

Vide ſupra, §° 24.

XXXV.

De initio ſingulorum annorum in Æra Heraclii.

Anni in Æra Heraclii omnes & ſinguli ineunt, more Græcorum, una cum Indictione Conſtantinopolitana, a Kalendis Septembris.

Vide ſupra, §° 25.

XXXVI.

Quotus poſt annum Biſſext. ſit Æræ Heraclii annus 1ᵘˢ.

Annus Æræ Heraclii 1ᵘˢ, iniens a Kal. Septemb., eſt ab anno Biſſextili proxime transacto primus annus.

Vide ſupra §° 24. 9. 11.

XXXVII.

A qua Septimanæ Feria ineat Æræ Heraclii annus 1ᵘˢ.

Annus Æræ Heraclii 1ᵘˢ, iniens a Kal. Septemb., init a Feria VIª.

Vide ſupra, §° 12.

XXXVIII.

Quotus ab anno intercalari ſit annus Alexandrinorum, qui cum anno Æræ Heraclii 1° concurrit.

Annus Alexandrinorum, qui cum anno Æræ Heraclii 1° concurrit, eſt apud Alexandrinos, ab anno intercalari, dierum 366, ſecundus annus.

Vide ſupra, §° 26. 9. 11.

XXXIX.

XXXIX.

A qua Feria ineat annus Alexandrinus qui cum anno Æræ Heraclii 1° concurrit.

Annus Alexandrinorum, qui cum Æræ Heraclii anno 1° concurrit, utpote iniens, tribus ante Septembrem diebus, in die Augusti 29°, init a Feria III^a.

Vide supra, §° 26.

XL.

De concursu Æræ Heraclii cum Æra Christi Vulgari.

labente	init &	concurrit cum
Æræ Christi Vulg.	Æræ Heraclii	Æræ Christi Vulg.
anno	annus	anno
612°. BA.	1^{us} a Septemb.	*613°. G.*

XLI.

De concursu Æræ Heraclii cum Æra Diocletianea.

labente	init
Æræ Diocletianeæ	Æræ Heraclii
anno	annus
329°, ab Aug. 29°.	1^{us} a Septemb. 1°.

XLII.

De concursu Æræ Heraclii cum Æra M. Aniani & Panodori.

labente	init
Æræ illorum Mundanæ	Æræ Heraclii
anno	annus
6105°, ab Aug. 29°.	1^{us}, a Sept. 1.
qui est	

Periodi XII^a, annus 253^{us},
Cycli Solis 1^{us}, Lunæ 6^{us}.

XLIII.

Heraclii Methodus ad inveniendum Epactas Solis.

Regulæ hujus Methodi ſunt:

1ª, Sume numerum annorum, qui a 1ª Indictione, anni 3tii Imperii Heraclii, incluſive, uſque ad annum datum incluſive, colliguntur.

2ª, Cape hujus numeri quartam partem, eamque adjice.

Nota, hujus diviſionis Reliquum indicare, quotus ab anno Biſſextili, dierum 366, proxime tranſacto, ſit annus in Æra Heraclii datus.

3ª, Ab hac ſumma collecta aufer unitatem.

4ª, Hoc reliquum, quod, dempta unitate, remanet, divide per Septenarium, ſeu ab eo aufer Septenarios.

Numerus, qui ablatis Septenariis relinquitur, exprimit, quot ſint Epactæ anni dati.

Sit

e. Numerus annorum a 1ª Indictione anni 3tii Imperii Heraclii uſque ad annum datum *excluſive* elapſorum.

e + 1. Numerus annorum a 1ª Indictione anni 3tii Imperii Heraclii, uſque ad annum datum *incluſive*.

f. Quotiens numeri e + 1 per quaternarium diviſi.

n. Numerus Septenariorum auferendorum.

Sume Numerum . . . $e + 1$

Numerum $e + 1$ divide p. 4 erit Quotiens . . f Quarta pars.

Reliquum $e + 1 - 4f$ ſumma $e + 1 + f$

aufer unitatem 1

Reliquum $e + f$

divide per 7 Quotiens n.

Reliquum $e + f \div 7n$ erit ipſe numerus Epactalis.

Confer Diſſertationem noſtram de Computo Solari in genere.

XLIV.

XLIV.

Exemplum primum.

Quæritur, quot ſint Epactæ anni Indictionis VII[æ], hoc eſt, anni 7[mi] in Æra Heraclii

Sume annos a 1[a] Indictione uſque ad VII[am] *incluſive*, qui ſunt $7 \infty e + 1$

Numerum $7 \infty e + 1$ divide per 4 ⁄ Quotiens $1 \infty f$

Reliquum $3 \infty e + 1 - 4f$

adeoque annus in Æra Heraclii 7[us] eſt *tertius a Biſſextili.*

ſumma $8 \infty e + 1 + f$

aufer unitatem . . . $1 \quad 1$

Reliquum $7 \infty e + f$

divide per 7 ⁄ Quotiens $n \infty 1$ v̄ 0

Reliquum $0.\ 7 \infty e + f \div 7n$

Epactæ anni 7[mi] Æræ Heraclii.

XLV.

Exemplum alterum.

Quæritur, quot ſint Epactæ anni Indictionis XI[æ], hoc eſt, anni 11[mi] in Æra Heraclii.

Sume annos a 1[a] Indictione uſque ad XI[am] Indictionem *incluſive*, qui ſunt $11 \infty e + 1$

Numerum $11 \infty e + 1$ divide per 4 ⁄ Quotiens $2 \infty f$

Reliquum $3 \infty e + 1 - 4f$

adeoque annus in Æra Heraclii 11[us] eſt *tertius a Biſſextili.*

ſumma $13 \infty e + 1 + f$

aufer unitatem . . . $1 \quad 1$

Reliquum $12 \infty e + f$

divide p. 7 ⁄ Quotiens $1 \infty n$

Reliquum $5 \infty e + f - 7n.$

Epactæ anni 11[mi] Æræ Heraclii.

XLVI.

Ad Computum Epactalem §° 43, 44, 45, *propositum Observationes.*

1ª, Quia ad capiendam quartam partem, hoc eſt, ad inveniendum, quot dies intercalares in annis, ante annum datum elapſis, jam fuerint inſerti, numerum annorum ante annum datum elapſorum, qui eſt e, & in primo Exemplo, 6, in altero autem Exemplo, 10 prius unitate auget, & deinde per quaternarium dividit, hinc patet annum, qui in Computo Heraclii primus eſt, *ſecundum* eſſe ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto. Vide Diſſertationem noſtram de Computo Solari in genere, §° 12, 13, 28.

Unde porro ſequitur

a. Annum, qui in Computo Heraclii Solari primus eſt, non eſſe annum Romanum, more Græcorum a Kal. Sept. ineuntem, & in menſe Februario diem Biſſextilem recipientem: nam annus Æræ Heraclii primus, non eſt *ſecundus*, ſed *primus* ab anno Biſſextili, dierum 366, proxime transacto.

b. Sed annum, qui in Computo Heraclii Solari primus eſt, eſſe annum Alexandrinum, a menſe Thoth ineuntem, qui cum Æræ Heraclii anno primo concurrit: nam ille annus Alexandrinus, iniens a Thoth, cujus primus dies cadit in Auguſti diem 29ᵘᵐ, eſt apud Alexandrinos *ſecundus* ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto.

2ª, Sumit quidem numerum annorum uſque ad datum *incluſive* collectorum eumque cum quarta parte in unam ſummam congregat: cum natura rei poſtulet, ut, anno dato excluſo, pro unoquoque anno, ante annum datum elapſo, unum diem ſumat, & quartæ parti adjiciat: Sed, quia ab illa ſumma ſemper unitatem aufert, res eodem redit, nam dies ille, ultra debitum additus, hoc modo iterum aufertur. Vide Diſſert. noſtram de Computo Solari in genere.

XLVII.

XLVII.

Observatio 1ª, proposita §° 46, confirmatur.

Quærantur, juxta Methodum Heraclii, Epactæ anni 1^{mi}, 2^{di}, 3^{tii}, 4^{ti}, & 5^{ti} Æræ Heraclii.

Inveniuntur

anni	Epactæ	
1^{mi}	o	
2^{di}	I	
3^{tii}	II	intercalaris, dierum 366.
4^{ti}	IV	
5^{ti}	V	

& sic porro.

Hic vides Epactas anni 4^{ti} binario crescere, unde patet annum, qui in Computo Heraclii Solari 3^{us} est, fuisse intercalarem, dierum 366; ac proinde annum, qui in Computo primus est, non esse primum, sed secundum ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto.

Quærantur Methodo ordinaria Epactæ anni 1^{mi}, 2^{di}, 3^{tii}, 4^{ti}, 5^{ti} Æræ, qualis Heraclii est.

Cujus annus primus est quoque primus ab anno Bissextili, dierum 366, proxime transacto.

Inveniuntur

anni	Epactæ	
1^{mi}	o	
2^{di}	I	
3^{tii}	II	
4^{ti}	III	Bissextilis, dierum 366.
5^{ti}	V	

Hic vides Epactas anni 5^{ti} binario crescere: unde patet annum, hujus Æræ 4^{um}, qui etiam in Computo 4^{us} annus est, fuisse intercalarem, dierum 366, non autem annum 3^{um}, ut in præcedenti Schemate.

Et ex collatione hujus Schematis cum præcedenti patet, Epactas, quæ juxta Heraclii Methodum inveniuntur, non esse accommodatas ad annum

Romanum, more Græcorum a Septembri ineuntem; ſeu annum, qui in Computo Heraclii Solari primus eſt, non eſſe annum Romanum, more Græcorum a Septembri ineuntem.

Quærantur, Methodo ordinaria, Epactæ anni 1^{mi}, 2^{di}, 3^{tii}, 4^{ti} & 5^{ti} Æræ, in qua obtinent anni, more Alexandrinorum a menſe Thoth ineuntes, & cujus annus primus, concurrens cum Æræ Heraclii anno primo, eſt ſecundus ab anno apud Alexandrinos intercalari, dierum 366 proxime transacto.

Inveniuntur

anni	ineuntis	Epactæ	
1^{mi}	ab Aug. 29°	o	
2^{di}	ab Aug. 29°	I	
3^{tii}	ab Aug. 29°	II	intercal. dierum 366.
4^{ti}	ab Aug. 30°	IV	
5^{ti}	ab Aug. 29°	V	

Hic vides plane eodem modo, ac in Schemate primo, Epactas anni 4^{ti} binario creſcere, ac proinde annum 3^{um} fuiſſe annum intercalarem dierum 366, & per conſequens annum 1^{um} eſſe ſecundum ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto. Unde patet annum, qui in Computo Heraclii Solari primus eſt, eſſe annum Alexandrinum, ineuntem a menſe Thoth, & cum Æræ Heraclii anno primo concurrentem.

XLVIII.

De Cyclo Solis Heraclii.

Ex iis, quæ ſupra, §° 46, & 47, vidimus, (Confer §° 52 &c.) hæc conſectaria de Cyclo Solis Heraclii eliciuntur.

1°, Anni Cycli Solis Heraclii cum annis Æræ Heraclii concurrunt; primus enim annus Cycli Solis Heraclii concurrit cum Æræ ejus anno primo.

2°, Anni Cycli Solis Heraclii non ambulant pari paſſu cum annis Æræ Heraclii, hoc eſt non ineunt ab eodem anni die: nam anni Æræ Heraclii ineunt a Kalendis Septembris, anni vero Cycli Solis Heraclii ineunt

ineunt aliquot diebus ante Septembrem a menſis Ægyptii Thoth die 1°, ſive ab illo menſis Auguſti die, in quem menſis Thoth dies 1us incurrit.

3°, Anni Cycli Solis Heraclii & anni Æræ ejus differunt, non tantum, ut modo vidimus, ratione diverſi initii, ſed præterea etiam ratione ſitus diei intercalaris, qui diverſus eſt. Anni enim Cycli Solis Heraclii ſunt anni Alexandrini, qui habent diem intercalarem in fine anni adjectum, quem Alexandrini ſextam Epagomenam vocant, quique ſemper menſis Auguſti diem 29um occupat, quo fit ut annus, qui juxta Alexandrinos, annum intercalarem, qui habuit ſextam Epagomenam, & fuit dierum 366, immediate ſequitur, & primus ab anno intercalari eſt, ſemper ineat a menſis Auguſti die 30°, reliqui autem ab ejusdem menſis Auguſti die 29°. Anni vero Æræ Heraclii, a Septembri ineuntes, habent, more Romanorum, diem intercalarem menſi Februario inſertum VI Kal. Mart., unde Biſſextus vocatur, quia diem VI Kal Mart. bis numerant.

4°, Anni Cycli Solis Heraclii & anni Æræ ejus, diverſam ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto diſtantiam habent: quia, quando Alexandrini diem ſuum intercalarem jam receperunt in ultimo anni die, Auguſti 29°, & annus eorum, qui primus ab intercalari eſt, jam iniit ab Auguſti die 30°, Græci annum ſuum Biſſextilem ineunt a ſeq. Kal. Sept., & diem ſuum Biſſextilem demum recipient in ſequenti Februario.

5°, Annus Cycli Solis Heraclii primus init ab Auguſti die 29°, in quem menſis Thoth dies 1us eo anno incidit, tribus diebus ante Kal. Sept., a quibus annus Æræ Heraclii primus init; & quidem a Feria IIIa, eſtque ſecundus ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto.

6°, Cyclus Solis Heraclii habet annum Cycli 3um, 7um, 11um &c. intercalares dierum 366.

7°, Cycli Solis Heraclii annus 4us, 8us, 12us &c. ineunt ab Auguſti die 30°, in quem iis in annis menſis Thoth dies 1us incidit, duobus diebus ante Kal. Septemb. a quibus Æræ Heraclii anni ineunt. Quod etiam ex Computo Heraclii Epactali facile dignoſcitur, nam quando anni juxta Methodum Heraclii collecti, e + 1, diviſi per 4, nihil relinquunt, tum annus ille in Æra Heraclii datus eſt Biſſextilis, & annus Cycli Solis Heraclii, qui cum anno Æræ dato concurrit, eſt primus ab anno intercalari, adeoque init ab Aug. die 30°. Quod notandum.

8°, Cyclus Solis Heraclii habens hos characteres, plane convenit cum Cyclo Solis Pauli Alexandrini, Aniani & Panodori Monachorum Ægyptiorum, & Theophili Archiepiſcopi Alexandrini.

XLIX.

XLIX.

De Cyclo Epactarum Heraclii.

Ex iis, quæ ſupra, §° 46, 47, & 48, vidimus, hæc conſectaria de Epactis, & Cyclo Epactarum Heraclii, eliciuntur.

1°, Epactæ Heraclii ſunt Epactæ ſimplices & proprie dictæ. Vide Diff. noſtram de Computo Solari in genere §° 63, &c.

2°, Primus Cycli Solis annus habet Epactas nullas, vel quod eodem redit, VII. In primo primi Cycli Solis anno, qui cum primo Æræ Heraclii anno concurrit, Methodus ejus Epactalis expreſſe prodit Epactas, non VII ſed nullas: Sed in primo ſecundi Cycli Solis anno, qui cum 29° Æræ Heraclii anno concurrit, Methodus ejus Epactalis prodit Epactas vel nullas vel VII.

3°, Epactæ Heraclii in progreſſu ſuo hunc ordinem ſervant, ut Cycli Solis anno 4°, 8°, 12° &c. Binario creſcant.

4°, Epactæ Heraclii, licet non conſiderentur, ut Feriæ concurrentes, ſed ut dies adjectitii, tamen exprimunt Feriam concurrentem cum antepenultimo præcedentis anni Alexandrini die, qui in annis Communibus eſt Epagomena 3ª, ſive dies Aug. 26us, in intercalaribus vero Epagomena 4ª, ſive dies Aug. 27us. Confer §um 52 &c.

L.

Heraclii Methodus inveniendi ope Epactarum jam inventarum Feriam in quolibet die, cujuscunque anni in Ærâ ipſius.

Regulæ hujus Methodi ſunt

1ª, Epactis jam inventis adjice dies menſis datos, ὡς καὶ Ἀλεξανδρεῖς.

2ª, Numera a menſe Septembri incluſive, uſque ad menſem datum *incluſive* quot ſint menſes, & hunc numerum menſium duplatum ſummæ jam collectæ adjice.

3ª, Summam inde provenientem divide per Septenarium, ſeu ab ea aufer Septimanas completas ante diem datum elapſas.

Reliquum exprimet quota ſit Feria in die dato.

Regulæ

Regulæ 1ª explicatio

A. Quando dies datus cadit in annum qui in Æra Heraclii communis est,

Tum ad dies mensis datos adjice semper tres dies,

& præterea pro unoquoque mense 31 dierum, qui inter mensem Septembrem, & mensem datum intercurrunt, unum diem, demptis tamen, si mensis Februarius quoque intercurrit, duobus diebus.

B. Quando autem dies datus cadit in annum, qui in Æra Heraclii Bissextilis est,

Tum ad dies mensis datos adjice semper duos dies,

& præterea pro singulis mensibus 31 dierum, qui inter mensem Septembrem & mensem datum intercurrunt, unum diem, dempto tamen, si mensis Februarius quoque intercurrit, uno die.

L I.

Exemplum.

Quæritur, quota sit Feria in die 10° mensis Aprilis, anni 7mi, Æræ Heraclii: cujus anni Epactæ supra inventæ sunt VII.

Resume Epactas jam inventas . . .			7
Sume dies mensis Aprilis datos . . . :		10	
His adjice			
Quia annus 7mus Communis est . .	3		
& pro 4or mensibus 31 dierum . .	4		
demptis pro Februario	2		
Reliquum ——	2		
summa ——		5	
dies mensis dati, ὡς κατ' Ἀλεξανδρεῖς ——		15	
summa . .			22

A Septembri ad Aprilem inclusive numerantur menses 8.

Duplum itaque est	16
summa . .	38
divide per 7	
Reliquum	3 Feria.

Quæritur ut ſupra quota ſit Feria in die Aprilis 10, anni 8^{vi} Æræ Heraclii.

Epactæ anni 8^{vi} inveniuntur				2
Sume dies menſis Aprilis			10	
His adjice				
Quia annus 8 Biſſextilis eſt		2		
& pro 4^{or} menſibus 31 dierum . .	4			
dempto pro Februario	1			
Reliquum —	3			
ſumma —		5		
dies menſis dati, ὡς κατ' Ἀλεξανδρεῖς —			15	
ſumma . .			17	
adjice duplum menſium . . .			16	
ſumma . .			33	
divide per 7				
Reliquum 5 Feria.				

L I I.

Ad Computum Heraclii §° 50 & 51 propoſitum Obſervationes.

1^{a}, Quando, juxta Regulam 1^{am} ad dies menſis datos, qui hic ſunt, dies menſis Aprilis 10, adjiciuntur illæ προσθετέαι 5, tum illa ſumma 15 dierum, quæ terminatur in menſis Aprilis die 10°, init a die Martii 27°.

Atque hoc modo duo efficiuntur, quorum

Primum eſt, ut hæc ſumma 15 dierum ineat a primo die Aprilis Alexandrini, qui apud ipſos vocatur Pharmuthi.

Alterum eſt, ut a primo die Thoth ſeu ab illo die Auguſti, in quem dies primus Thoth incurrit, uſque ad diem Martii 27^{um} excluſive, numerentur præciſe menſes ſeptem, dierum XXX, hoc eſt dies 210.

Unde quam clariſſime patet Heraclium, annum Æræ ſuæ datum reducere ad annum Alexandrinum illi correſpondentem, & quotam menſis dati reducere ad quotam menſis Alexandrini, qui menſi dato correſpondet; adeoque annos in Cyclo Solis Heraclii eſſe Alexandrinos, & quæſtionem propoſitam ita reſolvi, ac ſi non dies Aprilis 10^{us} in anno Romano a Septembri ineunte, ſed dies Pharmuthi 15^{us} in anno Alexandrino, cum illo anno Romano concurrente, datus eſſet.

2^{a}, Quia juxta Regulam 2^{am}, numerat a Septemb. ad Aprilem, & pro

pro ſingulis menſibus dies 2 adjicit: hinc patet eum menſes, non Romanos, ſed Alexandrinos conſiderare, qui ſunt dierum XXX, & præter quatuor Septimanas completas, dies 2 ſuperfluos habent.

Quia autem, juxta eandem Regulam in hac numeratione menſium a Septembri ad Aprilem, non ut natura rei requirit, Aprilem excludens, ſeptem menſes numerat, ſed Aprilem includens, octo menſes numerat: hinc patet, eum præter duos illos dies in ſingulis menſibus Alexandrinis ante datum elapſis ſuperfluos, etiam duos adjicere Καθολικὰς, ſive Regulares: quæ duæ Catholicæ per compendium calculi, tacite in illo duplo menſium comprehenſæ, adjiciuntur.

Atque inde cognoſcimus annum illum Alexandrinum, qui in Cyclo Solis Heraclii primus annus eſt, inire a Feria III^{a}. Quare adjectione illarum duarum Catholicarum opus erat ut ſumma collecta ad diem Dominicam reduceretur.

3^{a}, Ex toto hoc Computo quam clariſſime patet Epactas Heraclii non affixas eſſe diei 17, 24, vel 31 Martii, ſed diei antepenultimo anni Alexandrini: quorſum enim alias illa numeratio a Septembri, illa adjectio dupli menſium a Septembri ad menſem datum numeratorum, & denique illa adjectio duarum Catholicarum, quæ in illo duplo menſium tacite comprehenduntur.

LIII.

Obſervationes §^{o} 52 propoſitæ illuſtrantur exemplo.

Quæritur quota ſit Feria in die 10^{o} menſis Septemb., anni 7^{mi} Æræ Heraclii.

Sume dies menſis datos	10		
adjice, quia annus 7^{us} Communis eſt . .	3		
ſumma . .	13		
adjice Epactas anni 7^{mi} . .	7	vel	0
ſumma	20	vel	13
Adjice duplum menſium a Septembri ad menſem datum incluſive: ſive adjice Catholicas duas . .	2		2
ſumma	22	vel	15
divide per 7			
Reliquum	1.		Feria.

Quæratur quota sit Feria in die 10^{o} mensis Septembris, anni 8^{vi}, Æræ Heraclii

Sume dies mensis datos 10
adjice, quia annus 8^{us} Bissextilis 2

summa . . 12

adjice Epactas anni 8^{vi} 2

summa . . . 14

adjice duplum mensium a Septembri ad mensem datum inclusive: sive adjice Catholicas duas 2

summa . . 16

divide per 7

Reliquum 2 Feria.

L I V.

Observationes, §° 52 propositæ, illustrantur alio Exemplo.

Quæritur, ut supra §° 51, quota sit Feria in die 10 Aprilis, anni 7^{mi} Æræ Heraclii.

Epactæ anni 7^{mi} jam inventæ sunt 7
Sume dies mensis Aprilis datos 10
Collige omnes dies a Sept. ad April. exclusive . 212
adjice ante Septemb. dies 3

summa dierum iniens ab Aug. 29° . . 215
aufer septem menses dierum XXX . . . 210

Reliquum —— 5

summa dierum iniens a Martii 27°, sive ab Aprili Alexandrino, qui vocatur Pharmuthi —— 15

summa . . 22

adjice pro unoquoque mense ablato dies 2, adeoque pro septem mensibus dies 14
adjice Catholicas, seu Regulares 2
erit duplum mensium a Septembri ad Aprilem inclusive — 16

summa . . 38

divide per 7

Reliquum 3 Feria.

Quæritur

Quæritur quota ſit Feria in die 10 Aprilis anni 8vi, Æræ Heraclii.

Epactæ anni 8vi inveniuntur			2
Sume dies menſis Aprilis datos			10
Colligę omnes dies a Septembri ad Aprilem excluſive, qui ſunt in anno 8°, quia Biſſ. eſt .	213		
adjice ante Septembrem dies . . .	2		
ſumma dierum iniens ab Aug. 30° . . .	215		
aufer ſeptem menſes dierum XXX . .	210		
Reliquum		5	
ſumma dierum iniens a Martii 27°, ſive ab Aprili Alexandrino, qui vocatur Pharmuthi			15
		ſumma	17
adjice pro 7 menſibus ablatis . .	14		
adjice Catholicas	2		
erit duplum menſium a Septembri ad Aprilem incluſive			16
		ſumma . .	33
		divide per	7 /
		Reliquum	5 Feria.

L V.

De Cyclo annorum Hebdomadicorum in Computo Heraclii.

In Computo Heraclii innexus eſt, æque ac in omni Computo Solari, Cyclus annorum Hebdomadicorum, hoc eſt Cyclus XXVIII annorum, qui omnes & ſinguli a die Dominica ineunt.

Annus Æræ Heraclii primus init
a Kal. Septembris (ut omnes reliqui)
a Feria VIa
eſtque primus poſt Biſſextilem.

Annus Cycli Solis Heraclii primus init
a primo die Thoth (ut omnes reliqui)
tribus ante Septembrem diebus,
a die Auguſti 29°,
a Feria IIIa
eſtque ſecundus poſt intercalarem.

Annus in Cyclo annorum Hebdomadicorum Heraclii primus, init
a Feria I[a] (ut omnes reliqui)
ab Epagomenâ 4[a]
a die Augusti 27°
duobus ante Thoth diebus.

Epactæ		annus Hebdom.	annus Solar. Alex.		annus a Sept. Solar. Græcor.	
VII.	o	Aug. 27	Aug. 29	Feria III	Feria VI	
	I	— 26	— 29	— IV	— VII	
	II *	— 25	— 29	— V *	— I	
	IV	— 24	— 30	— VII	— II	B.
	V	— 22	— 29	— I	— IV	
	VI	— 21 *	— 29	— II	— V	
VII.	o *	— 27	— 29	— III *	— VI	
	II	— 26	— 30	— V	— VII	B.
	III	— 24	— 29	— VI	— II	
	V	— 23	— 29	— VII	— III	
	V *	— 22 *	— 29	— I *	— IV	
VII.	o	— 28	— 30	— III	— V	B.
	I	— 26	— 29	— IV	— VII	
	II	— 25	— 29	— V	— I	
	III *	— 24	— 29	— VI *	— II	
	V	— 23	— 30	— I	— III	B.
	VI	— 21 *	— 29	— II	— V	
VII.	o	— 27	— 29	— III	— VI	
	I *	— 26	— 29	— IV *	— VII	
	III	— 25	— 30	— VI	— I	B.
	IV	— 23	— 29	— VII	— III	

& sic porro.

L V I.

De Computo Lunari, & de Cyclo Lunæ & Epactis Heraclii Imperatoris, Observationes secundæ.

L V I I.

De Æra, qua utitur Heraclius.

Heraclius utitur Æra Indictionum connexa cum Mauritii imperio.

L V I I I.

LVIII.

De Æræ ejus anno primo.

Æræ ejus annus primus est Indictio VII^{a} Mauritii Imperatoris.

Supponimus enim Æræ Heraclii annum 1^{um} esse quoque Cycli Lunæ annum 1^{um}.

In Methodo quidem Epactali computum suum ab VIII^{a} Indictione Mauritii deducit.

Sed hoc fit propter compendium calculi, quo artificiose utitur.

LIX.

De initio singulorum annorum in Æra Heraclii.

Anni in Æra Heraclii omnes & singuli ineunt more Græcorum, una cum Indictione Constantinopolitana, a Kalendis Septembris.

LX.

A qua Lunâ ineat annus 1^{us} in Æra Heraclii.

Annus in Æra Heraclii 1^{us} init a Luna V^{a} in Kalendis Septembris.

LXI.

A qua Luna ineat annus Alexandrinorum, qui cum Æræ Heraclii anno 1° concurrit.

Annus Alexandrinorum, qui cum Æræ Heraclii anno 1° concurrit, init a Luna II^{da} in mensis eorum Thoth die 1°, qui est Augusti dies 29^{us}.

L X I I.

De concurſu Æræ Heraclii cum Æra Chriſti Vulgari.

labente	init	& concurrit cum
Æræ Chriſti Vulg.	Æræ Heraclii	Æræ Chriſti Vulg.
anno	annus	anno
588^{o},	1^{us} a Sept.	589^{o}, Cycli Lunæ 1^{o}.
qui eſt	qui eſt quoque	qui eſt
Per. Jul.	Cycli Lunæ	Per. Jul.
5301^{us},	1^{us},	5302^{us}, Cycli Lunæ 1^{us}.

L X I I I.

De concurſu Æræ Heraclii cum Æra Diocletianæa.

labente	init
Æræ Diocletianææ	Æræ Heraclii
anno	annus
305^{o} ab Aug. 29^{o},	1^{us} a Sept. die 1^{o},
Cycli Lunæ	eſtque
anno 1^{o}.	Cycli Lunæ annus 1^{us}.

L X I V.

De concurſu Æræ Heraclii cum Æra Mundi Aniani & Panodori.

labente	init
Æræ illorum Mundanæ	Æræ Heraclii
anno	annus
6081^{o} ab Aug. 29^{o},	1^{us} a Sept. 1^{o},
qui eſt	eſtque
Periodi $XII^{æ}$, annus 229^{us},	Cycli Lunæ
Cycli Lunæ 1^{us}, Solis 5^{us}.	annus 1^{us}.

L X V.

Heraclii Methodus ad inveniendum Epactas Lunæ.

Regulæ hujus Methodi ſunt

1ª, Cape numerum annorum, ab VIIIª Indictione Mauritii *incluſive* uſque ad annum datum ſeu Indictionem datam *incluſive* collectorum.

2ª, Hunc numerum annorum collectorum divide per XIX.

3ª, Reliquum, quod ex hac diviſione remanet, multiplica per XI.

4ª, Productum hujus multiplicationis divide per XXX.

Reliquum, quod ex hac diviſione remanet, exprimit, quot ſint *Epactæ Lunæ* anni dati, ſeu *Indictionis datæ.*

Sit

e. Numerus annorum, ab VIIIª Indictione Mauritii *incluſive*, uſque ad annum datum, ſeu Indictionem datam *incluſive*, collectorum.

p. Quotiens numeri e per XIX diviſi.

w. Reliquum, quod ex hac diviſione numeri e per XIX, remanet.

r. Numerus tricenariorum auferendorum, ſeu quotiens numeri 11 w per XXX diviſi.

Cape itaque numerum e
divide eum per 19 ⁄ Quotiens p.
erit Reliquum e ∸ 19 p ∞ w
Multiplica per 11
erit productum 11 w
divide illud per 30 ⁄ Quotiens r
adeoque Reliquum 11 w ∸ 30 r. erit
ipſe *numerus Epactalis.*

L X V I.

Exemplum primum.

Quæritur quot ſint Epactæ, XIª Indictione Heraclii, anno Imperii ejus 13°.

Ab VIII^a^ Indictione Mauritii *inclusive*, usque ad hanc XI^am^ Indictionem Heraclii *inclusive*, colliguntur anni 34 ∞ e.

Cape Numerum 34 ∞ e
divide eum per 19 / Quotiens 1 ∞ p. 19 p ∞ 19.
Reliquum 15 ∞ e ÷ 19 p ∞ w
Multiplica per 11
15
15
productum 165 ∞ 11 w
divide per 30 Quotiens 5 ∞ r. 150 ∞ 30 r
Reliquum 15 ∞ 11 w ÷ 30 r.
Epactæ hujus *XI^æ^ Indict. Heraclii.*

LXVII.

Exemplum secundum.

Quæritur quot sint Epactæ in ipsa VIII^a^ Indictione Mauritii.
Ab VIII^a^ Indictione Mauritii *inclusive* colligitur hic annus 1 ∞ e.

Cape Numerum 1 ∞ e.
divide eum per 19 / Quotiens 0 ∞ p. adeoque 0 ∞ 19 p.
Reliquum 1 ∞ e ÷ 19 p ∞ w.
Multiplica per 11
productum 11 ∞ 11 w.
divide per 30 / Quotiens 0 ∞ r. adeoque 0 ∞ 30 r.
Reliquum 11 ∞ 11 w ÷ 30 r.
Epactæ VIII^æ^ Indictionis Mauritii.

LXVIII.

Exemplum tertium.

Quæritur quot sint Epactæ XV^a^ Indictione Heraclii, anno Imperii ejus 17°.

Ab

Ab VIII^a Indictione Mauritii *inclusive*, usque ad hanc XV^am Indictionem Heraclii *inclusive*, colliguntur anni 38 ∞ e.

Cape Numerum 38 ∞ e.
divide eum per 19 / Quotiens 2 ∞ p. adeoque 38 ∞ 19 p.
Reliquum 0 ∞ e ÷ 19 p ∞ w.
Multiplica per 11
productum 0 ∞ 11 w.
divide per 30 / Quotiens 0 ∞ r. adeoque 0 ∞ 30 r.
Reliquum 0 ∞ 11 w ÷ 30 r.

Epactæ hujus *XV^æ Indictionis Heraclii.*

LXIX.

VII^am Indictionem Mauritii esse Heraclio Cycli Lunæ annum 1^um, probatur.

Hoc ex Heraclii Computo Epactali quam clarissime patet. Nam

1°, Ex Exemplo tertio, quod supra §° 68 vidimus, patet annum ab VIII^a Indictione Mauritii 38^um *nullas* habere *Epactas*, adeoque esse Cycli Lunæ annum 1^um. Hoc enim Cycli Lunæ anno 1° proprium est, & ex natura Epactarum simplicium & proprie dictarum (quales Heraclii sunt) profluit. Si autem annus ab VIII^a Indictione Mauritii 38^us est Cycli Lunæ annus 1^us, sequitur etiam annum, qui VIII^am Indictionem Mauritii proxime præcedit, hoc est, annum VII^æ Ind. Mauritii esse Cycli Lunæ annum 1^um.

2°, Ex Exemplo secundo, quod supra §° 67 vidimus, patet, annum ipsum VIII^æ Indict. Mauritii *Epactas* habere *XI*, adeoque esse Cycli Lunæ annum 2^um. Hoc enim Cycli Lunæ anno 2° proprium est, & ex simplici anni Lunaris dierum 354 cum anno Solari dierum 365 comparatione dignoscitur. Si autem annus VIII^æ Ind. Mauritii est Cycli Lunæ 2^us, per se patet annum VII^æ Indict. Mauritii esse Cycli Lunæ annum 1^um.

3°, Ex ipsa Methodo Heraclii ad inveniendum Lunæ Epactas, quam supra §° 65° proposui, & deinde tribus Exemplis illustravi, patet, illud Reliquum e ÷ 19 p (quod undecuplatur, seu per XI multiplicatur)

catur) non exprimere annum Cycli Lunæ labentem, ſed annos ante annum Cycli Lunæ labentem, cujus Epactæ quæruntur, elapſos ſeu annum Cycli Lunæ labentem, uno dempto. (Hoc enim ipſa natura Computi Epactalis requirit.) Unde ſequitur, numerum illum e ÷ 19 p, qui in Exemplo primo eſt 15, utpote anno Cycli Lunæ labente unitate minorem, indicare annum ab VIII^a^ Indictione Mauritii 34^um^ eſſe Cycli Lunæ annum 16^um^, & per conſequens annum VII^a^ Indict. Mauritii eſſe Cycli Lunæ annum 1^um^.

L X X.

Æram Heraclii inire a VII^a^ Indict. Mauritii, probatur.

Cum ipſe Heraclii Computus Epactalis prodat VII^am^ Indictionem Mauritii Heraclio eſſe Cycli Lunæ annum 1^um^, ut vidimus ſupra §° 69.

Merito inde concludimus, Æram Heraclii, una cum ejus Cyclo Lunæ, revera inire a VII^a^ Indictione Mauritii.

Hoc enim naturale & congruum eſt, ut in Æra, cui Cyclus Lunæ innexus eſt, annus Æræ 1^us^ ſit quoque annus Cycli Lunæ 1^us^; præſertim cum ſit Æra pro lubitu aſſumpta.

Unde etiam in Æra Heraclii, cui Cyclus Solis innexus eſt, Æræ illius annus 1^us^, eſt quoque Cycli Solis 1^us^, ut ſupra vidimus.

L X X I.

Quæritur cur Heraclius in computo Epactali, computum ſuum deducat ab VIII^a^ Ind. Mauritii.

Poſito, quod Heraclii Æra a VII^a^ Ind. Mauritii ineat, merito quæritur, cur Heraclius in Methodo ſua ad inveniendum Epactas Lunæ, in collectione annorum, numerationem non a VII^a^, ſed ab VIII^a^ Indictione Mauritii deducat.

Ad hanc quæſtionem reſpondeo, Heraclium hoc facere propter compendium calculi, quo artificioſe utitur.

Quod patebit, ſi Methodus ad inveniendum Epactas Lunæ ordinaria, ejusque modus duplex, cum hac Heraclii Methodo conferatur.

LXXII.

LXXII.

Quæratur, quot sint Epactæ XIa Indict. Heraclii, anno Imperii ejus 13, juxta modum primum in Methodo ordinaria.

A VIIa Indictione Mauritii *inclusive*, usque ad hanc XIam Heraclii *inclusive*, colliguntur 35 anni.

Adeoque annus in Æra Heraclii datus, cujus Epactæ quæruntur, est numero 35us.

Cape Numerum anni dati 35 ∞ e + 1
divide eum per 19 / Quotiens 1 ∞ p.
Reliquum erit e + 1 ÷ 19 p ∞ 16, annus Cycli labentis.
deme 1 1
Reliquum e ÷ 19 p ∞ 15 ∞ w. annus Cycli labentis, uno dempto.
Multiplica per 11
15
15
165 ∞ 11 w
divide per 30 / Quotiens 5 ∞ r
Reliquum 15 ∞ 11 w ÷ 30 r
Epactæ hujus *XIæ Ind. Heraclii.*

In hoc primo modo

Sumitur numerus omnium annorum, ab Æræ anno 1° usque ad annum datum *inclusive*.

Hunc numerum dividunt per XIX, & eo ipso ab hoc numero auferunt omnes Lunæ Cyclos elapsos.

Adeoque Reliquum, quod ex hac divisione remanet, exprimit annum Cycli Lunæ labentis, seu numerum omnium annorum a Cycli Lunæ labentis anno 1° usque ad annum datum *inclusive*.

Ab hoc Reliquo demunt unitatem, adeoque numerus e ÷ 19 p, qui, dempta illa unitate, remanet, exprimit annum Cycli labentis uno dempto, seu numerum annorum a Cycli Lunæ labentis anno 1° usque ad annum datum *exclusive*, seu numerum annorum, in Cyclo Lunæ labente, ante annum datum elapsorum.

Hunc numerum undecuplant, hoc eſt, pro unoquoque anno, in Cyclo Lunæ labente, ante annum datum elapſo, ſumunt XI dies.

Denique numerum 11 w dividunt per XXX, & eo ipſo ab hoc numero auferunt omnes menſes Embolimæos in annis Cycli labentis, ante annum datum elapſis, inſertos.

L X X I I I.

*Quæratur, quot ſint Epactæ XI*ª *Ind. Heraclii, anno Imperii ejus* 13°, *juxta modum ſecundum in Methodo ordinaria.*

A VIIª Indictione Mauritii *incluſive*, uſque ad hanc XIªᵐ Heraclii *incluſive*, colliguntur anni 35.

Adeoque annus in Æra Heraclii datus, cujus Epactæ quæruntur, eſt numero 35ᵘˢ.

Cape Numerum anni dati, uno dempto

Numerus anni dati eſt 35 ∞ e + 1
deme 1 — 1

Numerus anni dati, uno dempto eſt 34 ∞ e
divide eum per 19 / Quotiens 1 ∞ p.
Reliquum 15 ∞ e ÷ 19 p ∞ w. annus Cycli labentis, uno dempto.
Multiplica per 11

15
15

165 ∞ 11 w
divide per 30 / Quotiens 5 ∞ r.
Reliquum 15 ∞ 11 w ÷ 30 r.

Epactæ hujus *XI*ª *Indictionis Heraclii.*

In hoc ſecundo modo

Sumitur Numerus annorum ab Æræ anno 1° uſque ad annum datum *excluſive*.

Hunc Numerum dividunt per XIX, & eo ipſo ab hoc Numero auferunt omnes Cyclos Lunæ elapſos.

Adeoque Reliquum e ÷ 19 p ∞ w, quod ex hac diviſione remanet, exprimit

exprimit annum Cycli Lunæ labentis, uno dempto, ſeu Numerum annorum, a Cycli Lunæ anno 1° uſque ad annum datum *excluſive*, ſeu Numerum annorum, in Cyclo Lunæ labente, ante annum datum elapſorum.

Hunc Numerum undecuplant, hoc eſt, pro unoquoque anno, in Cyclo Lunæ labente, ante annum datum elapſo, ſumunt XI dies.

Denique Numerum 11 w dividunt per XXX, & eo ipſo ab hoc Numero auferunt omnes menſes Embolimæos, in annis Cycli labentis, ante annum datum elapſis, inſertos.

LXXIV.

Quæritur in quo conſiſtat illud artificium, quo Heraclius in Computo ſuo utitur.

Artificium Heraclii elucet, ſi Computus Heraclii cum modo ſecundo in Methodo ordinaria conferatur.

Heraclii enim Computus cum hoc Computo ordinario revera coincidit.

Sumit enim revera numerum anni dati, uno dempto.

Sed in eo Heraclii artificium conſiſtit, quod non, ut Methodus ordinaria facit, ipſum annum datum, qui, hoc in caſu, eſt XIª Ind. Heraclii, *excludat*, ſed contra, annum ipſum datum *includens*, annum Æræ 1um qui eſt VIIª Ind. Mauritii, *excludat*: & ſic tacite a Numero anni dati unitatem demat, dum omiſſo anno VIIæ Ind. Mauritii, collectionem annorum ab VIIIª Ind. Mauritii inchoat, & ad annum datum, qui hoc in caſu eſt XIª Ind. Heraclii, *incluſive*, prorogat.

LXXV.

Heraclii artificium nullum in calculo errorem infert.

Res enim in calculo eodem redit;

Numerus enim annorum, qui ab VIIIª Ind. Mauritii uſque ad annum datum *incluſive* colliguntur, ſemper æqualis eſt numero annorum, qui a VIIª Ind. Mauritii uſque ad annum datum *excluſive* colliguntur.

Quod

Quod & hoc modo probatur:

Sit

c. Juxta Heraclium, Numerus annorum ab VIII Ind. Mauritii, usque ad annum datum *inclusive.*

Addatur unitas, erit

c + 1. Numerus annorum a VII^a Ind. Mauritii, usque ad annum datum *inclusive*. Dematur unitas: erit

c. Quoque Numerus annorum a VII^a Ind. Mauritii usque ad annum datum *exclusive*.

LXXVI.

De Compendio Calculi quod ex hoc artificio nascitur.

Compendium calculi, ex hoc artificio natum, in eo consistit,

Quod Heraclius in suo Computo non opus habeat:

Primo annos omnes a VII^a Ind. Mauritii usque ad annum datum inclusive colligere.

Et deinde ab hac summa annorum collectorum, unitatem auferre.

Ut habeat Numerum anni dati, uno dempto

Sola enim collectio annorum ab VIII^a Indictione Mauritii hoc ipsi præstat.

LXXVII.

De Cyclo Lunæ Heraclii.

Cyclus Lunæ Heraclii plane conformis est Enneadecaëteridi Alexandrinorum, sive est ipsa Enneadecaëteris Alexandrinorum ad annum Romano-Græcorum, a Kalendis Septembris ineuntem, & ad dies mensium Romanorum applicata.

Quod ex Heraclii Methodo ad inveniendas Lunas XIV^as Paschales probari potest.

In specie observo sequentia:

1°, Cycli Lunæ Heraclii annus 1^us est quoque Enneadecaëteridis Alexandrinorum annus 1^us.

Quod ex concursu Æræ Heraclii cum aliis Æris patet. Nam VII^a Indictio Mauritii, quæ Cycli Lunæ Heraclii annus 1^us est, decurrens, utpote

utpote Indictio Constantinopolitana, a Septembri, procul dubio concurrit cum Æræ Diocletianææ anno 305° qui est Enneadecaëteridis Alexandrinorum annus 1[us].

2°, Anni omnes & singuli in Cyclo Lunæ Heraclii ineunt a Luna Kalendis Septembris proxima, quemadmodum etiam omnes & singuli anni in Enneadecaëteride Alexandrinorum ineunt a Lunâ Kalendis mensis eorum Thoth proximâ.

Cum enim anni in Æra Indictionum Constantinopolitanarum, qua utitur Heraclius, ineant a Kalendis Septembris, merito inde concludimus etiam annos in Cyclo Lunæ Heraclii, huic Æræ innexo, inire a Luna Septembris: præsertim, si cogitemus annos in Cyclo Solis Heraclii inire paucis diebus ante Septembrem, a mensis Alexandrinorum Thoth die 1°.

3°, Annus in Cyclo Lunæ Heraclii 1[us], æque ac annus in Enneadecaëteride Alexandrinorum 1[us] ineunt ambo a Luna, quæ nascitur in die mensis Augusti 28°, qui ab Alexandrinis vocatur Epagomena 5[a], & quæ in Kalendis Thoth, seu die Augusti 29°, II[da], & in Kalendis Septembris V[a] est.

Hoc enim patet ex Regularibus VIII, quibus in Methodo sua ad inveniendas Lunas XIV Paschales Heraclius utitur. Illæ enim VIII Regulares produnt Lunam VIII[am] in Februarii die ultimo, seu 28°, & præsupponunt Neomeniam in Februarii die 21°, in Cycli Lunæ Heraclii anno 1°. A die autem mensis Augusti 28° inclusive, usque ad sequentis Februarii diem 21[um] exclusive, numerantur præcise dies 177, qui faciunt præcise sex menses Lunares, quorum tres Pleni, dierum 30, tres vero Cavi, dierum 29, sunt. Ergo Lunatio 1[a] in Cycli Lunæ Heraclii anno 1°, init in die Augusti 28°.

4°, In Cyclo Lunæ Heraclii, æque ac in Enneadecaëteride Alexandrinorum, anni 1[mi] Lunatio 1[a] Plena est, dierum 30.

Nam in Methodo ad inveniendum Lunas XIV[as] Paschales, qua Heraclius utitur, clare supponitur, Lunationem anni 7[am], non tantum in Cycli Lunæ anno 1°, sed etiam in reliquis omnibus, esse Plenam, quod præsupponit Lunationem anni 1[am], non tantum in Cycli anno 1°, sed etiam in reliquis omnibus esse Plenam.

Præterea in eadem Methodo, in Cycli Lunæ anno 1°, qui *nullas* habet *Epactas*, jubet Heraclius ad VIII Regulares adjicere XXXVI, ut Numerus XLIV dierum compleatur, & dicit eo in anno, XIV[am] Lunæ cadere in Aprilis diem 5[um]. Unde patet, Lunam, quæ eo in

 anno

anno nascitur in Februarii die 21°, extingui in Martii die 22°, & esse Plenam, dierum 30; & Lunam Paschalem nasci in die sequenti Martii 23°, & XIV^am^ hujus Lunæ cadere in Aprilis diem 5^um^. Cum autem illa Lunatio, quæ Cycli anno 1° init in Februarii die 21°, sit Lunatio anni 7^a^, & Plena, sequitur etiam eam Lunationem, quæ in anno Cycli 1° init, in præcedentis Augusti die 28°, & Luna anni 1^a^ est, esse Plenam.

5°, In Cyclo Lunæ Heraclii & in Enneadecaëteride Alexandrinorum, iidem anni sunt Embolimæi, mensium XIII, & idem situs est mensium Embolimæorum, dierum XXX, immediate scilicet ante mensem Paschalem.

Quod ex eadem Methodo, qua Heraclius utitur, ad inveniendum Lunas XIV^as^ Paschales videre licet. Vide supra.

Exempli gratia, in anno Cycli Lunæ Heraclii 3°, Lunatio anni 7^a^ init in Januarii die 30°, & terminatur, utpote plena, in Februarii die 28°. Methodus Heraclii prodit XIV^am^ Lunæ, anno Cycli 3°, in Aprilis die 13°, adeoque Neomeniam Paschalem in Martii die 31°. Inter Lunationem autem anni 7^am^, ex ordine plenam, quæ in Februarii die 28° terminatur, & mensem Paschalem, qui in Martii die 31 init, interjacet spatium mensis pleni, dierum XXX, pro mense Embolimæo hic inserto, qui constituit Lunationem hujus anni 8^am^, extra ordinem plenam.

LXXVIII.

De Epactis Lunæ Heraclii & Cyclo Epactali.

Quemadmodum Cyclus Lunæ Heraclii Enneadecaëteridi Alexandrinorum plane conformis est, ita quoque Cyclus Epactalis Heraclii Cyclo Epactali Alexandrinorum plane conformis est. Posterius enim est consequens prioris.

In specie observo sequentia:

1°, Epactæ quæ juxta Heraclii Methodum inveniuntur, æque ac Epactæ Alexandrinorum, sunt Epactæ simplices & proprie dictæ.

2°, Epactæ Heraclii affixæ sunt diei Augusti 27°, & exprimunt ætatem Lunæ in illo die. Sic etiam Epactæ Alexandrinorum eundem diem Augusti 27^um^, qui ipsis IV^a^ Epagomena vocatur, occupant.

3°, Epactæ

3°, Epactæ Heraclii, æque ac Alexandrinorum, hunc ordinem & progressum servant

Æræ Diocl. annus	Æræ Heraclii annus	Cycli Lunæ annus	habet Epactas
305us	1us	1us	o
306us	2us	2us	XI
307us	3us	3us Emb.	XXII
308us	4us	4us	III
309us	5us	5us	XIV
310us	6us	6us Emb.	XXV
311us	7us	7us	VI
312us	8us	8us Emb.	XVII
313us	9us	9us	XXVIII
			& sic porro.

LXXXIX.

De Methodo Heraclii, ad inveniendam ætatem Lunæ in quolibet anni die.

Hanc Methodum in hoc suo scripto Heraclius non proponit: adeoque incertum est, qua Methodo ad ætatem Lunæ in quolibet anni die inveniendam, usus sit.

In Methodo ad Lunas XIVas Paschales inveniendas, utitur προσθεταῖς, seu Regularibus, sive Epactis menstruis mensis Martii, quæ sunt VIII, & exprimunt ætatem Lunæ in Februarii die 28°, in Cycli Lunæ anno 1°.

Si etiam in Computo ad ætatem Lunæ in quolibet anni die inveniendam, adhibuerit προσθετὰς, Regulares, seu Epactas menstruas mensium Romanorum; (quod tamen ex eo non sequitur) tum habuisset

pro mense	προσθετὰς
Septembri . .	IV
Octobri . . .	IV
Novembri . .	VI
Decembri . . .	VI
Januario . .	VIII
Februario . . .	IX
Martio . . .	VIII
Aprili . . .	IX

& sic porro.

 Et

Et tum procederet Computus hoc modo:

Ad Epactas anni dati, jam inventas . . a

Adjice προθέτας mensis Romani dati . . . b

Adde porro quotam hujus mensis datam . . c

ſumma ∞ a + b + c

Ab hac ſumma (quæ a Neomenia init) aufer omnes menſes Lunares, ante menſem Lunarem labentem, elapſos d

Reliquum erit Ætas Lunæ in die dato ∞ a + b + c ÷ d.

L X X X.

De Periodo magna, 532 annorum cui Cyclus Solis & Lunæ, & de Periodo maxima, 7980 annorum cui Cyclus Solis, Lunæ & Indict. Heraclii innexi ſunt.

L X X X I.

VII Indictio Mauritii eſt Heraclio Cycli Lunæ 1^us & Solis 5^us.

Quod VII^a Indictio Mauritii ſit Cycli Lunæ Heraclii annus 1^us, probavimus ſupra.

Quod eadem VII^a Ind. Mauritii etiam ſit Cycli Solis Heraclii annus 5^us, patet ex diſtantia, quæ eſt a VII^a Ind. Mauritii uſque ad 1^am Ind. Heraclii, anno Imperii ejus 3°, quæ eſt Cycli Solis Heraclii annus 1^us.

Diſtantia enim illa eſt, utroque termino incluſo, 25 annorum.

L X X X I I.

I^a Ind. Heraclii, anno Imperii ejus 3°, eſt Heraclio Cycli Solis 1^us, & Lunæ 6^us.

Quod 1^a Ind. Heraclii, anno Imperii ejus 3° ſit Cycli Solis Heraclii annus 1^us, vidimus ſupra.

Quod autem eadem illa 1^a Ind. Heraclii ſit quoque Cycli Lunæ Heraclii annus 6^us, patet ex eadem illa 25 annorum diſtantia.

LXXXIII.

VII Indictio Mauritii, quæ est Cycli Lunæ annus 1^us^ & Solis 5^us^, est quoque Periodi 532 annorum, annus 229^us^: & I^a^ Ind. Heraclii, anno Imperii ejus 3°, quæ est Cycli Solis annus 1^us^, & Lunæ 6^us^, est quoque Periodi, 532 annorum, annus 253^us^.

Hoc patet ex illa Methodo, quæ dato anno Cycli Solis & anno Cycli Lunæ, docet invenire, quotus ille Periodi 532 annorum, annus sit.

LXXXIV.

Annus Æræ Diocletianeæ 77^us^ est 1^us^ annus Periodi, 532 annorum, cui Cyclus Solis & Cyclus Lunæ Heraclii, & Alexandrinorum, innexi sunt.

Quod patet, quia VII Ind. Mauritii est Æræ Dioclet. annus 305^us^. & I^a^ Ind. Heraclii, anno Imperii ejus 3°, est ejusdem Æræ Dioclet. annus 329^us^.

LXXXV.

Detur Periodus 7980 annorum, quæ divisa per XV, dat Indictionem labente unitate minorem, erit talis annus, qui habet Indictionem labentem VII^am^, & præterea Cycli Lunæ annum 1^um^ & Solis 5^um^, hujus Periodi annus 6081^us^: & erit talis annus, qui habet Indictionem labentem 1^am^, & præterea Cycli Solis annum 1^um^, & Lunæ 6^um^, hujus Periodi annus 6105^us^.

Hoc patet ex illa Methodo, quæ dato anno Cycli Solis, Lunæ, & Indictionum, docet invenire, quotus ille Periodi, 7980 annorum, annus sit.

Sed memento, in usu hujus Methodi ita procedendum esse, ac si, in primo casu, non VII^a^ Ind. labens, sed VI^a^ Ind., labente unitate minor, & in altero casu, ac si non I^a^ Indict. labens, sed XV^a^ Ind., labente unitate minor, data esset.

LXXXVI.

Cyclus Solis & Lunæ Heraclii & Alexandrinorum, innexi ſunt, Æræ Mundi S. Maximi, Aniani, & Panodori.

S. Maximus enim in Computo ſuo Paſchali teſtatur, Æram ſuam Mundanam ita eſſe comparatam, ut diviſa per XV, prodat Indictionem, labente unitate minorem.

Præterea eadem illa Æra Maximi, diviſa per 28 & per 19, prodit Cycli Solis & Lunæ Heraclii & Alexandrinorum annum labentem.

Denique eadem illa Æra Maximi diviſa per 532, prodit Periodi 532 annorum labentis annum labentem.

Quæ omnia unusquisque experiri poteſt, ſi hujus Æræ annum 6081^{um}, & 6105^{um} per XV, XXVIII, XIX, & DXXXII dividat.

OBSERVATIONES
IN
MAXIMI MONACHI & MARTYRIS
COMPUTUM PASCHALEM.

I.

De Editione hujus Opusculi.

PEtavius hunc Maximi Computum primus & ſolus edidit; Græce cum verſione ſua; in Uranologio; Pariſ. 1630. in fol. p. 313—357.

Et eundem illuſtravit in Auctario Operis de Doctrina Temporum (quod Uranologio ſubjungitur) Lib. 8°.

II.

De Maximo hujus Computi Auctore.

Maximus, (inquit Cave) patria Conſtantinopolitanus, antiqua nobilitate ortus, natus eſt anno 580. Poſtquam omni diſciplinarum genere egregie excultus eſſet, ab Heraclio Imp. in aulam aſcitus eſt, regiis Com-

Commentariis conſcribendis operam dedit, Proto a ſecretis factus. Aulam deſeruit & in Monaſterium Chryſopolim dictum, prope Conſtantinopolim, ſeceſſit, cujus præfecturam ſuſcipere paulo poſt a Monachis coactus eſt. Cum vero hæreſin Monotheliticam in Oriente paſſim triumphare cerneret, & veritatem Catholicam indies peſſum ire ingemiſceret; præcipue vero Perſarum per omnia fere Orientis loca graſſantium metu, in partes Occidentales ſe ſubducere in animum induxit: *ante annum igitur* 640 in Africam profectus, Epiſcopis Africanis, ut contra Monothelitas ſtrenue decertarent, auctor fuit, iis & voce & exemplo præeuns. Anno 645 habita cum Pyrrho . . . diſputatione, hominem erroris convicit, ac duas in Chriſto voluntates eſſe demonſtravit. Eodem anno (645) Romam contendit . . . anno 649 Martinum Papam . . . ad Concilium Lateranenſe celebrandum impulit, & ipſe Concilio interfuit. Cum hæreticæ igitur, qua laborabat Conſtans Imp., labi adeo gnaviter reſiſteret Maximus, anno 655 Roma militari manu Conſtantinopolim abductus eſt, &c. Obiit in exilio anno 662. Cave in Hiſt. Lit. p. 322.

Du Pin in ejus Nova Bibliotheca Authorum Eccleſiaſticorum, Tom. 10. p. 23, dicit eum poſt Heraclii mortem, *anno Chriſti* 641 ſeceſſiſſe in Africam.

III.

De tempore quo hic Computus ſit ſcriptus.

Maximus hunc Computum ſcripſit anno Æræ ſuæ Mundanæ 6133°, Indictione XIV^{a}, anni Heraclii 31^{mi}, labente adhuc, juxta Maximum, Cycli Lunæ anno XIV, Solis vero XXVIII. ut patet ex Partis 1^{æ} C. 17. 19. 20. 21. 32. & Partis 3^{æ}, C. 9.

anno Chriſti		anno Mundi	
610°	. .	6103°,	Heracl. Imperium init, Oct. die 5°, Feria II^{a}.
640°	. .	6133°,	incipit Ind. XIV^{a} a Sept., una cum anno Mundi.
640°	. .	6133°,	incipit Heraclii annus 31^{us}, ab Octob. die 5°.
641°	. .	6133°,	Heraclius obiit Februarii die 11mo, Dominicâ.

Pagi

Pagi in Critica ad annum Chriſti 610, de initio Imperii Heraclii, ex Chronico Paſchali; & ad annum Chriſti 641, de ejus obitu ex Nicephoro, qui dicit eum imperaſſe menſes 4, & dies 6, ultra annos 30, & ex Chronico Orientali, in quo dicitur eum obiiſſe die Dominica.

Nam ſi quinque dies e Februario ſumas, ad ſupplendos dies fere quinque, qui in Octobri ante ejus coronationem tranſierunt, coronatus enim eſt Octobris die 5° ad veſperam, habebis 4^or^ menſes, Octobris, Novembris, Decembris, Januarii, plenos, & 6 præterea dies.

Annus Mundi, juxta Maximum 6133^us^ concurrit a Septembri cum anno Chriſti 640°, a ſequenti autem Januario cum anno Chriſti 641°.

Scripſit itaque Maximus hunc Computum vel anno Chriſti 641° ineunte, ante Februarii diem 11^um^, quo Heraclius obiit, vel potius, ut mihi nunc videtur, anno Chriſti 640° exeunte.

Nam Partis 1^æ^ Cap. 21, computat introitum jejuniorum ante-Paſchalium, qui anno Chriſti 641° incurrebat in Februarii diem 4^um^: probabile autem eſt eum computaſſe introitum hunc jejuniorum, quum adhuc inſtabat, adeoque ante Februarii diem 4^um^.

Præterea ex Partis 3^æ^ Capite 9 patet Heraclium adhuc in vivis fuiſſe, quum illud Partis 3^æ^ Caput 9^um^ conſcriberet: ad ea autem omnia ſcribenda & diſponenda, quæ inde a Partis 1^æ^ Capite 21. uſque ad Partis 3^æ^ Caput 9 reperiuntur, tantum temporis ſpatium videtur requiri, ut vix intra dies XLI, qui a Kalendis Januarii uſque ad Februarii diem 11^um^, Heraclii emortualem, decurrunt, includi poſſit.

Quibus accedit, quod probabile ſit, Maximum hoc ſuum de Computo Paſchali ſcriptum abſolviſſe, & ad eum, cui illud dedicaverat, miſiſſe, ut is hoc Computo, & iis in ſpecie exemplis, quæ Partis 1^æ^ Capite 19, 20, 21, propoſuerat, uti & introitum Jejuniorum ante-Paſchalium, & ipſum Paſcha proxime, hoc ipſo anno Mundi 6133°, futurum, hac Methodo, computare poſſet. Hoc autem fieri non potuit, niſi ille hoc ſcriptum acceperit tot ad minimum diebus ante Februarii diem 4^um^, in quem, hoc anno Mundi 6133°, Chriſti 641°, introitus jejuniorum ante-Paſchalium incidebat, ut illud commode perlegere, & Methodum in eo traditam, addiſcere ante Februarii diem 4^um^

K po-

potuerit. Si huic rei assignetur spatium satis exiguum duarum circiter Septimanarum, tum debuisset hoc Maximi scriptum jam absolutum & ad finem perductum fuisse circa medium Januarii; & restarent tantum XIV vel XV dies ad ea conscribenda, quæ inde a Partis 1ª Capite 17° usque ad Partis 3ª finem leguntur: hoc autem tam exiguo temporis spatio factum fuisse, vix credibile est.

Adeoque probabile est, Maximum scripsisse hunc suum de Paschate Computum, saltem ea, quæ leguntur Partis 1ª Capite 17°, & quæ sequuntur Capite 19, 20, 21. non anno Christi 641° ineunte, sed anno Christi 640° exeunte, sive ad finem vergente.

Corollarium.

Si Maximus illud Caput 17um Partis 1ª scripsit anno Christi 640° exeunte, non autem anno Christi 641° ineunte, sequitur annum Æræ ejus Mundanæ 6133um, jam iniisse antequam annus Christi 641us iniret. Nam, cum hoc Caput scribebat, labebatur jam annus Æræ ejus Mundanæ 6133us, ut ex ipso illo Capite patet. Adeoque annus ille Mundi 6133us non init a Januario cum anno Christi 641°, sed a præcedenti Septembri in anno Christi 640°.

IV.

De partibus hujus Opusculi.

Maximi Computus dividitur in Partes tres.

V.

Partis 1ª contenta.

Pars 1a continet descriptionem & explicationem *Laterculi*, (Κανόνιον) ac docet, quomodo hujus ope inveniri possit

Tempus

Tempus Jejuniorum ante-Paschalium.

Festum ipsum Paschatis.

Festum Judaicum, seu *dies magnæ Expiationis*, *incidens in diem* 10 *mensis* 7^mi^ *apud Judæos; in qua die supponit Zachariæ Oraculum factum esse de Johanne Baptista*, & Johannem Baptistam conceptum esse.

Laterculum (Κανόνιον) autem continet Rotam, & duas Tabellas, quarum unam ad sinistram Rotæ, alteram ad dextram collocaverat Maximus: Sed Petavius in sua Editione Rotam in superna paginæ parte, supra Tabellas posuit.

Ego has Tabellas sequenti pagina describam, ut & Rotam, quam tamen non ad formam circuli, sed in linea directa descendente proponam.

Tabella ad ſiniſtram.

Emb.	anni Cycli Lunæ	Epactæ.	introitus Jejuniorum menſe,	die	Regulares
Emb.	19	XXVII	Febr.	8	4
	1	IX	Jan.	28	1
	2	XX	Febr.	16	4
Emb.	3	I	Febr.	5	4
	4	XII	Jan.	25	1
	5	XXIII	Febr.	13	4
Emb.	6	IV	Febr.	2	4
	7	XV	Febr.	21	4
Emb.	8	XXVI	Febr.	10	4
	9	VII	Jan.	30	1
	10	XVIII	Febr.	18	4
Emb.	11	XXIX	Febr.	7	4
	12	X	Jan.	27	1
	13	XXI	Febr.	15	4
Emb.	14	II	Febr.	4	4
	15	XIII	Jan.	24	1
	16	XXIV	Febr.	12	4
Emb.	17	V	Febr.	1	4
	18	XVI	Febr.	20	4

est
Ætas Lunæ
in die Mart. 31.

Rota.

anno Cycli Solis	Epactæ
1	VII
2	I
3	II
4	IV B.
5	V
6	VI
7	VII
8	II B.
9	III
10	IV
11	V
12	VII B.
13	I
14	II
15	III
16	V B.
17	VI
18	VII
19	I
20	III B.
21	IV
22	V
23	VI
24	I B.
25	II
26	III
27	IV
28	VI B.

est
Feria
concurrens
cum
die Mart. 31.

Tabella ad dextram.

Regulares	Luna XIV^a die	Luna XIV^a mense	Regulares	dies Expiat. die	dies Expiat. mense	anno Cycli Lunæ
0	5	Aprilis	6	25	Septembris	1
4	25	Martii	6	14	Septembris	2
0	13	Aprilis	1	3	Octobris	3 *
0	2	Aprilis	6	22	Septembris	4
4	22	Martii	6	11	Septembris	5
0	10	Aprilis	6	30	Septembris	6 *
4	30	Martii	6	19	Septembris	7
0	18	Aprilis	1	8	Octobris	8 *
0	7	Aprilis	6	27	Septembris	9
4	27	Martii	6	16	Septembris	10
0	15	Aprilis	1	5	Octobris	11 *
0	4	Aprilis	6	24	Septembris	12
4	24	Martii	6	13	Septembris	13
0	12	Aprilis	1	2	Octobris	14 *
0	1	Aprilis	6	21	Septembris	15
4	21	Martii	6	10	Septembris	16
0	9	Aprilis	6	29	Septembris	17 *
4	29	Martii	6	18	Septembris	18
0	17	Aprilis	1	7	Octobris	19 *

V I.

Ad Partis 1æ Cap. 1um.

Continet hoc Caput dedicationem & ſcopum operis : quem jam indicavi §o 5o.

Obſervationes.

1a, Maximus putavit oraculum de Johanne Baptiſta, ejusque conceptione, Zachariæ factum eſſe in die magnæ expiationis, quo Pontifex Maximus in Sanctum Sanctorum intrabat, in Xa ſeptimi menſis ſecundum Hebræos. Quod notandum, confer P. 1æ C. 34.

2a, An autem Maximus Zachariam putaverit fuiſſe Pontificem Maximum non adeo clarum eſt, probabile tamen videtur.

3a, Maximus monet hunc Xum diem ſeptimi menſis Judaici, qui in Eccleſia Judaica maxime ſolemnis erat, nunc in Eccleſia feſtum non eſſe, neque ullam in eo die feſtivitatem a Chriſtianis celebrari. Confer P. 1æ C. 20.

4a, Nota quod hic dies decimus ſeptimi menſis Lunaris anni Judaici ſacri, relationem habeat, ex hac opinione Maximi, quod in eo oraculum de Johanne Baptiſta, ejusque conceptione Zachariæ factum fuerit, ad duo feſta, quæ tunc in Eccleſia celebrabantur, nempe *annunciationis* de conceptione Chriſti, *Mariæ* ſexto poſt menſe factæ, quod celebrabatur in Martii die 25o, & *nativitatis Johannis Baptiſtæ* novem poſt Xam Tiſri menſibus elapſis, quod celebrabatur in Junii die 24o. Confer P. 1æ C. 34. item Chronicon Paſchale.

5a, An autem Maximus putaverit Johannem Baptiſtam nocte hanc Xam Tiſri ſequente conceptum fuiſſe, non patet.

V I I.

Ad Partis 1æ Cap. 2um.

Hoc Capite indicat *Laterculi contenta generalia:* quæ ſunt tria :
Introitus S. Jejuniorum: ad ſiniſtram partem Laterculi.
Quartadecima primi menſis Judaici: ad dextram prope Rotam.
Decima menſis ſeptimi Judaici: ad dextram longius a Rota.

VIII. *Ad*

VIII.

Ad Partis 1ª *Cap.* 3um.

Hoc Capite indicat *contenta Tabellæ ad ſiniſtram Rotæ* (Κανονίου ἐπωνύμου).

Habet illa *ſex verſus* (ςίχους) in directum deſcendentes:

Quos numerat a ſiniſtra ad dextram.

Verſus — Continet

1us *Septem menſes Embolimæos.*

2us *Novendecim annos Lunares, a* 19° *incipientes, & per* 1um, 2um *& ſic porro ad* 18um *progredientes.*

3us *Lunarium annorum Epactas.*

4us *Romanos menſes, Januarium & Februarium.*

5us *Illorum menſium quotas* (ποςιαῖας) *ſeu dies, in quas Carnisprivii Feſtum incidit.* Vide P. 1ª C. 8. 21. 22. & §° 14, Obſerv. 10ª.

6us *Regulares* (παραθελὰς) *rubro colore ſcriptas.*

IX.

Ad Partis 1ª *Cap.* 4um.

Hoc Capite indicat *contenta Tabellæ ad dextram Rotæ.*

Habet illa *verſus ſeptem.*

Quos numerat a dextra ad ſiniſtram.

Verſus — Continet

1us *Dictos novendecim annos Lunares, a* 1° *incipientes.*

2us *Romanos menſes, Septembrem, & Octobrem.*

3us *Illorum menſium quotas, ſeu dies, in quas decima ſeptimi menſis Judaici cadit per ſingulos annos.*

4us *Regulares* (Septembris & Octobris) *rubro colore ſcriptas.*

5us *Romanos menſes, Martium & Aprilem.*

6us *Illorum menſium quotas, ſeu dies, in quas quartadecima primi menſis Judaici cadit per ſingulos annos.*

7us *Regulares* (Martii & Aprilis) *rubro colore ſcriptas.*

X. *Con-*

X.

Consectaria quædam ex Partis 1ª C. 1. 2. 3. 4. & ex ipso Laterculo.

1um, Maximus in suo Lunæ Cyclo retinet Lunas XIVas Paschales Alexandrinorum.

2um, Retinet quoque eundem, cum Alexandrinis, ordinem annorum, nam annum Cycli Lunæ 1um numerat eum, cujus Luna XIVa Paschalis cadit in diem 5um April., & proinde Neomenia Paschalis in diem Mart. 23um. Vide Tabellam ad dextram: & Cap. 4um.

3um, Notam Εμβ. adponit vel præponit anno Cycli sui 3°, 6°, 8°, &c Vide Tabellam ad sinistram.

4um, Nota illa Εμβολ. Maximo non significat ἐμβόλιμον scilicet ἔτος, sed ἐμβόλιμος scilicet μὴν. Vide Cap. 3um.

5um, Habet non easdem cum Alexandrinis Epactas Lunæ, sed diversas. Vide Tabellam ad sinistram; & Cap. 3um.

6um, Mensem Paschalem, cujus Lunæ XIVæ in ejus Laterculo in Tabella ad dextram notantur, & ad certos mensis Aprilis & Martii dies per XIX Cycli sui annos, affiguntur, vocat *primum*, & quidem *primum secundum Hebræos mensem*, C. 2. 4 non tantum juxta ordinem mensium in anno Hebræorum sacro, sed etiam juxta ordinem mensium in annis Cycli sui.

7um, Supponit enim non tantum menses, sed & annos Lunæ in Cyclo suo exacte respondere veris mensibus & annis Lunæ secundum Hebræos.

8um, Adeoque in Cyclo Lunæ Maximi anni omnes & singuli ineunt a mense Paschali. Quod ex sequentibus clarius patescet.

9um, Epactæ Lunæ, quod hic addo, ex P. 1ª C. 31°, in Cyclo Maximi, exprimunt ætatem, quam Luna habet in mensis Martii die 31°.

10um, Epactæ in earum progressu videntur indicare, in Maximi Cyclo Lunæ, Embolimum mensem anno 2do jam additum esse.

X I.

Ad Partis 1mæ Cap. 5tum.

Hoc Capite indicat *contenta Rotæ*, quæ *tria* sunt:

1°, *Anni XXVIII Solis, a 1° incipientes.*

2°, *Illorum annorum Solarium Epactæ*, seu concurrentes Septimanæ dies.

3°, *Septem Bissextiles.*

Ob-

Observationes.

1ª, Maximus in suo Cyclo Solis retinet eundem, cum Alexandrinis ordinem annorum.

2ª, Habet easdem numero successive, cum Alexandrinis, Epactas Solis; excepto, quod anno Cycli 1° non habeat *nullas*, sed VII *Epactas*.

3ª, Epactæ in Cyclo Maximi binario crescunt anno Cycli 4°, 8°, 12°.

4ª, Unde patet annum Cycli 3ᵘᵐ, 7ᵘᵐ, 11ᵘᵐ &c. fuisse revera Bissextilem, dierum 366.

5ª, Nota BICEK adponitur anno Cycli 4°, 8°, 12°, &c.

6ª, Unde patet notam illam Bissexti, in Cyclo Maximi, illis adponi annis, qui annum Cycli Solis revera Bissextilem dierum 366 immediate sequuntur.

7ª, Epactæ Solis Maximi exprimunt Feriam concurrentem cum Martii die 31°. Vide P. 1ª, C. 31.

8ª, Anni Solis, in Cyclo Maximi, omnes & singuli ineunt a Kalendis Aprilis, sive mensis Aprilis die 1°. Vide P. 1ª, C. 31. Vide infra, §° 36.

9ª, Atque hinc est, quod annus Cycli Solis 1ᵘˢ, ab Aprili iniens, sit *secundus* ab anno Cycli Solis 27°, revera Bissextili dierum 366, proxime transacto; & quod annus Cycli Solis 3ᵘˢ, iniens ab Aprili, sit *quartus* ab anno Cycli Solis, revera Bissextili, dierum 366, proxime transacto, adeoque ipse ille annus Cycli Solis 3ᵘˢ sit revera Bissextilis, dierum 366, quia in sui fine in sequenti Februario recipit diem Bissextilem, & sequens annus Cycli Solis 4ᵘˢ, iniens ab Aprili, est *primus* ab anno revera Bissextili, dierum 366, proxime transacto, utpote iniens post diem Bissextilem in præcedenti Februario jam intercalatum. Vide infra, §° 22°, Observ. 1ª, 2ª, 10ª, §° 26°, Observ. 6ª in fine. §° 27°, §° 34°, Observ. 1ª, §° 35°, Consectario a. & b. & Maximi Comp. P. 3ª, C. VI. p. 348. D.

10ª, Ratio autem, cur Maximus notam Bissexti ad annum Cycli Solis 4ᵘᵐ, 8ᵘᵐ, 12ᵘᵐ; &c. adposuerit, hæc est.

Maximus utitur Æra Mundi, cujus anni, more Græcorum, a Kalendis Septembris ineunt, & in quibus anni Bissextiles recipiunt Bissextum, seu diem intercalarem in sequenti Februario, & quidem (ut Maximus Partis 1ª, Cap. 22. pag. 329. A. indicat) in Februarii die tum 29°.

Anni Cycli Solis, ſicut apud Alexandrinos a menſis eorum Thoth die 1°, ſic etiam apud Græcos a Kalendis Septembris primitus inibant. Et in illo Cyclo Solis, cujus anni (cum initio anni civilis) a Kal. Septembris inibant, erant revera Biſſextiles, dierum 366, anni Cycli 4^{us}, 8^{us}, 12^{us}, &c. & dies Biſſextilis intercalabatur in medio anni in menſis Februarii die tum 29°.

Mutato autem annorum Cycli Solis initio, eoque a Kalendis Septembris uſque ad ſequentes Kalendas Aprilis promoto, non retinentur, præciſe loquendo, iidem in Cyclo Solis anni revera Biſſextiles, dierum 366; ſed tum, ut dictum, anni Cycli Solis, a Kalendis Aprilis ineuntes, 3^{us}, 7^{us}, 11^{us}, &c. ſunt revera Biſſextiles, dierum 366.

Retinuit tamen Maximus notam Biſſexti ad annos Cycli Solis 4^{um}, 8^{um}, 12^{um}, &c. Idque duplicem ob rationem.

Primo, quia, ſicut annorum Mundi partitione per 19, & per 28, inquirit annum Cycli Lunæ, & annum Cycli Solis præſentem ſeu labentem, ſic etiam annorum Mundi partitione per 4, inquirit τοῦ Βισέξτου ἐνιστάμενον ἔτος, hoc eſt, quotus a Biſſextili ſit annus præſens. P. 1^{a}, C. 17°. Vide §° 22°. Exempli gratia, Anno Mundi 6133° per 28 diviſo, remanet 1, quo indicatur, anno Mundi 6133° labente, inire annum Cycli Solis 1^{um} a Kalendis Aprilis. Iterum eodem anno Mundi 6133° per 4 diviſo, remanet 1, quo indicatur, non quod annus Cycli Solis 1^{us}, a Kal. Apr. iniens, ſit *primus* ab anno Cycli Solis revera Biſſextili proxime transacto, ſed quod annus Mundi 6133^{us}, a præcedentibus Kalendis Septembris iniens, ſit *primus* ab anno Mundi revera Biſſextili proxime transacto. Annus enim Mundi 6132^{us} proxime transactus, fuerat revera Biſſextilis, dierum 366, receperatque diem Biſſextilem in menſis Februarii die tum 29°. Adeoque appoſitio notæ Biſſexti ad annum Cycli Solis 28^{um} (qui labente anno Mundi 6132°, init a Kal. Apr., & anni Mundi 6132^{di} per 28 diviſione proditur) indicat, annum Cycli Solis 28^{um}, ineuntem a Kal. April., inire in tali anno Mundi, a Kal. Septembris ineunte, qui revera Biſſextilis eſt, dierum 366.

Secundo, (quod conſequens prioris eſt) quia, per appoſitionem hujus notæ Biſſexti ad annos Cycli Solis 4^{um}, 8^{um}, 12^{um}, &c. voluit indicare, quod proxime ante horum annorum Cycli Solis a Kalendis Aprilis initium, præceſſerat in menſis Februarii die tum 29°, dies Biſſextilis, quod calculanti, & Feriam per computum Solarem inquirenti, ſcire & probe obſervare, neceſſarium erat.

XII. *Ad*

XII.

Ad Partis 1ᵃ Cap. 6ᵘᵐ.

Hoc Capite rationem reddit, *cur in Tabella ad ſiniſtram, in verſu primo, ſeries annorum Lunarium incipiat ab anno Lunæ 19°, & non a 1°, quemadmodum fit in Tabella ad dextram.*

Ratio autem hæc eſt:

Introitus Jejuniorum ante-Paſchalium ſemper incidit in menſem penultimum, id eſt, undecimum anni præſentis: ſicut Feſtum Paſchale (ad quod illa jejunia reſpiciunt) *in primum futuri ſequentis.*

Adeoque jejuniorum ante-Paſchalium dies (qui ſunt numero LVI) *occupant duos annos, vel potius a duobus annis ipſi comprehenduntur.*

Annus enim præſens (in quem introitus illorum incidit) *comprehendit primam illorum LVI dierum partem: annus vero futurus* (in quem Feſtum Paſchale, ad quod illa jejunia reſpiciunt, incidit) *comprehendit alteram illorum LVI dierum partem:* terminantur enim hi LVI jejuniorum ante-Paſchalium dies in *Sabbato Paſchali.*

Ac proinde quoad proprium illorum initium pendent ab anno præſenti, quoad vero illorum finem ab anno ſequenti futuro.

Unde neceſſe eſt, initium jejuniorum ex anno 19° metiri (Κανονίζεσθαι) *quando Paſcha anno Lunæ 1° celebratur: & ſic rurſus introitum jejuniorum ex anno 1°, quando Paſcha celebratur anno 2°, & ſic iterum ex 2°, quando Paſcha celebratur anno 3°, & ſic porro.*

Obſervatio 1ᵃ, Loquitur hic de annis Lunaribus, & de menſibus Lunaribus.

Obſervatio 2ᵃ, Quando dicit introitum jejuniorum ante-Paſchalium ſemper incidere in *menſem penultimum, id eſt, undecimum* anni præſentis, ſicut Feſtum Paſchale ſemper incidit in *menſem primum* anni inſtantis futuri Intelligit per *menſem primum,* primum ſecundum Hebræos menſem, primum anni Judaici menſem, cui ſupponit menſem Paſchalem exacte reſpondere, & ſimul per *primum menſem* intelligit primum annorum Lunæ in Cyclo ſuo menſem, hoc eſt ipſum menſem Paſchalem, in Laterculo ſuo per Lunas XIVᵃˢ, ibidem notatas, deſignatum. Vide §ᵘᵐ 10. adeoque etiam per *penultimum,* id eſt, *undecimum menſem* intelligit *penultimum,* id eſt, *undecimum ſecundum Hebræos menſem;* cui ſupponit men-

ſem a Paſchali undecimum exacte reſpondere. & ſimul per *penultimum*, id eſt, *undecimum menſem* intelligit penultimum, id eſt, undecimum annorum Lunæ in Cyclo ſuo menſem. De quo ad Cap. 8um plura.

Obſervatio 3a, Hæc Regula quod introitus jejuniorum *ſemper* incidat in penultimum, id eſt, undecimum anni menſem; patitur exceptionem: hoc enim verum tantum eſt in duodecim annis, in quibus menſis Embolimæus inter jejuniorum LVI dies non intercurrit: excipiuntur autem ſeptem reliqui anni, in quibus hoc accidit: quod etiam ipſe Maximus oſtendet Cap. 8°.

Obſervatio 4a, Quia introitus jejuniorum ante-Paſchalium (qui ſemper in menſem Jan. aut Feb. incidit) dicitur cadere in annum præſentem, verbi gratia, Cycli 19um, 1um, 2um &c. quando Paſcha (ad quod illa jejunia reſpiciunt) celebratur in anno ſequenti, Cycli 1°, 2°, 3°, &c. Et ſic in Tabella notantur: Hinc ſequitur annos *Cycli Lunæ Maximi* non incipere civiliter a Septembri, aut Januario, ſed technice circa tempus vernale.

Obſervatio 5a, Neque hoc tantum, ſed præterea inde ſequitur, annos Lunæ in Cyclo Maximi inire a menſe Paſchali; loquitur enim de annis Lunæ Cycli ſui, quorum ſeries in Laterculo ſuo in Tabella ad ſiniſtram initium ducebat ab anno 19°, in Tabella vero ad dextram ab anno 1°; adeoque per menſem penultimum, hoc eſt undecimum præſentis anni, exempli gratia 19ni, in quo introitus jejuniorum ante-Paſchalium fit; quando Paſchale feſtum fit in menſe 1° anni proxime inituri, exempli gratia 1mi, intelligit anni Lunæ in Cyclo ſuo 19ni menſem penultimum, id eſt undecimum, & eodem modo per menſem primum intelligit anni Lunæ in Cyclo ſuo 1mi menſem primum, in quo Paſcha fit.

Obſervatio 6a; Maximus enim ſupponit eum, qui inquirit exempli gratia introitum jejuniorum ante-Paſchalium, qui cadit in diem 8um Febr. in anno Lunæ Cycli ſui 19°, computum ſuum inſtituere labente adhuc illo Lunæ anno 19°, aliquo tempore antequam illa jejunia ſolent inire, & hinc eſt, quod illum Lunæ in Cyclo ſuo annum, in quo illa jejunia initium ſumunt, hoc in caſu 19um, vocet annum præſentem, & annum illum, in quo eadem hæc jejunia terminantur in *Sabbatho Paſchali*, hoc in caſu 1um, annum proxime futurum.

XIII.

Ad Partis 1ª Cap. 7um.

Hoc Capite agit *de menſibus Embolimæis*, *& de Lunæ Epactis*, unde hi menſes oriuntur; & ea occaſione quoque de quantitate anni Lunaris Communis & Embolimæi, nec non de quantitate menſis Embolimæi.

Septem autem (inquit) *menſes Embolimæi ex ſic dictis Epactis Lunæ colliguntur ſecundo vel tertio anno numerum XXX dierum explentes.*

Epactæ autem ex defectu Lunaris anni ad Solarem annum oriuntur.

Quandoquidem Solaris 365 conſtat diebus, Lunaris vero 354.

Unde & (Lunaris ſcilicet annus) *proprium menſem XXIX½ dierum habet.*

Quilibet autem Lunæ annus, accipiens unum eorum Embolimorum menſium, tredecim (menſium) *omnino fit, ad duodecim, illum* φερωνύμως (hoc eſt congrue ſic dictum, ἐμβόλιμον ſcilicet) ἐμβαλλόμενον *habens.*

Sic ut porro (λοιπὸν) *inveniatur, non tantum 354 dierum, ut reliqui Lunæ anni, ſed 384, illa additione* (προσθέσει) *illius Embolimi menſis XXX dierum.*

Obſervatio 1ª, de menſibus Embolimæis, (qui in Cyclo decemnovali, ſeptem numero, intercalantur, vel adduntur) tria dicit: primo, illos ex Epactis Lunæ ſic dictis colligi: Secundo, id fieri ſecundo aut tertio anno, κατὰ δευτέραν ἢ τρίτην: Tertio, illos menſes numerum XXX dierum explere, ſeu eſſe menſes plenos dierum XXX.

Obſervatio 2ª, de Epactis Lunæ ſic dictis ait, illas ex defectu Lunaris anni ad Solarem oriri: vel ut verba ejus ſonant, *illas dari propter defectum anni Lunæ ad Solarem annum.*

Obſervatio 3ª, Annum Lunarem Communem facit dierum 354, menſium XII. Embolimæum vero dierum 384, menſium XIII.

Annum Embolimæum vocat *annum accipientem unum* τῶν Ἐμβολίμων μηνῶν.

Obſervatio 4ª, Maximus non dicit, illos Lunæ in Cyclo ſuo annos, quibus in Tabella ad ſiniſtram prænotatur Ἐμβολ., eſſe menſium XIII, dierum 384. Sed hoc in genere dicit de illis annis, qui accipiunt menſem Embolimum. πᾶν γὰρ σελήνης ἔτος (inquit) δεχόμενον ἕνα τῶν Ἐμβολίμων μηνῶν δεκατριῶν γίνεται πάντως.

Obſer-

Obſervatio 5ª, Maximus neque hic, neque alibi (quantum mihi conſtat) expreſſe dicit, quotusquiſque in Cyclo ſuo Lunæ annus recipiat menſem Ἐμβόλιμον.

Obſervatio 6ª, *Septem autem* (inquit Maximus) *hi menſes Embolimi ex ſic dictis Epactis congregantur* κατὰ διετίαν ἢ τριετίαν: unde concluderes, quia non dicit ordine inverſo κατὰ τριετίαν ἢ διετίαν, annum in Cyclo Lunæ Maximi ſecundum habere menſem Embolimum: Sed, licet hoc verum ſit, dubito tamen, an legitime inde deducatur.

X I V.

Ad Partis 1ª Cap. 8um.

Hoc Capite proponit exceptionem ad Regulam de tempore ſeu menſe, in quem introitus jejuniorum incidit, quam Cap. 6º tradiderat: (de qua Exceptione §º 12, Obſervatione 3ª jam monuimus.) & docet *introitum jejuniorum ſemper quidem cadere in penultimum ſecundum Hebræos anni menſem, ſed menſem illum penultimum non ſemper eſſe undecimum, ſed quandoque duodecimum ſecundum Hebræos anni menſem*, nempe quando introitus jejuniorum cadit in anno, qui habet menſem Embolimum, adeoque menſes XIII, & dies 384. Præterea docet, *introitum jejuniorum, quando incidit in undecimum menſem, cadere in Lunam iſtius menſis XVIIam; quando vero incidit in duodecimum menſem, cadere in Lunam iſtius menſis XVIIIam: quem in finem obſervat menſem undecimum ſemper eſſe Cavum dierum XXIX, menſem vero duodecimum ſemper eſſe Plenum, dierum XXX, ut & menſem Embolimæum, qui duodecimum immediate ſequitur, & menſem Paſchalem in anno Embolimæo immediate præcedit, quique decimus tertius ſecundum Hebræos menſis eſt, ſemper eſſe plenum, dierum XXX.* *Excipit tamen a præcedenti Regula introitum jejuniorum ante Paſchalium, qui cadit in anno 19º, qui menſem Embolimum non habet, adeoque menſium XII tantum eſt, qui (introitus) licet incidat in menſem ſecundum Hebræos undecimum, tamen non cadit in Lunam iſtius menſis XVIIam, ſed XVIam: quia nempe menſis hunc ſequens, ſecundum Hebræos duodecimus, illo in anno non erat dierum XXX, ut in reliquis, ſed dierum tantum XXIX*, quia annus Cycli 19us erat uno die defectivus, ut docebit C. 10. Docet denique *hæc omnia niti hoc fundamento, quod*

quod jejunia ante-Paſchalia, apud Græcos, occupent ſpatium octo Septimanarum, adeoque requiratur, ut a die in quem in Tabella introitus jejuniorum annotatur, uſque ad diem in quem Luna XIV[a] *Paſchalis annotatur, numerentur dies LVII, ultimo Termino incluſive ſumpto; utque ita etiam a Dominicâ, diem illum, ad quem in Tabella introitus jejuniorum annotatur, ſequente* (a qua Dominicâ proprie jejunia ante-Paſchalia initium ſumunt) *uſque ad Dominicam Paſchalem itidem dies LVII numerari poſſint.* Confer C. 21.

Ut autem hæc omnia clarius pateſcant, & quæ deinceps dicenda & obſervanda erunt, ad oculum pateant;

Conſtruxi ſequentem Tabulam quam inſpice.

mensis

anno Cycli Dec.	mensis Cavus cujus Neomen.	introitus Jejunior.	Luna	mensis Plenus * cujus Neomen.	introitus Jejunior.	Luna
* 19	Jan. 24.	Feb. 8.	XVI	Feb. 22.		. . .
1	—— 12.	Jan. 28.	XVII	Feb. 10.		. . .
2	—— 1.		. . .	Jan. 30.	Feb. 16.	XVIII
* 3	—— 20.	Feb. 5.	XVII	Feb. 18.		. . .
4	—— 9.	Jan. 25.	XVII	—— 7.		. . .
5	Dec. 29.		. . .	Jan. 27.	Feb. 13.	XVIII
* 6	Jan. 17.	Feb. 2.	XVII	Feb. 15.		. . .
7	—— 6.		. . .	Feb. 4.	Feb. 21.	XVIII
* 8	—— 25.	Feb. 10.	XVII	—— 23.		. . .
9	—— 14.	Jan. 30.	XVII	—— 12.		. . .
10	—— 3.		. . .	—— 1.	Feb. 18.	XVIII
* 11	—— 22.	Feb. 7.	XVII	—— 20.		. . .
12	—— 11.	Jan. 27.	XVII	—— 9.		. . .
13	Dec. 31.		. . .	Jan. 29.	Feb. 15.	XVIII
* 14	Jan. 19.	Feb. 4.	XVII	Feb. 17.		. . .
15	—— 8.	Jan. 24.	XVII	—— 6.		. . .
16	Dec. 28.		. . .	Jan. 26.	Feb. 12.	XVIII
* 17	Jan. 16.	Feb. 1.	XVII	Feb. 14.		. . .
18	—— 5.		. . .	—— 3.	Feb. 20.	XVIII
	Respondens Hebræorum mensi XI° Sabat.			Respondens Hebræorum mensi XII° Adar.		

* NB. Hic mensis in Solo anno 19° Cavus est.

mensis Embolim. cujus Neomenia	mensis Paschalis cujus Neomenia	Luna XIVa Paschalis	anno Cycli	
.	Martii 23.	Aprilis 5.	1	
. . .	——— 12.	Martii 25.	2	
Martii 1.	——— 31.	Aprilis 13.	3	Emb.
.	——— 20.	——— 2.	4	
. . .	——— 9.	Martii 22.	5	
Febr. 26.	——— 28.	Aprilis 10.	6	Emb.
.	——— 17.	Martii 30.	7	
Martii 6.	Aprilis 5.	Aprilis 18.	8	Emb.
. . . .	Martii 25.	——— 7.	9	
.	——— 14.	Martii 27.	10	
Martii 3.	Aprilis 2.	Aprilis 15.	11	Emb.
. . . .	Martii 22.	——— 4.	12	
.	——— 11.	Martii 24.	13	
Febr. 28.	——— 30.	Aprilis 12.	14	Emb.
. . . .	——— 19.	——— 1.	15	
.	——— 8.	Martii 21.	16	
Febr. 25.	——— 27.	Aprilis 9.	17	Emb.
. . .	——— 16.	Martii 29.	18	
Martii 5.	Aprilis 4.	Aprilis 17.	19	Emb.
Respondens Hebræorum mensi XIIIo Adar 2do.	Respondens Hebræorum mensi 1o Nisan.			

Maximus in hoc Capite, non tantum ſupponit menſem illum Lunarem qui in Cyclo ſuo Lunæ pro Paſchali habetur, exacte reſpondere menſi Hebræorum Niſan, qui primus anni Judaici menſis erat; eumque propterea vocat (in medio Capitis) *primum ſecundum Hebræos menſem.* Sed etiam ſupponit reliquos omnes Lunares in Cyclo ſuo menſes exacte reſpondere, ſingulos ſingulis Hebræorum menſibus; eoſque propterea vocat *menſes Hebraicos*, (in Inſcriptione Cap.) atque eoſdem numerat juxta ordinem menſium in anno Judaico, quibus exacte reſpondere ſupponuntur: (per totum Caput.) Unde illum in Cyclo menſem Lunarem, qui (ſi a Paſchali menſe numeratio incipiat) undecimus eſt, non tantum vocat *undecimum* (nempe ſecundum Hebræos) *menſem*, ſed etiam addit, *qui apud Hebræos Sabat dicitur:* atque eodem modo illum in Cyclo menſem Lunarem, qui, a Paſchali menſe numerando, duodecimus eſt, non tantum vocat *duodecimum* (ſcilicet ſecundum Hebræos) *menſem*, ſed etiam addit, *qui apud Hebræos Adar appellatur*, (in prima Parte Capitis.) Ac proinde, quando (in poſteriori Parte Capitis) de Embolimæo in Cyclo menſe loquens, eum vocat *Embolimum, ſive tertiumdecimum*, hoc plane eodem modo intelligendum, ac ſi dixiſſet *Embolimum, ſive tertiumdecimum ſecundum Hebræos menſem*, cui menſis in Cyclo Embolimæus ſupponitur exacte reſpondere. Supponit denique etiam ordinem menſium in annis Cycli ſui, omnibus & ſingulis, exacte reſpondere ordini menſium in annis Hebraicis: adeoque inde concludendum menſem Embolimum eſſe in Cyclo Maximi *tertiumdecimum anni menſem.*

Maximus in Tabella ad ſiniſtram in verſu 4° & 5, notaverat certos dies menſium Romanorum, Januar. & Febr., in quos introitus jejuniorum, per ſingulos Cycli Lunæ annos, incidit: ſupponit autem per illos menſium Romanorum dies τηρεῖσθαι, σημειοῦσθαι, κανονίζεσθαι, (hæc enim in hoc Capite Maximo ſynonyma ſunt) hoc eſt, *obſervari*, *deſignari*, *regulari*, *menſes Hebraicos*, hoc eſt, menſes in Cyclo Lunares, Hebræorum menſibus reſpondentes, eorumque menſium ποστιαίας, hoc eſt, quotos dies, ſeu potius Lunas, in quos & in quas introitus jejuniorum incidit; nempe in quibuſdam Cycli annis, menſem illum Lunarem, qui reſpondet *menſi Hebræorum undecimo*, ejuſque menſis Lunam XVII^{am}; in aliis vero Cycli annis, menſem illum Lunarem, qui reſpondet *menſi Hebræorum duodecimo*, ejuſque menſis Lunam XVIII^{am}. In anno Cycli denique 19° menſem quidem Lunarem illum, qui reſpondet *menſi Hebræorum undecimo*, ſed ejus menſis Lunam non XVII^{am}, ſed XVI^{am}.

Hinc

Hinc illa inſcriptio hujus Capitis, περὶ τοῦ ἐξ εὐωνύμου Κανονίου τετηρημένων ἑβραϊκῶν μηνῶν, καὶ τῆς αὐτῶν ποσιάιας; τίνες τέ εἰσι, καὶ διὰ τί διάφορος.

Maximus denique dicit, ἐν μὲν τοῖς οὐκ ἔχουσι Ἐμβόλιμον (ἔτεσι) τὸν ια΄, καὶ τὴν τούτου ιζ ἐκανονίσαμεν; ἐν δὲ τοῖς ἔχουσι τὸ Ἐμβόλιμον ἔτεσι, τὸν δωδέκατον ἐτηρήσαμεν, καὶ τὴν αὐτοῦ ὀκτωκαιδεκάτην: hoc eſt, *in annis, qui menſem Embolimum non habent, undecimum menſem, ejusque XVII*[m] *Lunam regulavimus: in annis vero, qui Embolimum menſem habent, duodecimum menſem, ejusque XVIII*[am] *Lunam obſervavimus*; tanquam menſem & Lunam ſcilicet, in quem & in quam introitus jejuniorum ante-Paſchalium incidit. excipitur annus 19[us].

Obſervationes quædam ad ea, quæ hoc Capite traduntur.

Obſervatio 1[a], *De ſitu menſis Embolimæi.* Situs ejus eſt immediate ante menſem Paſchalem, ut patet ex mea Tabula: unde etiam a Maximo conſideratur, ut decimustertius ſecundum Hebræos, *& in Cyclo ſuo*, anni præcedentis menſis: & ſemper intercurrens inter jejuniorum dies, quæ terminantur in Paſcha anni ſequentis, & quorum introitus propterea annotatur in Luna XVIII[a] duodecimi ſecundum Hebræos, *& in Cyclo ſuo* menſis anni præcedentis.

Obſervatio 2[da], *De quantitate ſingulorum totius anni in Cyclo Lunæ Maximi menſium.* Menſis Embolimæus ſemper eſt Plenus, dierum XXX. Menſis Paſchalis eſt ſemper Cavus dierum XXIX: menſis, qui Paſchalem ſequitur, eſt ſemper plenus dierum XXX, & ſic porro alternando omnes Cavi & Pleni ſunt: adeoque ultimus ſemper Plenus eſt. Sic enim ait Maximus: *Cum enim duodecim Lunæ menſes* (numeratione a Paſchali menſe inſtituta) *alternando XXIX & XXX dierum putemus: propter talem* ἐκ πρώτου μηνὸς ἀκολουθίαν καὶ τάξιν; *undecimus quidem dierum XXIX, duodecimus vero dierum XXX invenitur*: quod ultimum etiam ex mea tabula patet.

Obſervatio 3[a], *De ſaltu Lunæ in quem annum, menſem, & diem cadat.* Eum ſtatuit in anno Cycli 19°, in ejus anni menſe ultimo, & in ejus menſis die ultimo: nam ejus menſis Luna XXX[a] eximitur, & Luna ex XXIX[a] ſaltat in novam: ſic enim ait Maximus, *ob hanc cauſam* (ut ſcilicet a die, in quo introitus jejuniorum notatur, uſque ad diem, in quem Luna XIV Paſchalis cadit, (terminis incluſive ſumptis) numerari poſſint dies LVII) *in anno poſtremo, qui eſt* 19[us], *menſis XI*[mi] *XVI*[am] *diem* (ſive Lunam) *adſcripſimus: quoniam duodecimum illius*

(anni 19^{ni}) *menſem dierum tantum XXIX computamus, ut & undecimum.* Vide meam Tabulam.

Obſervatio 4^{a}, *De initio omnium & ſingulorum in Cyclo Lunæ Maximi annorum.* Maximus ſtatuit, annos in Cyclo ſuo Lunæ omnes & ſingulos initium ſumere, non a Luna Septembris, aut a Luna Januarii, ſed a Luna Paſchali. Quod ex Tabella mea, hoc ipſo §° 14 propoſita, & ex toto hujus Capitis 8^{vi} contextu, & ex ſupra dictis patet. Confer ſupra §° 12°, Obſerv. 4^{a} & 5^{a}. & infra, §° 16°, Obſerv. 7^{a} & 9^{a}. §° 18°, Conſectario 1° & 2°.

Obſervatio 5^{a}, *De annis in Cyclo Lunæ Maximi, a Luna Paſchali incipientibus, revera Embolimæis, menſium XIII, dierum 384.* Certum eſt annos in Cyclo Lunæ Maximi, a Luna Paſchali ineuntes, revera Embolimæos eſſe, menſium XIII, dierum 384, non illos, quibus in Tabella ad ſiniſtram prænotatur Ἐμβολ. Sed illos, qui hos immediate præcedunt, nempe annum Cycli 2^{um}, 5^{um}, 7^{um}, 10^{um}, 13^{um}, 16^{um}, & 18^{um}. Hoc ad oculum videre licet in Tabella a me deſcripta, in eâ enim conſpicitur, dictos annos, 2^{um}, 5^{um}, 7^{um}, &c habere menſem Embolimum, qui illorum annorum tertiusdecimus eſt, & in illis dictis annis introitum jejuniorum deſignari in menſe duodecimo, ejusque Luna XVIII^{a}. Confer infra, §° 16°, Obſerv. 3^{a}, & 9^{a}. At dicet aliquis, cur ergo Maximus, in Tabella ſua ad ſiniſtram, Notam Ἐμβολ. anno Cycli Lunæ 3°, 6°, 8° &c. præpoſuit. Reſpondeo, Maximum hoc feciſſe eum in finem, ut indicaret, illi menſi Paſchali, a quo hi anni in Cyclo ſuo inibant, immediate præcedere Embolimum menſem: quod calculanti ſcire neceſſarium erat. Inſtabit aliquis, dicetque Maximum hanc Notam ad eosdem Cycli annos adpoſuiſſe, ad quos in Enneadecaëteride Alexandrina adpoſita fuerat. Reſpondeo, hoc verum eſſe; & forte etiam eam ob cauſam a Maximo factum eſſe: ſed inde nihil concludi poſſe, nam mutato annorum Lunæ initio, eoque a Lunatione, quæ in Septembri terminatur, uſque ad Lunationem Paſchalem protruſo, non amplius, præciſe loquendo, retinentur iidem in Maximi Cyclo Lunæ anni revera Embolimæi, qui fuerant in Enneadecaëteride Alexandrina, quæ a Lunatione, quæ in Septembri terminatur, initia annorum deducebat. Sed ſi illam technicam protruſionem non conſideres, & initium annorum Lunæ concipias procedere a Luna menſis Septembris, a cujus Kalendis anni civiles, etiam in Æra Mundi, qua Maximus utitur, ineunt, tum forent iidem anni Lunæ apud Maximum, & apud Alexandrinos revera Embolimæi.

Ob-

Obſervatio 6ª, *Ex iis*, quæ in hoc Cap. 8° dicuntur, *determinari poſſunt initia omnium in Maximi Cyclo Lunæ Lunationum*, ſive in quos dies menſium in anno Romano omnes Neomeniæ cadunt. Confer Tabellam a me deſcriptam, & quæ ſupra hoc ipſo §° dicta & obſervata ſunt. Confer quoque Maximi Tabellam ad dextram & ad ſiniſtram, & ejus Computum Lunarem, Parte 1ª C. 27° propoſitum.

Obſervatio 7ª, *Maximus retinuit omnes Neomenias in iisdem anni Romani diebus, quibus Alexandrini eas affixerant:* excepta illa diverſitate, quæ in ultimo Cycli anno, ex diverſo ſaltus Lunæ ſitu oritur: de quo infra §° 16.

Obſervatio 8ª, *Singulare eſt, quod* in Cyclo Lunæ Maximi *primæ annorum Lunationes ſint Cavæ*, dierum XXIX. Rationem reddam infra §° 16.

Obſervatio 9ª, *Petavius*, in Auctario Operis de Doctrina Temporum, L. VIII. C. XII. p. 323. D *Maximum erroris accuſat*. Verba Petavii hæc ſunt: *Ad extremum non eſt prætereundus error Maximi, qui eſt Capite VIII primæ partis Computi. Ibi enim a Dominica* ἀποκρέω, *quæ & παρείσβασις τῶν ἁγίων νηστειῶν dicitur, uſque ad* Πάσχα νομικὸν, ſive ad XIV Paſchalem, dies computat LVII. Hoc *modo Paſcha Legale idem erit cum Chriſtiano. Nam a Dominica Sexageſimæ, quæ eſt* ἡ ἀπόκρεως, *ad Paſcha, dies ſunt LVII. Ad terminum vero ſive XIV Paſchalem, interdum dies ſunt ut minimum quinquaginta: ad ſummum quinquaginta ſex.* Sed ipſe Petavius errat, dum dicit, quod Maximus hoc Cap. 8° a Dominica ἀποκρέω, quæ & παρείσβασις τῶν ἁγίων νηστειῶν dicitur, uſque ad Πάσχα νομικὸν, ſive ad XIV Paſchalem, dies computet LVII. Maximus enim jejunia ante-Paſchalia dupliciter computat. In priore Cap. 8vi parte ea computat juxta curſum Lunæ, & τὴν παρείσβασιν τῶν ἁγίων νηστειῶν figit, in annis Cycli ſui, qui Embolimum non habent, in menſe XI°, ejusque Luna XVIIª; in annis vero, qui Embolimum habent, in menſe XII°, ejusque Luna XVIIIª; in anno denique XIX°, in menſe XI°, ejusque Luna XVIª. & in hoc Computo Lunari terminus a quo ſunt quotæ illæ Lunæ menſis undecimi & duodecimi, non autem Dominica ἀπόκρεως; Terminus autem ad quem ſemper eſt Luna XIVª Paſchalis menſis primi, non vero ipſa Dominica Paſchalis. Ab his quotis Lunis incluſive, uſque ad Lunam XIVam Paſchalem incluſive numerat ſemper dies LVII. Has menſis undecimi & duodecimi quotas Lunas expreſſit per menſis Februarii & Januarii quotos dies; nec non Lunas XIVas primi menſis expreſſit per

mensis Aprilis & Martii quotos dies, in quos Lunæ XIV^{a} Paschales incidunt: & ab his mensis Februarii & Januarii quotis diebus inclusive usque ad mensis Aprilis & Martii quotos dies inclusive, computat etiam semper dies LVII, non numeratis scilicet diebus Bissextilibus, (qui ultimum seu 29^{um} Februarii diem, juxta Maximum, occupant) sicut dies Bissextiles in Computo Lunari non numerantur. Hic Computus Lunaris, quo introitus jejuniorum figitur in Luna, quæ a Luna XIV^{a} Paschali inclusive retronumerata, LVII^{a} est, eum in finem excogitatus est, ut, sicut Luna XIV^{a} Paschalis, sic etiam Luna, in qua introitus jejuniorum figitur, spatio XIX annorum in orbem redire, & sic in Tabella XIX annorum proponi posset. Vide Tabellam a me descriptam, & duas Maximi Tabellas. Alter jejuniorum ante-Paschalium Computus, quem, distinctionis gratia, Solarem voco, in posteriore Cap. 8^{vi} parte breviter proponitur, & Cap. 21°, & 22° ulterius explicatur. Verba Cap. 8^{vi}, p. 319. D. hæc sunt: εὐλόγως οὖν διὰ ταῦτα, καὶ τὴν μετάστασιν ἴσην ἐπιτηροῦμεν ἐπὶ τούτων τῶν δεδηλωμένων μηνῶν, ἤγουν τῶν αὐτῶν ποσιαίων, τῆς παρεισβάσεως χάριν, ἐν τῷ εὐωνύμῳ τοῦ Κανονίου, τῆς ἐπὶ τῆς ιδ″ τοῦ πρώτου μηνὸς γινομένης ἡμῖν, ἐν τῷ δεξιῷ μέρει τοῦ αὐτοῦ Κανονίου, τῆς ἀναστάσεως ἕνεκεν, ἀπὸ τῆς κυριακῆς καὶ δευτέρας, καὶ τῶν καθ' ἑξῆς ἡμέρων, εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἁγίαν κυριακὴν μεταβαίνοντες. Petavius videtur vocem μετάστασιν hic non intellexisse, quam *alternationem* vertit, cum *transitum*, aut *translationem* vertere debuisset; ut ex sequenti verbo μεταβαίνοντες patet: sicut etiam ipse Petavius, C. 21°, p. 328. B vocem μετάστασιν interpretatur *translationem*. In hoc Computo Solari inquirit in quam Septimanæ Feriam incidat quota Lunæ mensis undecimi & duodecimi, seu quota mensis Februarii & Januarii, cui introitus jejuniorum affigitur, in Tabella ad sinistram: præterea inquirit in quam Feriam incidat Luna XIV^{a} primi mensis, seu quota mensis Aprilis & Martii, in quam illa XIV^{a} Paschalis cadit, in Tabella ad dextram. Quoniam autem Pascha Christianum propter resurrectionem Christi in die Dominica factam, non in Luna XIV^{a}, sed in proxime sequenti Dominica celebratur: hinc a Feria quacunque, in quam Luna XIV^{a} Paschalis cadit, in Tabella ad dextram, transitus fit ad sequentem Dominicam Paschalem. Parem autem vel similem transitum faciendum esse, monet Maximus, a Feria, in quam incidit quota dies mensis Februarii & Januarii, in qua introitus jejuniorum annotatur, in Tabella ad sinistram, ad sequentem ordinario Dominicam, quæ ἀποκρέως, hoc est, *Carnisprivium* dicitur. (Quid autem singulare observandum sit in anno Bissextili, tam in Feriæ inquisitione,

quam

quam in tranſitu a Feria inventa, ad Dominicam, quæ ἀποκρέως dicitur, explicat Maximus C. 22. In Computo Solari enim dies Biſſextiles numerantur.) In hoc Computo Solari, terminus a quo eſt Dominica ἀποκρέως, & terminus ad quem eſt ipſa Dominica Paſchalis: a Dominica autem, quæ ἀποκρέως dicitur, uſque ad Dominicam Paſchalem, utroque termino incluſo, computat Maximus dies LVII. *Jejunia autem ante Paſchalia deſinunt in Sabbatho magno, proxime ante Dominicam Paſchalem.*

Obſervatio 10ª, Maximus in Partis 1ª, C. 3°, deſcribens Tabellam ad ſiniſtram, dicit, ἐν πέμπτῳ σίχῳ, αἱ ποσιαῖαι αὐτῶν τῶν μηνῶν, Januarii & Februarii, εἰς ἃς συμβαίνει γίνεσθαι τὴν ἀποκρεώσιμον ἑορτὴν. Maximus hic videtur non præciſe loqui: ſi enim ἡ ἀποκρεώσιμος ἑορτὴ concipiatur inire a Dominica, quæ ἀποκρέως dicitur, tum erraret: ſed forte totam illam Hebdomadem, quæ more Græcorum a Feria ſecunda incipiens, in Dominica, quæ ἀποκρέως dicitur, terminatur, vocat τὴν ἀποκρεώσιμον ἑορτὴν: vel eodem modo ac ſenſu τὴν ἀποκρεώσιμον ἑορτὴν, ac alibi τὴν παρείσβασιν τῶν ἁγίων νηστειῶν, in has Januarii & Februarii quotas dicit incidere, juxta Computum Lunarem, de quo ſupra Obſerv. 9ª.

X V.

Ad Partis 1ª Cap. 9um.

Hoc Capite agit, ut inſcriptio habet, *de differentia annorum Lunæ, & de ſumma dierum, in Cyclo ſcilicet Lunæ, XIX annorum.*

Sunt itaque (inquit) *univerſi Lunæ anni novendecim, ut dictum eſt.*

Septem quidem, qui æquales numero (ἰσαρίθμους) *Embolimos habent menſes, ſive, qui CCCLXXXIV dierum ſunt.*

Duodecim vero, qui communes dicuntur, hoc eſt, qui CCCLIV dierum ſunt.

Omnes autem illorum XIX Lunæ annorum dies, ſimul ſumptis ut patet, Embolimis menſibus, æquales numero exiſtunt, diebus Solarium (annorum) *XIX, hoc eſt,* (talium,) *qui CCCLXV dierum ſunt.*

Propterea enim ſeptem Embolimi menſes adponuntur Lunæ annis, ut faciant illos, quoad numerum dierum, ἀνελλιπῶς ἔχειν, *hoc eſt, non defective ſeu non minus habere, quam Solis anni* (habent,) *atque eſſe non ſolum 6726 dierum, ſed 6935.*

(*Tot*

(Tot enim XIX Solarium annorum dies exiſtunt.)
Ne uno quidem die ſuperabundante, in Cyclo totius Enneadecaëteridos.

Obſervationes.

1ª, Notandum, quod dicat, non ſimpliciter, quod ſeptem, ex novendecim, anni habeant Embolimos menſes, ſed expreſſe, quod habeant Embolimos menſes ἰσαρίθμους, hoc eſt, inter ſe æquales numero dierum, Plenos nempe dierum XXX.

2ª, Biſſextiles dies in ſumma annorum XIX Solarium, ejusque cum XIX annis Lunaribus comparatione non numerentur.

3ª, Notandum, quod ſi ſeptem Embolimi menſes ἰσάριθμοι, dierum XXX ſinguli, addantur XIX annis communibus, qui faciunt 6726 dies, tum non 6935, ſed 6936 dies proveniunt, adeoque unus dies in tota Enneadecaëteride ſuperabundat. Hoc probe noverat Maximus, ideoque ſtatim, ſequenti Capite, huic objectioni occurrit, & hanc difficultatem tollit.

4ª, Notanda hæc locutio ΚΥΚΛΟΣ ΕΝΝΕΑΚΑΙΔΕΚΑΕΤΗΡΙΔΟΣ: occurrit quoque Cap. 10. & 13.

XVI.

Ad Partis 1æ Cap. 10um.

Hoc Capite oſtendit, *quomodo illa dies ſuperabundans*, quæ ex additione menſium Embolimorum, XXX dierum oritur, *eximatur, & in quo anno*, ita ut tamen Embolimi menſes maneant integri & ἰσάριθμοι.

Etſi enim ſeptem menſes, hoc eſt, CCX dies illi (Enneadecaëteridi) *inſerimus, propter collectionem* (χάριν συλλείψεως, Petav. legit ἐλλείψεως, *defectum*; quod admittendum, vel legendum, συλλήψεως) *quæ fit per ſingulos illius* (Enneadecaëteridis) *annos, XI dierum, qui congregati CCIX dies tantum faciunt:* (adeoque unus dies per illos ſeptem Embolimos plus inſeratur quam oportebat; non tamen ipſa Enneadecaëteris Lunaris uno die ſuperabundat ſupra XIX annos Solares.)

Sed ultimus annus, ſive 19us uno die propterea decreſcit (παρὰ μίαν ἡμέραν διὰ τοῦτο γεγένηται) *CCCLIII dierum exiſtens, ut abſcindat illam in Embolimis menſibus ſuperfluam unam diem. Incipit enim a die 4to menſis Aprilis, & in die 22o Martii deſinit.*

Quo

Quo fit, ut ex Embolimorum menſium integritas in eo, quod inter ſe æquales numero dierum maneant, conſervetur; & totius Enneadecaëteridis Cyclus ne uno quidem die abundare inveniatur, ſupra XIX Solis annorum ſummam.

Obſervatio

1ª, Annus in Cyclo decemn. defectivus eſt annus Cycli ultimus, id eſt 19us.

2ª, Annus Cycli 19us eſt ille, qui habet Neomeniam Paſchalem die 4° Aprilis: adeoque annus Cycli 1us eſt ille, qui habet Neomeniam Paſchalem Martii 23.

3ª, Vides Maximum hic ſtatuere annum Cycli ſui 19um eſſe communem, ſive, ut C. 7 & 8. locutus erat, eſſe *annum Embolimum menſem non habentem*, cui tamen in Tabella ad ſiniſtram prænotaverat Ἐμβολ.: dicit enim hunc annum eſſe dierum CCCLIII, eumque incipere a die Apr. 4. & deſinere in die Martii 22. Cum, ut Embolimæus, deberet eſſe CCCLXXXIII dierum.

4ª, Annus Lunæ in Cyclo Maximi primus init a Martii die 23°; quod patet, quia annus in Cyclo Maximi ultimus, ſive 19us exit in Martii die 22°. Quod Maximus etiam oſtendit ſeq. C. 13°.

5ª, Annus Lunæ, in Cyclo Maximi, ultimus ſive 19us init ab Aprilis die 4°, ut hoc Cap. 10° expreſſe dicit.

6ª, Anni Lunæ in Cyclo Maximi non ineunt ab illa Luna quæ cadit in Kalendas Aprilis, a quibus annus Solaris, technice a Maximo aſſumptus, init, & a quibus anni Solis in Cyclo Maximi ineunt: ſed ab ipſa Neomenia, ſeu Luna 1ª menſis Paſchalis. quod ex Obſervatione 4ª & 5ª ſequitur. Confer infra, §° 18°, Conſectario 5°.

7ª, Anni Lunæ in Cyclo Maximi non ineunt ab illa Lunatione, quæ in menſe Thoth, aut Septembri terminatur, a quâ Lunatione anni Lunæ in Enneadecaëteride Alexandrina, ſaltem ex ejus prima inſtitutione, inibant. Confer Diſſ. noſtram de Lunatione a quâ Cyclus Alexandrinorum decemnovalis inibat, ex prima ejus inſtitutione.

8ª, Maximus initium annorum in Cyclo Alexandrinorum primitus conſtitutum mutans, vel ab aliis jam mutatum aſſumens, & loco Lunationis menſis Thoth, adoptans Lunationem in Cyclo Alexandrinorum Paſchalem, eam retinuit, qualis ibi erat, hoc eſt, Cavam; & hinc eſt, quod in Cyclo Maximi annorum Lunæ menſes primi ſemper ſint Cavi, dierum 29.

9ª, Alexandrini ſaltum Lunæ inſerebant anno Cycli ſui 19° in hujus anni menſe penultimo, hoc eſt in Lunatione penultima, quæ init in eorum menſe Epiphi, qui Romanorum Julio reſpondet, ut alibi oſtendi. Maximus vero in Cyclo ſuo aliud initium annorum Lunæ aſſumens, etiam ſitum ſaltus Lunæ mutavit, eumque inſeruit anno Cycli ſui 19°, in hujus anni menſe ultimo, hoc eſt, in illa Lunatione, quæ terminatur in Martii die 22°. Atque hinc eſt quod quædam Neomeniæ Maximi, quæ in anno, in Cyclo ejus, 19°, inde ab illa quæ in diem 1ᵘᵐ Julii cadit, uſque ad eam quæ in diem 21ᵘᵐ Februarii incidit, non incidant in eosdem dies anni civilis, quibus ab Alexandrinis affixæ erant. Vide ſupra §° 14°, Obſerv. 3ª. Atque hinc quam clariſſime patet, annos in Cyclo Lunæ Maximi inire a menſe Paſchali, adeoque annos in Cyclo Lunæ Maximi revera Embolimæos, menſium XIII, dierum 384, eſſe annum 2ᵘᵐ, 5ᵘᵐ, 7ᵘᵐ &c.

XVII.

Ad Partis 1ᵉ *Cap.* 11ᵘᵐ *&* 12ᵘᵐ.

In his Capitibus agit de quorundam Computo, qui πενταπλωσιν καὶ ἑξάπλωσιν faciebant.

De quibus forte in ſequentibus agam. quod feci §° 48 & 49.

XVIII.

Ad Partis 1ᵉ *Cap.* 13ᵘᵐ.

Hoc Capite (ut inſcriptio habet) oſtendit, *quænam ſit, & qua de cauſa fiat menſium Embolimæorum in annis Lunæ adjectio: Item unde ſemper primus annus incipiat, & ubi poſtremus deſinat.*

Dicimus autem (inquit) *quod propterea illis inſerantur, ut ex uno eodemque menſe illi* (Lunæ anni) ΨΗΦΙΖΕΣΘΑΙ ΚΑΝΟΝΙΣΘΩΣΙ (hoc eſt, *calculari regulentur*:) *quod aliter, quam ſic illis annis accidere non poteſt; propter defectum, per ſingulos annos, XI dierum; quorum defectum Solaris annus non habens, ex uno eodemque menſe incipiens ſemper* Κανονί-

ζεσθαι

ζεῖαι (hoc eſt, *reguletur*). *Ex menſe (inquam) vernali, & ἰσημερίαν*, (hoc eſt, *Æquinoctium*) *habente: qui eſt juxta Romanos, Aprilis; juxta Macedones, Xanthicus; juxta Ægyptios, Pharmuthi; juxta Hebræos vero Niſan, & juxta curſum Solis per Zodiacum, ille, qui ab iis, qui extra ſunt, dicitur* (Κριὸς) *Aries.* (*hoc eſt ille, in quo Sol a gentilibus dicitur eſſe in Ariete*, ſeu ſignum Arietis percurrere.)

Quandoquidem enim Luna per ſingulos annos, ob illorum, ante dictorum, XI dierum defectum, totidem diebus antevertens illum diem, a quo (*curſum*) *inceperat, non unum eundemque pro initio habet menſem qui inter cæteros manifeſtus ſit, ſed omnes ex æquo, propterea quod per omnes retrogradiendo ambulet, ita ut inde* ἀσημείωτον (hoc eſt, *nulla certa nota deſignatum*) *porro ſit initium annorum illius, quod attinet Neomenias*, (a quibus anni incipiunt).

Hic artificioſus Computus, & Methodus inſtituta eſt circa eam (*Lunam*) *juxta ſeptem illorum Embolimorum additionem: ut ex uno eodemque menſe, quemadmodum Sol, ſic & ipſa* κανονίζηται, ἢ ψηφίζηται, hoc eſt, *reguletur, & calculetur.*) *Et non tantum hoc, ſed ut etiam, inſtar unius Solaris anni, undiquaque ſibi ipſi exiſtens æqualis & ſimilis totus Enneadecaëteridis Cyclus appareat ut ab eodem puncto* (σημείῳ) *in idem incipiens & deſinens videlicet in* 1° *anno ipſius capiens ſemper initium in die Martii menſis* 23°, *in ultimo vero, ſeu* 19° *finem accipiens in die ejuſdem menſis* 22°.

Quid Maximus ſibi velit ſatis clarum eſt, quanquam non ſemper æque clare ſe exprimat.

Dicit menſes illos Embolimæos annis Lunæ addi in Enneadecaëteride, ut illi anni ex uno eodemque menſe incipientes ψηφίζεσθαι κανονισθῶσι, quemadmodum Solaris annus ab uno eodemque menſe incipiens ſemper κανονίζεται. Ex menſe (inquam) vernali, & Æquinoctiali, qui eſt ſecundum Romanos Aprilis, ... ſecundum Hebræos Niſan, &c.

Hoc autem ex Maximi hypotheſi neceſſe erat in Computo Paſchali, ut anni Lunares ſemper inciperent a menſe vernali & Æquinoctiali: (hoc eſt a tali menſe, cujus Luna XIV^{a} non anteverteret Æquinoctium vernum:) quia primus annorum Lunarium in Computo Paſchali menſis reſpondere debebat Hebræorum menſi Paſchali Niſan, qui, ut menſis novorum fructuum, ſemper cadebat circa Æquinoctium vernum

Illud autem obtineri non poſſe, dicit, niſi additione illorum menſium Embolimorum: Quia, abſque Embolimæis, initium anni Lunaris, primusque ille annorum Lunarium menſis, ſingulis annis XI diebus re-

 trocedit;

trocedat, adeoque circa Æquinoctium vernum non hæreret, sed per totum annum civilem retrogrediendo vagaretur: exempli gratia, pone primum illum annorum Lunarium mensem hoc anno Neomeniam habere in die Martii 23; sequenti anno eam habebit, XI diebus citius, in die Martii 12, Tertio vero anno, iterum XI diebus citius, in die Martii 1: adeoque ineunte 3° anno Neomenia primi illius mensis jam ita recessit, ut ejus mensis Luna XIVª Æquinoctium vernum attingere non possit, sed illud antevertat. Ac proinde jam opus est, ut, insertione mensis Embolimæi, illa Neomenia rursus protrudatur in diem Martii 31.

Ideoque (dicit) hic artificiosus Computus & Methodus Lunæ per προσθήκην illorum mensium Embolimæorum instituta est, ut quemadmodum Sol, sic & ipsa ex uno eodemque mense (vernali scilicet & Æquinoctiali, annum suum incipiens) κανονίζηται καὶ ψηφίζηται, hoc est reguletur & calculetur.

Præterea dicit, menses illos Embolimæos eum in finem inseri, ut Luna spatio XIX annorum redeat ad idem punctum (σημεῖον) unde digressa erat, & post XIX annos evolutos easdem Neomenias & Lunas XIVas reducat.

Consectaria quædam.

1um, Anni Lunares in Cyclo Lunæ Maximi, ut & Solares, non incipiunt civiliter a Septembri, aut Januario, sed technice circa Æquinoctium vernum. Quod patet ex toto Capite.

2um, Per *mensem Vernalem & Æquinoctialem, qui &c.*, intelligit mensem, in Cyclo Paschalem, quod patet 1° ex ipsa hujus mensis descriptione, & ejus varia apud varios determinatione. 2° ex eo, quod expresse dicat totius Cycli sui decemnovalis initium esse a die Martii 23°, in quo die, Cycli anno 1° Luna Paschalis nascitur. Adeoque anni Lunæ, in Cyclo Maximi, omnes & singuli ineunt a mense Paschali, quod non tantum ex modo dictis sequitur, sed etiam ex ipso Maximi ratiocinio patet, nam exempli gratia, annus in Cyclo Maximi 1us, incipiens a Martii die 23°, & 2us, incipiens a Martii die 12°, diebus XI citius, quam annus primus, ambo tamen incipiunt a mense vernali; si jam mense anni hujus 2di duodecimo, in die Februarii 28°, evoluto, non insereretur mensis Embolimus, inciperet annus 3us a Martii die 1° (qui mensis Lunaris incipiens a Martii die 1°, juxta hypothesin Maximi, non

non eſt vernalis, quia Lunam ſuam XIV^{am} habet ante Æquinoctium, Martii 21° affixum) adeoque annus 3^{us}, eo in caſu, non inciperet, æque ac 1^{us} & 2^{us}, a menſe vernali: eam ob cauſam menſis Embolimus anno 2°, ut tertius decimus adjicitur, ut annus 3^{us} ineat a Martii die 31° (qui juxta hypotheſin Maximi menſis vernalis eſt) adeoque æque, ut 1^{us} & 2^{us} annus, ab uno eodemque menſe, vernali ſcilicet. Atque hinc porro colligitur, quod menſis Embolimus non anno 3°, ſed anno 2° annumeretur.

3^{um}, Cyclus Lunæ Maximi, in 1° Cycli anno capit ſemper initium in menſis Martii die 23°, in ultimo vero ſeu 19° Cycli anno finem accipit in menſis Martii die 22°. ut in fine Capitis expreſſe dicit.

4^{um}, Ex hoc Capite non concludendum, Solem, una cum Luna, ab hoc die Martii 23° curſum ſuum decemnovennalem incipere, & poſt XIX annos evolutos (non conſideratis Biſſextilibus) in Martii die 22° finire. Ex ſequentibus enim patebit, Epactas Solis Maximi diei Martii 31° eſſe alligatas.

5^{um}, Anni Lunæ, in Cyclo Maximi non ineunt ab illa Luna, quæ cadit in Kalendas Aprilis, a quibus annus Solaris technicus, a Maximo aſſumptus, init, ſed ab ipſa Neomenia, ſeu Luna I^{a} menſis Paſchalis. Nam, ut dicit Maximus, *Dicimus igitur, quod menſes Embolimi annis XIX Lunæ inſerti ſunt* ἵνα ἐξ ἑνὸς καὶ αὐτοῦ μηνὸς ταῦτα (ἔτη) ψηφίζεσθαι κανονισθῶσι, *ut ex uno eodemque menſe illi (anni) calculari regulentur.* Et paulo poſt, ἡ τεχνικὴ ψῆφος αὐτὴ καὶ μέθοδος γέγονε ἐπ' αὐτῆς (σελήνης), *per ſeptem Embolimorum* (menſium) *adpoſitionem*, ὡς ἂν *ex uno eodemque menſe, ſicut Sol, ita etiam illa* (Luna) κανονίζηται καὶ ψηφίζηται (*reguletur & calculetur.*) Denique hoc addit: *Neque hoc tantum, ſed ut etiam*, ὡς εἷς ἐνιαυτὸς ἡλίου, *undiquaque ſibi ipſi exiſtens æqualis & ſimilis totus Enneadecaëteridis Cyclus appareat*, (δειχθῇ) *ut ab eodem puncto* (σημείῳ) *in idem incipiens & deſinens, videlicet in primo quidem illius anno initium ſemper capiens in Martii menſis die vigeſimo tertio, in ultimo vero, ſeu decimo nono finem accipiens in ejusdem menſis die vigeſimo ſecundo.* Ex quibus Maximi verbis, imprimis ex ultimis patet Cyclum ejus decemnovalem inire a Luna I^{a} menſis Paſchalis, in die Martii 23°, non autem a Luna X^{a} ejusdem menſis Paſchalis, in die Aprilis 1°. Cum autem hoc ita ſe habeat in primo Cycli ejus anno, idem dicendum erit de reliquis annis, videlicet eos omnes, & ſingulos inire a Neomenia, ſeu Luna I^{a} menſis Paſchalis.

6^{um}, Petavius in verſione Latina, illa verba Maximi, ΛΕΓΩ ΔΗΤΟΥ

ΕΛΡΙΝΟΥ &c. retulit ad Solarem annum, contra ſcopum Maximi. Error inde natus, quia Solaris annus, a Maximo technice aſſumptus, init a Kal. Aprilis. Sed ſcopus clamat, hæc referenda eſſe ad annos Lunæ, & ad illum unum eundemque menſem Lunarem, a quo omnes & ſinguli ineunt, Paſchalem ſcilicet, qui Aprilis, Xanthicus, & Pharmuthi appellatur, quia Lunatio Paſchalis ordinario in illis menſibus Solaribus terminatur, unde etiam Niſan vocatur, qui menſis Lunaris & primus apud Hebræos anni ſacri menſis erat, cui menſis in Cyclo Maximi Paſchalis, ex ejus hypotheſi, exacte reſpondebat.

XIX.

Ad Partis 1ᵃ Cap. 14ᵘᵐ.

In hoc Capite agit *de limitibus Neomeniarum Paſchalium, & Lunarum XIV*ᵃʳᵘᵐ.

Spatium illud, intra quod Neomeniæ Paſchales vagantur, vocat μῆνα τὸν εἴσω ἑαυτοῦ τὰς τῶν ὅλων τοῦ σελήνης ἔτων Νεομηνίας κεκλημένον: & dicit *quosdam illum propterea appellare* Πασχάλιον μῆνα.

Dicit *illud ſpatium initium ſumere a die Martii* 8°, *& finem accipere in die Aprilis* 5° : *adeoque eſſe dierum XXIX.*

Deinde addit *ſpatium illud, intra quod Lunæ XIV*ᵃ, *quæ ab illis Neomeniis procedunt, incipere a* 21° *Martii die, & finiri in* 18° *Aprilis die: adeoque etiam eſſe dierum XXIX.*

Denique obſervat (quod notandum) *annum Lunæ, qui* κατωτέρω, hoc eſt *infimam* ſeu *citimam omnium Neomeniam & Lunam XIV*ᵃᵐ *habet, eſſe decimum ſextum, qui vero* ἀνωτέραν, hoc eſt, *ſupremam*, ſeu *ultimam, octavum.* Plane, ut Beda dicit; unde iterum patet annum Cycli decemnovalis 1ᵘᵐ habere Neomeniam Martii 23, & Lunam XIVᵃᵐ, April. 5.

XX.

Ad Partis 1ᵃ Cap. 15ᵘᵐ.

In hoc Capite agit proprie *de Limitibus Dominicarum Paſchalium, & ſimul de Limitibus Lunarum Paſchalium.*

Unam

Unam tantummodo diem (inquit) *tranſcendimus, quoties in Sabbatum incidentem cernimus diem Martii* 21, *in qua etiam occurrit Lunæ XIV*ª.

Septenos vero dies transmittimus, quoties 18 *Apr. die Dominica incidit, & in eadem quoque occurrit Luna XIV*ª *primi ſecundum Hebræos menſis.*

Ita XXXV totos dies, tot enim ſunt a Martii 22 *uſque ad April.* 25, *Paſchati celebrando* κανονιζόμεθα.

Spatium ergo intra quod Dominicæ Paſchales vagantur eſt dierum XXXV.

Citimus ejus limes eſt Mart. 22.

Ultimus ejus limes eſt April. 25.

Quod vero attinet Lunæ ætatem in ipſo die Paſchatis, ex dictis patet. Paſcha celebrari a Luna XVª uſque ad XXIam.

XXI.

Ad Partis 1ª *Cap.* 16um.

Hoc Capite iterum agit de Computo πεντεκαιδεκαπλευτῶν ... πενταπλῶντων καὶ ἑξαπλῶντων.

De quo forte in ſequentibus agam.

NB. Illud ιϛ″ non delendum, ut Petavius ad marginem notat, ſed legendum ιζ″. Confer §um 55.

XXII.

Ad Partis 1ª *Cap.* 17um.

Hoc Capite, ut inſcriptio habet, agit *de annis ab Adamo, quot ſint, & quomodo per eos Solis, & Lunæ, & Biſſexti, annus* ἐνιστάμενος, hoc eſt, *præſens inveniatur.*

Neceſſe præterea eſt (inquit) *noſſe numerum annorum ab Adam.*

Nam Cycli Paſchales certæ alicui Æræ alligari debent: & Æra, qua Maximus utitur, eſt Æra a Mundo condito; adeoque neceſſe eſt, ut quis noſcat quotus ſit a Mundo condito ille annus, cujus Paſcha quæritur, vel inveſtigandum proponitur.

Sunt igitur (inquit) *ex Eccleſiaſtico Calculo ac Traditione, uſque ad præ-*

ſentem

ſentem XIV^{am} *Indictionem*, *anni* 31^{mi} *Imperii Heraclii*, *piiſſimi noſtri Imperatoris*, *anni* 6133.

Hinc ſequitur Maximum ſcripſiſſe hunc Computum anno Mundi 6133^{o} Heraclii 31^{o}, Indictione XIV^{a}.

Quibus (ſic pergit) *diviſis & reſolutis* τὸ ἐνιστάμενον ἔτος, hoc eſt, *præſens annus Solis*, *Lunæ*, *ac Biſſexti reperitur*. *Videlicet Solis annus*, *ſi* (annos illos Mundi) *diviſeris per XXVIII*. (Tot enim annos habet Cyclus Solis.) *Lunæ vero annos*, *ſi diviſeris per XIX*. *Item Biſſexti annum*, *ſi diviſeris per IV*. *&c*. Nam quod ex diviſione reliquum eſt, indicabit quotus Cycli Solis, vel Lunæ, vel quotus a Biſſextili ſit hic præſens annus: ſin vero nihil reliquum maneat, erit 28^{us} Solis, 19^{us} Lunæ, & ipſe Biſſextilis ille annus.

Hinc ſequitur

1^{o}, Annum Mundi 1^{um} ſtatui annum Cycli Solis 1^{u} Lunæ 1^{um} & a Biſſextili primnm.

2^{o}, Annum Mundi 6133^{um} (qui coneurrit cum Ind. XIV^{a}, Imperii Heraclii 31^{o}) eſſe annum Cycli Solis 1^{um}, Lunæ 15^{um}, & *a Biſſextili* 1^{um}. Confer §^{um} 11^{um}, Obſerv. 10^{a}.

3^{o}, Annum Chriſti, juxta Æram vulgarem Dionyſianam, 641^{um} habere eosdem hos characteres Obſerva tantum annum Cycli Solis 1^{um}, juxta Maximum, dare Feriam ſeptimam concurrentem cum die Martii 31, adeoque etiam concurrentem cum die Martii 24.

4^{o}, Ad deſignandum annum labentem, quo ſcribebat, utitur Æra Indictionum: *Sunt igitur* (inquit) *ab Adam* μέχρι τῆς ἐνεστώσης ιδʹʹ Ἰνδικτιῶνος ἔτους λαʹʹ τῆς βασιλείας Ἡρακλείου &c. hoc eſt, ut Petavius recte vertit, *ad præſentem XIV*^{am} *Indictionem anni* 31^{mi} *Imperii Heraclii*. Confer P. 1^{a} C. 32, p. 335. D. & P. 3^{a}, C. 9. p. 350. B. Determinat itaque annum, quo ſcribebat, per Indictionem labentem XIV^{am}, & ut eam non tantum in genere diſtingueret ab aliis Indictionibus XIV^{ts}, ſed etiam in ſpecie ab illis duabus Indictionibus XIV^{tis} ſub Imperio ejusdem Heraclii proxime tranſactis, addit non tantum nomen Imperatoris Heraclii, ſed & annum 31^{um} Imperii ejus. Vide ſimiles temporis, per Æram Indictionum, deſignationes, in Heraclii Imperatoris Methodo Paſchali. Indictio CP procedebat, ſaltem tempore Heraclii, a Septembri, a quo etiam annus civilis Græcorum inibat: ut alibi oſtendi. Indictio itaque hæc XIV^{a} jam labi cœperat antequam Heraclius annum Imperii ſui 31^{um} inierat Octobris die 5^{o}. Maximus tamen ad hanc Indictionem XIV^{am} diſtinguendam & determinandam, eam vocat *XIV*^{am}

In-

Indictionem anni 31^{mi} *Imperii Heraclii*, quia hæc Indictio XIV^{a} maximam partem cum hoc anno Heraclii concurrebat, & hoc ad distinctionem sufficiebat: accedit, quod, quum Maximus scribebat, non tantum Indictio XIV^{a}, sed & annus Heraclii 31^{us} jam labebatur. Vide supra 5^{um} 3^{um}.

5°, Utitur Æra Mundi seu ab Adam, *sunt* (inquit) *ab Adam ad præsentem XIV*^{am} *Indictionem anni* 31^{mi} *Imperii Heraclii*, *anni* 6133. Ubi terminus ad quem, hæc XIV^{a} Indictio, non *exclusive*, sed *inclusive* sumendus est; ita ut annus Mundi 6133^{us} & hæc XIV^{a} Indictio concurrant. Quod ex hoc ipso Capite, & ex Maximi Canone Chronologico patet, in quo annus Heraclii 31^{us} & Mundi 6133^{us} concurrunt.

6°, Quia Indictio CP procedit a Septembri, ut & annus Græcorum civilis, admodum probabile, si non certum est, annos hujus Æræ, qua Maximus utitur, inire a Kalendis Septembris; adeoque annum Mundi 6133^{um} & hanc XIV^{am} Indictionem, non tantum concurrere, sed etiam pari passu ambulare.

7°, Hinc confirmatur, quod N° 3° jam ex Cyclo Solis, & Lunæ, & Bissextili observaveram, hunc annum Mundi 6133^{um} concurrere a sequenti Januario cum anno Æræ Christi Vulg. Dionysianæ 641°.

8°, Adeoque annum Mundi 5493^{um} concurrere a sequenti Januario cum anno Æræ Christi Vulg. Dionysianæ 1°.

9°, Quia autem annus Mundi 6133^{us} est Indictionis XIV^{æ}, sequitur annum M. 1^{um} esse Indictionis II^{dæ}, quod etiam Maximus agnoscit P. 1^{æ} C. 33.

10°, Quia annus M. 6133^{us} divisus per 4, reperitur esse primus a Bissextili, hinc saltem hoc sequitur, hunc annum M. non inire in anno Æræ Vulgatæ 641° a Kal. Apr. nam tum foret revera secundus a Bissextili, ut patet, quia Cyclus Solis 1^{us}, qui labente anno M. 6133° init a Kal. Aprilis, est revera secundus a Bissextili, ut ex Epactis Solis in Rota Maximi videre licet, modo observaveris illos annos Cycli, qui habent Epactas binario crescentes, esse revera primos a Bissextili, licet iis nota Bissexti adscribatur, quia ineunt ab Aprili, post Bissextum jam in præcedenti Februario transactum.

11°, Habet itaque annus hujus Æræ Mundi primus hos characteres:

O labente

labente	init	& concurrit a ſeq. Jan.
Per. Julianæ	Æræ Mundi	cum Per. Julianæ
Prolepticæ	Maximi	Prolepticæ
anno	annus	anno
7201°, BA.	1us a Sept. 1°,	7202°, G.
ante	Feria VIa	ante
Æram Chriſti Vulg.	Luna Va	Æram Chriſti Vulg.
anno	Indict. IIda.	anno
5491°, BA.	& habet	5492°, G.

in ſequentis Martii die 23°,
Lunam Iam, a quâ Cycli Lunæ annus 1us init
in ſequentis Martii die 31°,
Lunam IXam,
Feriam VIIam,
& in ſequentis Aprilis die 1°,
Feriam Iam, a quâ Cycli Solis annus 1us init,
eſtque primus a Biſſextili.

12°, Maximus de hac ſua Mundi Æra loquens dicit: *ſunt igitur ab Adam* κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν ψῆφόν τε καὶ παράδοσιν, *ad XIVam Indictionem anni 31mi Imperii Heraclii, anni 6133.* Quod notandum. Nam his verbis indicat, quod hæc Æra in Eccleſia recepta & in Computo Paſchali adhibita fuerit, & quod hæc Æra jam a longo tempore in Eccleſia obtinuerit; prius videtur ſignificari per τὴν ἐκκλησιαστικὴν ψῆφον, poſterius per τὴν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν. Hoc autem Maximus addit, non tam ut hanc Æram a civili, quam ut eam ab Æra πενταπλοῦντων & ἑξαπλοῦντων, quæ in Eccleſia nondum recepta, & recentior erat, diſtingueret. Confer P. 1a C. 12. p. 322. A. & P. 3a C. 2. 3. p. 340. B. 342. D. (in quibus locis tamen proprie agit de ordine annorum in Cyclo Lunæ & Solis.)

13°, Hac Æra jam ante Maximum uſi erant Anianus, Theophilus Alexandrinus, & (ſi annum Incarnationis &c. non conſideres) Panodorus, cum hoc diſcrimine tamen, quod horum Æra ad annum Alexandrinum accommodata erat, qui init a Thoth, & intercalarem diem habet in 6a Epagomena; quod probe obſervandum.

labente

labente	init &	concurrit
Per. Julianæ	Æræ Mundi	cum Per. Jul.
Prolepticæ	Aniani, &c.	Prolepticæ
anno	annus	anno
7201° BA.	1us a Thoth	7202° G.

Aug. 29°,
Feria III,
Luna IIda,
Indict. IIda,
Cycli Solis 1°,
Cycli Lunæ 1°,
estque secundus ab intercalari.

XXIII.

Ad Partis 1æ Cap. 18um.

Hoc Capite ostendit *aliam Methodum ad eadem invenienda.*

Quæ in eo consistit, *ut prius illa summa annorum ab Adam, quæ est 6133, dividatur per 532 (tot annos enim habet Cyclus Magnus, ex 28 & 19 in se invicem ductis) & quod reliquum est, nempe 281, deinde dividatur per XXVIII, XIX, & IV, ut supra.*

Nam anno Mundi 6133° jam undecim Periodi 532 annorum effluxerunt, & duodecimi annus 281us labitur.

Ex hoc Cap. 18. quam clarissime patet Æræ Mundi, qua Maximus utitur, innexam esse Periodum 532 annorum, quæ init in anno M. 1°.

Adeoque Periodus XIa absoluta anno Mundi 5852°, Constantini Junioris anno 24°, ut dicitur in Maximi Canone Chronologico, p. 355. Anno a Diocletiano 76°, ut ibidem p. 354. videre licet.

Init itaque Periodus XIIa, anno Mundi 5853°, Diocletiani 77°, qui concurrit a sequenti Januario, cum anno Christi 361o.

Confer Dissertat. nostram de Theophili Alexandrini Cyclo Paschali CCCCXVIII annorum, §. 8.

XXIV.

Ad Partis 1æ Cap. 19um.

Continet hoc Caput ἀπόδειξιν τοῦ τρόπου, καθ' ὃν, *quis Pascha quotannis computare possit* ἐκ τοῦ δὲ τούτου Κανόνος, hoc est, *ex illo ipso Laterculo*, sive ex illis Tabellis & Rota.

Observa Maximum hæc scripsisse ante Pascha; labente jam Indictione XIV^{a}, & anno Imperii Heraclii 31°, item anno Mundi 6133° civiliter sumto, sed nondum labente, verum proxime instante (εἰσιέναι μέλλοντι) anno Cycli Solis 1°, & anno Cycli Lunæ 15°, qui anni inituri erant proximo mense Vernali & Æquinoctiali: & intelliges, quomodo eundem annum, & ἐνεστῶτα & iterum εἰσιέναι μέλλοντα dicat: nisi etiam ἐνεστῶτα (cum Petavio) vertere velis *instantem*, quod tamen, meo judicio, non congruit cum iis, quæ Capite 17° dixerat.

Modus autem, quem ostendit, ad inveniendum Pascha anni, Capite 17° memorati, (& sic etiam Paschata aliorum annorum) hic est.

Invento jam (per præscriptam divisionem) *anno Cycli Solis & anno Lunæ. Qui in hoc anno* (Mundi 6133°) *est Solis* 1^{us}, *& Lunæ* 15^{us}.

Quære in Tabella ad dextram annum Lunæ XV^{um}, *& invenies ibi annotatam Lunam XIV*^{am}, *die Apr.* 1°.

Quære in Rota annum Solis 1^{um} *& invenies ad illum annum annotatas*
Epactas Solis VII
diei Aprilis I
adde VII Epactas Solis,
fiunt VIII
divide per VII
remanet I.

Ex quo cognoscitur, diem Aprilis I, in quem cadit Luna XIV^{a}, *esse Feriam I*^{am} *seu Dominicam.*

Transfer Pascha in sequentem Dominicam, in diem Apr. 8^{um}, *& Lunam XXI*^{am}.

Observa 1°, Quod annus Christi, Æræ Vulgaris, 641^{us} etiam hos characteres habeat.

Observa 2°, Etiam hinc patescere primum Cycli decemn annum esse illum, qui Neomeniam Paschalem habet die Mart. 23.

Observa 3°, Hinc præcisum tempus determinari, quo Maximus hæc scripsit, nempe exeunte anno Christi Æræ Vulg. 640°, ante mortem Heraclii, quæ incidit in sequentis Februarii diem 11^{um}. Vide supra §° 3.

XXV.

Ad Partis 1^{æ} *Cap.* 20^{um}.

Agit *de decima die septimi secundum Hebræos mensis, quomodo & illa reperiatur.*

Ad hoc Caput nihil habeo notandum. Confer infra §^{um} 26^{um}.

XXVI.

Ad Partis 1^æ Cap. 21^um.

In hoc Capite agit *de introitu jejuniorum ante-Paschalium, quomodo quotannis cognoscatur.*

Maximus in hoc Capite 21. p. 328. C. *repetit & breviter exponit, quomodo Computus ex ejus* Κανονίῳ *peragatur.*

Pone exempli gratia, aliquem labente anno Mundi 6133°, qui a Sept. init, in hujus anni mense Decembri Computum instituere, & *ope hujus Canonii velle inquirere Pascha, jejunium ante-Paschale, & X^am septimi mensis Judaici, proxime futura.*

Is debet juxta Maximum

1°, Τηρεῖν τὸ ἔτος nempe *Cycli Lunæ & Cycli Solis per divisionem annorum Mundi, hoc in casu* 6133^tii, *quá proditur annus Cycli Lunæ XV^us & Cycli Solis 1^us, qui labente hoc anno Mundi* 6133° *proxime inibunt tempore verno.*

2°, Τηρεῖν *Romanum mensem, & ejus quotum diem, positum in Tabella ad dextram e regione anni Cycli Lunæ per divisionem annorum Mundi per 19 inventi, hoc in casu XV^ti, & huic adjacentem in Tabella ad sinistram, e regione anni Lunæ præcedentis, hoc in casu XIV^ti, & invenitur hoc in casu, in Tabella ad dextram e regione anni Lunæ XV^ti, Aprilis dies 1^us pro Luna XIV^a Paschali, & Septembris dies 21^us pro X^a mensis Tisri; & in Tabella ad sinistram adjacentem, e regione anni Lunæ XIV^ti, Februarii diem 4^um.*

3°, Ἐμβάλλειν αὐτῇ, hoc est, *huic quotæ, modo inventæ, hoc in casu Aprilis 1, Septembris 21, & Februarii 4, adjicere*

a. Τὰς ἀπὸ σηρικοῦ παρακειμένας προσθήκας. hoc est, *Regulares, rubro colore descriptos, qui horum mensium quotis diebus adjacent, hoc in casu, ad Aprilis diem 1, 0. ad Septembris diem 21, VI. ad Februarii diem 4, IV.*

b. *Et* τὰς ἐπακτὰς τοῦ ΕΝΕΣΤΩΤΟΣ ἡλιακοῦ ΕΤΟΥΣ, hoc est, *Epactas præsentis Solaris anni, qui per divisionem annorum Mundi, per 28, inventus est, hoc in casu anni Cycli Solis 1^mi, qui, ut in Rota videre licet, habet Epactas VII.* *Iisdem enim* (inquit) *Epactis unius ejusdemque Solaris anni, videlicet præsentis* (qui per divisionem anni Mundi dati, cujus Pascha quæritur, per 28 partiti, proditur) *ad omnes in hocce* Κανονίῳ (tam ad sinistram, quam ad dextram) *dispositos, uti oportet, menses,*

menses, eorum quotis eas (Epactas) adjicientes, una cum Regularibus rubro notatis. Quod notandum.

4°, *Summam ex his collectam dividere per Septenarium, & reliquum habere pro Feria in illo die mensis Romani.*

anno Lunæ XIV°	introitus Febr. 4.	Luna XIV^a Apr. 1.	X^a Tisri Sept. 21.	anno Lunæ XV°
προσθέται	4.	0.	6.	
Epactæ	7.	7.	7.	*anni Solis* 1^mi
	15	8	34	
partire per 7				
Reliquum	1^a	1^a	*6^a Feria*	

5°, *Transfer in sequentem Dominicam*

erit *Festum Carnisprivii* *Febr. die* 11°, — *erit* *Pascha Christianum* *Aprilis die* 8°, *Luna XXI^a.*

Erunt a Februarii die 11° *inclusive, usque ad Aprilis diem* 8^um *exclusive, dies LVI seu Septimanæ VIII, pro jejunio ante-Paschali.*

Observatio 1^a, Annus Mundi datus hoc in casu 6133^us, in hoc Maximi Computo solummodo inservit, ut ope divisionis per 19, & per 28, inveniatur annus Lunæ qui labente hoc anno Mundi a mense Paschali inibit, quique notatur in Tabella ad dextram in versu 1°, hoc in casu annus Lunæ XV^us: nec non annus Solis, qui hoc anno Mundi labente inibit a Kal. Apr., quique in Rota notatur, hoc in casu annus Solis 1^us.

Observatio 2^a, Hunc annum Cycli Solis 1^um vocat annum *præsentem*, quia per divisionem anni M. 6133^tii per 28, proditur, & huic anno M. 6133° proprius & congruus est, ad inveniendum Pascha illius anni M 6133^tii: licet eo tempore, quo Maximus scribebat, ille Solis annus 1^us nondum inierat, sed proxime initurus erat, & in illa relatione ad tempus, quo scribebat, eundem hunc annum vocaverat εἰσερχόμενον, & μέλλοντα εἰσιέναι. C. 19.

Observatio 3^a, In hoc Computo utitur *Epactis Solis*, non anno Mundi a Septembri ineunti, sed anno technico a sequenti Aprili ineunti propriis; nam Epactæ anni Mundi 6133^tii a Septembris die 1° ineuntis non sunt VII, sed V juxta Computum Maximi. Ratio est, quia anni Cycli

Cycli Solis Maximi non procedunt ab initio anni civilis, a Kal. Sept., ſed ab initio anni, technice ab eo aſſumpti, a Kal. ſequentis Aprilis.

Obſervatio 4ª, In hoc Computo utitur *Epactis*, exempli gratia, anni Cycli *Solis* 1^mi^, non tantum ad inveniendam Feriam in die Aprilis 1°, & in die ſequentis Sept. 21°, qui in annum Solis 1^um^ a Kal. Apr. ineuntem incurrunt, ſed etiam ad inveniendam Feriam in die præcedentis Februarii 4°, qui non in annum Solis 1^um^, qui demum a Kal. ſequentis Aprilis inibit, ſed in annum Solis 28^um^ adhuc labentem incurrit. Quod inſolitum eſt, & incongruum videri poteſt. Hinc illud expreſſe monet, *ſemper utendum eſſe Epactis anni præſentis*, hoc eſt, illius anni Cycli Solis, qui anno Mundi dato labente init, & ex diviſione hujus anni M. per 28, proditur *ad omnes in hocce ſuo* Κανονίῳ *diſpoſitos menſes*, hoc eſt, non tantum ad menſem Aprilem, Septembrem & Octobrem, in Tabella ad dextram, qui ad annum Cycli Solis præſentem revera pertinent, ſed etiam ad menſem Januarium, & Februarium, in Tabella ad ſiniſtram, imo quoque ad menſem Martium, in Tabella ad dextram, qui, cum Kal. Apriles in eodem anno M. præcedant, non ad annum Cycli Solis præſentem, ſed ad annum Cycli Solis præcedentem revera pertinent, eorum menſium quotis eas Epactas adjiciendo, una cum regularibus rubro notatis.

Obſervatio 5ª, Computus ille, quo exempli gratia, per Epactas anni Cycli Solis 1^mi^ inquiritur feria in die 4^to^ menſis Februarii, qui illum Aprilem, a quo annus Cycli Solis primus init, proxime præcedit, ac proinde revera ad annum Cycli Solis 28^um^ pertinet, vocari poteſt *Computus Solaris retrogradus*.

Obſervatio 6ª, Totum hujus computi retrogradi artificium in eo conſiſtit, quod προσθέται menſium Januarii, Februarii, & Martii in Κανονίῳ unitate minores, quam revera ſunt, adnotentur; idque eam ob rationem, quia adhibentur Epactæ unitate majores, quam oportebat.

Exempli gratia, προσθέται menſis Februarii revera ſunt V. (vide infra §. 29.) Menſis Februarius hoc in caſu revera pertinet ad annum Cycli Solis 28^um^, cujus Epactæ ſunt VI, Epactæ autem anni Cycli Solis 1^mi^, per quas computus peragitur, ſunt VII, adeoque unitate majores, quam oportebat: ut itaque per eas computus abſque errore peragi poſſit, προσθέτας Februarii unitate minuit, & non V, ſed IV tantum προσθέτας Februario in Κανονίῳ adſcripſit. In anno autem Biſſextili, quando Epactæ binario cretæ adhibentur, eædem προσθέται altera unitate minuendæ ſunt.

XXVII.

XXVII.

Ad Partis 1ª Cap. 22um.

In hoc Capite explicat, *quid in Tabella ad ſiniſtram, in introitus jejuniorum inveſtigatione, obſervandum ſit in unoquoque Biſſexto.*

Primo monet *hoc in annis Biſſextilibus obſervandum eſſe, ut* προϑέσαι *ſive Regulares menſium Februarii & Januarii, rubro colore notatæ, uno die minuantur, propter diem Biſſextilem inter introitum jejuniorum & Lunam XIV Paſchalem intercurrentem.* Rationem vide ſupra §° 26°, Obſerv. 6ª.

Secundo obſervat, *in annis non Biſſextilibus, quando Biſſextilis dies non intercurrit, quotas Februarii & Januarii in Tabella ad ſiniſtram ſemper in eandem hebdomadis Feriam cadere, in quam quotæ Aprilis & Martii, in Tabella ad dextram, incidunt.* Ut ſupra §° 26, N° 4° videre licet. Cujus rei ratio hæc eſt, quod, quando Biſſextilis dies non intercurrit, ſemper a quotis Februarii & Januarii uſque ad quotas Aprilis & Martii (termino utroque incluſo) numerentur præciſe dies LVII; qui faciunt 8. Hebdomadas completas, & præterea diem unam, adeoque primus & ultimus horum LVII dierum ſemper in eandem incidunt Feriam.

Tertio monet, *quod in annis Biſſextilibus, quando dies Biſſextilis intercurrit, dictæ quotæ Februarii & Januarii non cadant in eandem Feriam, ſed in Feriam anteriorem ea, in quam quotæ Aprilis & Martii incidunt:* & hujus rei ratio eſt, quia a quotis Februarii & Januarii uſque ad quotas Aprilis & Martii, (termino utroque incluſo) numerantur (quando dies Biſſextilis, in Februarii die 29°, intercurrit) dies LVIII; adeoque quando horum LVIII dierum primus cadit, exempli gratia, in Dominicam, aut Feriam ſecundam, aut tertiam &c. tum horum LVIII dierum ultimus cadit in Feriam ſecundam, aut tertiam, aut quartam &c.

Exemplum.

Inveſtigetur introitus jejuniorum, & Paſcha in anno Æræ Mundi 6132°, a Kal. Septembris ineunte. Annus Mundi 6132us (qui Biſſextilis eſt, & diem Biſſextilem habet in ſequentis Februarii die ultimo) diviſus per 19, prodit annum Cycli Lunæ XIVum, ineuntem a ſequenti menſe Paſchali: diviſus autem per 28, prodit annum Cycli Solis XXVIIIum,

a Ka-

a Kalendis Aprilis ineuntem, qui primus est a Bissextili, quippe in præcedenti Februario dies Bissextilis insertus est.

Anno Lunæ XIII introitus jejuniorum Februarii die 15	Luna XIV^a April. 12 anno Lunæ XIV
προσθεταὶ 4 ÷ 1. seu 3	. . 0
Epactæ . . . 6	. . 6 anni Cycli Solis 28^vi
24	18
divide per 7	
Reliquum 3^a	4^a Feria.

Transfer in sequentem Dominicam

erit	erit
Carnisprivii festum	Pascha Christianum
Febr. die 20°	Apr. die 16°, Luna XVIII^a.

Quarto denique indicat *aliquid singulare observandum eo in casu, quando horum dierum LVIII primus dies cadit in Feriam septimam, ultimus vero dies in Dominicam; nempe tum ab illa Feria VII^a, in Tabella ad sinistram, transitum faciendum non in proxime sequentem Dominicam, sed in eam, quæ post octiduum sequitur.*

Exemplum.

Investigetur introitus jejuniorum & Paschæ in anno Mundi 6140°; qui prodit annum Cycli Lunæ III^um, & annum Cycli Solis VIII^um.

anno Lunæ II introitus jejuniorum Februarii die 16	Luna XIV^a April. 13 anno Lunæ III
προσθεταὶ 4 ÷ 1, seu 3	. . 0
Epactæ . . . 2	. . 2 anni Cycli Solis 8^vi
21	15
divide per 7	
Reliquum 7^a	1^a Feria.
Transfer in Dominicam post octiduum,	Transfer in sequentem Dominicam,
erit	erit
Carnisprivii festum	Pascha Christianum
Febr. die 24.	Apr. die 20°, Luna XXI^a.

XXVIII.

Ad Partis 1æ Cap. 23um.

Agit hoc Capite *de Epactis Solis*, *quæ sint*, *& quis earum usus.*

Epactas Solarium annorum dicit esse illas dies, *quæ ab illa Feria Septimanæ*, *a qua Solaris annus incipit*, *retrogrediendo reliquæ sunt in eadem Septimana usque ad Feriam 1am seu Dominicam præcedentem.*

Exempli gratia. In hoc præsenti anno Solis XXVIIIo (cœpit enim in die Apr. 1o, Feria VIIa, seu Sabbato) transactas dies illius Hebdomadæ usque ad Dominicam, *Epactas habet*, *hoc est*, *Parasceven*, *Feriam Vam*, *IVam*, *IIIam*, *IIam*, *& Dominicam ipsam*; *ut proinde sex illius XXVIIIvi anni sint Epactæ.*

Unde, *cum annus proxime initurus* (εἰσιέναι μέλλων) *Solis* (*inquam*) *1us*, *a Feria 1a seu Dominica incipiat*) *septem dies*, *quæ a præcedente Sabbato usque ad transactam Dominicam numerantur*, *Epactas habet.*

Similiter 2dus Solis annus, *quia a Septimanæ Feria IIa incipit*, *solam 1am*, *id est*, *Dominicam Epactam habet*, *cum nullam aliam diem*, *præter Dominicam*, *in eadem Septimana antecedentem habeat.*

De usu vero Epactarum hæc habet:

Illas autem dies (Epactas scilicet) τηρῦμεν, hoc est, *servamus*, *ut hebdomadice*, id est, *ab initio Hebdomadæ omnem Solarem annum* κανονίζωμεν, (*regulemus*) *ad inventionem Hebdomadicæ diei*, *quandocunque eam etiam in uniuscujusque mensis quolibet die scire volumus.*

Nisi enim hoc modo (ὅτως τῦτο) *ab Hebdomadis prima die*, *seu Dominica omnis Solaris annus* κανονισθῇ, *impossibile* (ἀμήχανον) *est hebdomadicam diem in ullo deprehendere mense eos*, *qui computare volunt.*

Exempli gratia, *sit præsens XXVIIIus* (*Solis*) *annus*, *qui Sabbato cepit initium: nisi illas ante Sabbatum sex dies*, *primo diei Aprilis mensis addidissemus*, (vide Cap. 18) *nequaquam Sabbatum esse illam* (Aprilis 1am diem) *nossemus.*

Quoniam enim in Parasceve (hoc est, Feriâ VIa) *terminum habuit transactus XXVIIus annus*, *illæ numero æquales Parascevæ* (hoc est, Feriæ VIæ) *dies* (*sex*) *terminales* (ληκτικαὶ) *quidem illius* (anni XXVII) *sunt*, *qui in ea* (Parasceve) *finitur*, *hujus* (anni XXVIIIvi) *vero Epactæ*, *propterea quod adduntur* (ἐπάγονται) *1æ diei Aprilis*, *& hoc*

modo

modo (five illa additione) *indicant hebdomadicam diem, a qua idem XXVIII*^us^ *annus incepit.*

Sic enim & in hebdomadica harmonia (five, *ferie, compage*) *fervatur femper* συνέχεια, hoc eft, *cohærentia* vel *continuitas*, vel *perpetuitas*; & *Solarium annorum*, ὡς (*ficut*) *ab initio hebdomadæ feu prima die* κανονίζεται, *motio.* (κίνησις)

Quo fit ut nullus iis, qui computare volunt, fiat error circa deprehenfionem hebdomadicæ diei (five Feriæ) *in cujuslibet menfis die.*

Quid Maximus in hoc Capite fibi velit in genere clarum eft:

Patet enim Epactas illas Solis effe, vel indicare concurrentes Septimanæ dies, quæ concurrunt cum die Martii 31.

Patet præterea illas infervire ad inveniendam Feriam, iftius diei, in quam Luna XIV^a^ incidit, & fic porro ad determinandam ipfam Dominicam Pafchalem.

Sed ad ea, quæ Maximus in hoc Capite dicit, diftinctius intelligenda, varia notanda & obfervanda funt.

1°, Obferva duplicem Solis annum confiderari poffe: unum hebdomadicum, qui, quando Communis eft, conftet præcife hebdomadibus LII, diebus 364, adeoque anno Solari Juliano die una & quadrante minor eft: quique, quando (ut ita dicam) Embolimæus eft, conftet præcife hebdomadibus LIII, diebus 371, una videlicet hebdomade illi additâ: alterum Solarem proprie dictum, qui conftet diebus 365 & quadrante, & propterea unoquoque quarto anno, propter intercalatum Biffextum, fiat dierum 366; qui annus Solaris concipitur, cum anno hebdomadico concurrere.

2°, Obferva, hebdomadicum annum femper inire in die Dominicâ, feu prima hebdomadis die, quæ & Feria 1^a^ dicitur: atque annos hebdomadicos XXVIII tot dies præcife colligere, quot totidem anni Solares ordinarii, additis Biffextis, comprehendunt: ut &, poft annos XXVIII evolutos, eafdem Epactas, & quidem eadem ferie, redire.

Schema Cycli XXVIII annorum,

annus Mundi	annus Mundi	annus Heraclii	Indictio	annus Æræ Vulgaris	litera Domin.
1	6105	3	I	613	G.
2	6106	4	II	614	F.
3	6107	5	III	615	E.
4	6108	6	IV	616	Bissext. DC.
5	6109	7	V	617	B.
6	6110	8	VI	618	A.
7	6111	9	VII	619	G.
8	6112	10	VIII	620	Bissext. FE.
9	6113	11	IX	621	D.
10	6114	12	X	622	C.
11	6115	13	XI	623	B.
12	6116	14	XII	624	Bissext. AG.
13	6117	15	XIII	625	F.
14	6118	16	XIV	626	E.
15	6119	17	XV	627	D.
16	6120	18	I	628	Bissext. CB.
17	6121	19	II	629	A.
18	6122	20	III	630	G.
19	6123	21	IV	631	F.
20	6124	22.	V	632	Bissext. ED.
21	6125	23	VI	633	C.
22	6126	24	VII	634	B.
23	6127	25	VIII	635	A.
24	6128	26	IX	636	Bissext. GF.
25	6129	27	X	637	E.
26	6130	28	XI	638	D.
27	6131	29	XII	639	C.
28	6132	30	XIII	640	Bissext. BA.
incipit a Septemb. præced.	incipit a Septemb. præced.	incipit ab Octob. præced.	incipit a Septemb. præced.	incipit a Januario sequente	in anno Juliano.

ad illustrationem eorum, quæ observamus.

Cycli Sol. annus Hebdomad.		habet Epactas	incipit die Martii	Cycli Solis annus Solaris	incipit Apr. 1. Feriâ	est dierum	definit Mart. 31. Feriâ
1	Emb.	VII	25	1	I^{a}		I^{a}
2		I	31	2	II^{a}		II^{a}
3		II	30	3	III^{a}	366	IV^{a}
4		IV	28	4	V^{a}		V^{a}
5		V	27	5	VI^{a}		VI^{a}
6		VI	26	6	VII^{a}		VII^{a}
7	Emb.	VII	25	7	I^{a}	366	II^{a}
8		II	30	8	III^{a}		III^{a}
9		III	29	9	IV^{a}		IV^{a}
10		IV	28	10	V^{a}		V^{a}
11		V	27	11	VI^{a}	366	VII^{a}
12	Emb.	VII	25	12	I^{a}		I^{a}
13		I	31	13	II^{a}		II^{a}
14		II	30	14	III^{a}		III^{a}
15		III	29	15	IV^{a}	366	V^{a}
16		V	27	16	VI^{a}		VI^{a}
17		VI	26	17	VII^{a}		VII^{a}
18	Emb.	VII	25	18	I^{a}		I^{a}
19		I	31	19	II^{a}	366	III^{a}
20		III	29	20	IV^{a}		IV^{a}
21		IV	28	21	V^{a}		V^{a}
22		V	27	22	VI^{a}		VI^{a}
23	Emb.	VI	26	23	VII^{a}	366	I^{a}
24		I	31	24	II^{a}		II^{a}
25		II	30	25	III^{a}		III^{a}
26		III	29	26	IV^{a}		IV^{a}
27		IV	28	27	V^{a}	366	VI^{a}
28		VI	26	28	VII^{a}		VII^{a}
incipit in Martio sequente		quando annus init	semper Feria 1^{a} seu Dominicâ	incipit ab Aprilis sequentis die 1^{o}.			sequentis anni.

3° Obſerva, an ſtatuerit M. conditum eſſe Martii die 25, mihi incompertum eſſe.

4° Obſerva, propterea Cycli XXVIII annorum annum hebdomadicum primum initium ſumere a die Martii 25, die Dominica; annum vero Solarem primum, initium ſumere a die Aprilis 1°, die itidem Dominicâ, unâ hebdomade ſerius: adeoque annum hebdomadicum primum ineuntem habere VII Epactas, quia ſeptem diebus citius incipit, quam annus Solaris primus.

5° Obſerva, annum hebdomadicum Communem, Septimanarum LII, dierum 364, deficere ab anno Solari Communi, dierum 365, die uno; ab anno vero Solari Biſſextili, dierum 366, diebus duobus: & ex hoc defectu oriri Epactas anni hebdomadici, quæ *Solis Epactæ* vocantur.

6° Obſerva, has Epactas, quando numerum ſeptenarium, quod eſt ſpatium hebdomadis, tranſcenderent, tum anno præcedenti in fine addi unam hebdomadam; qua addita annus ille hebdomadicus ex Communi fit Embolimæus, Septimanarum LIII, dierum 371: atque hinc eſt; quod annus hebdomadicus primus ſtatim fit Embolimæus, quia alias annus hebdomadicus 2us, acciperet VIII Epactas.

7° Obſerva, initium annorum hebdomadicorum ſemper quidem fixum adhærere eidem hebdomadis diei, *Dominicæ* ſcilicet, ſeu Feriæ 1a; non autem fixum adhærere eidem anni civilis diei Martii 25°, ſed vagari per ſeptem Martii dies, a die ejus menſis 25 uſque ad diem 31um, incluſive. e contra initium annorum Solarium ſemper quidem fixum adhærere eidem anni civilis diei, Aprilis 1°, ſed non fixum adhærere eidem hebdomadis diei, ſed vagari per ſeptem hebdomadis Ferias.

8° Obſerva, quod attinet Æram, quam Maximus connectit cum annis Cycli Solis, tam hebdomadicis, quam Solaribus, quod anni Æræ iſtius, tam Mundi, quam indictionum, incipiant a Septembri menſe, qui menſem Martium & Aprilem, in quos initia incidunt annorum hebdomadicorum & Solarium Cycli XXVIII annorum, præcedit.

9° Obſerva, Maximum concipere, intercalationem diei Biſſextilis, more Romano, fieri in menſe Februario.

10° Obſerva *quam maxime*, annum Cycli Solis vocari Biſſextilem, non illum, qui a die Aprilis 1° uſque ad diem Martii 31, ſequentis anni civilis, colligit dies 366; ſed illum, qui, poſt diem Biſſextilem in præcedente menſe Februario intercalatum, in ſequenti menſe Aprili, ejuſdem anni civilis, initium ſumit. Sic exempli gratia, non annus Cycli Solis 3tius, ſed ejuſdem Cycli annus 4us, ut Biſſextilis notatur.

11° Ob-

11° Obſerva, numerum *Epactalem*, exempli gratia, 1mi anni hebdomadici convenire cum numero Feriæ in ultimo die anni Solaris 28vi præcedentis: adeoque numerum *Epactalem* 1mi anni indicare quota ſit Feria in die Martii 31, ejusdem anni civilis, in quem initium iſtius anni hebdomadici 1mi incidit: & ſic ſemper.

12° Obſerva, ex his omnibus pateſcere cur Maximus *concurrentes* alligaverit diei Martii 31°.

Obſervationes novæ.

Obſervatio 1a, Hæc definitio Epactarum Solis, a Maximo hoc Capite tradita, non eſt definitio *Epactarum ſimplicium*, *ſed compoſitarum*, *quæ ex ſimplicibus & Catholicis conſtantur:* licet hoc primo intuitu non appareat, quia primus Solis annus in Cyclo Maximi init a Dominicâ ſeu Feria Ia, ac proinde *Catholicas nullas* habeat. Si enim Cyclum Solis non a Kal. Aprilis, ſed a præcedentibus Kal. Septembris inire voluiſſet, ſtatim hoc appareret: nam tum primus Cycli annus iniret a Feria VIa, & haberet *Catholicas* V, & juxta definitionem Maximi forent

Epactæ	ſimplices		Cathol.	Maximi
anni 1mi	VII. o	+	V	V
—— 2di	I	+	V	VI
—— 3tii	II	+	V	VII
—— 4ti	III	+	V	I
—— 5ti	V	+	V	III

& ſic porro.

Vide Diſſertationem noſtram de Computo Solari in genere.

Confer quoque Epactas Lunæ Maximi, quæ itidem compoſitæ ſunt ex Epactis ſimplicibus & Catholicis IX.

Vide quoque Partis 3æ C. 10.

Obſervatio 2a, Ex hoc Capite patet annos Cycli Solis Maximi, omnes & ſingulos, inire a Kalendis Aprilis (a quibus etiam annus Solaris, non civilis, neque Æræ Mundi, ſed technice aſſumptus init) non autem a die Dominicâ has Kalendas Aprilis præcedente. Nam

a. Ipſa definitio *Epactarum Solis* hoc oſtendit.

b. *Cœpit* (inquit) *hic præſens annus Solis XXVIIIus in die Aprilis* 1°; *Feria VIIa, ſeu Sabbato.*

c. *Annus*

c. *Annus* (inquit) *proxime initurus, Solis, inquam,* 1[us] *a Feria I*[a] *ſeu Dominica incipiet*, in eodem ſcilicet die Aprilis 1°.

d. *Solis* (inquit) *annus* 2[us] *a Septimanæ Feria II*[da] *incipit.*

e. *Præſens annus* (Solis) *XXVIII*[us] (inquit) *Sabbato cepit initium. Et transactus XXVII*[us] (Solis) *annus in Paraſceve, hoc eſt Feria VI*[a] *, terminum habuit.*

Obſervatio 3[a], De uſu Epactarum ſuarum dicit, *illas autem dies* (Epactas ſcilicet) τηρῶμεν, *ut hebdomadice, id eſt, ab initio hebdomadæ omnem Solarem annum* κανονίσωμεν *ad inventionem hebdomadicæ diei, quandocunque eam etiam in uniuscujusque menſis quolibet die ſcire volumus. Niſi enim hoc modo ab hebdomadis prima die, ſeu Dominica omnis Solaris annus* κανονισθῇ, *impoſſibile eſt, hebdomadicam diem in ullo deprehendere menſe eos, qui computare volunt.* Et paulo poſt, cum dixiſſet has Epactas adjiciendas eſſe 1[æ] diei Aprilis (aut numero dierum, ab Aprilis die 1° incluſive uſque ad diem datum incluſive, collectorum) & adjectas indicare hebdomadicam diem in illo die dato, ſic pergit: *Sic enim & in hebdomadica harmonia ſervatur ſemper* συνέχεια, (*cohærentia*) *& Solarium annorum* ὡς (*ſicut*) *ab initio hebdomadæ, ſeu prima die,* κανονίζεται *motio* (κίνησις.) *Quo fit, ut nullus iis, qui computare volunt, fiat error circa deprehenſionem hebdomadicæ diei,* (hoc eſt Feriæ) *in cujuslibet menſis die.*

Hæc omnia reſpiciunt Computum Solarem ad deprehendendam Feriam in quovis anni die dato. In hoc Computo requiritur, ut ad numerum dierum, a primo anni die, uſque ad diem datum collectorum, adjiciantur Epactæ, quales Maximi ſunt, ex Epactis ſimplicibus & Catholicis conflatæ; & hac additione hoc efficitur, ut illa ſumma dierum ineat a die Dominica, ſeu Feria I[a], & terminetur in die dato, & tum facile, ablatis ſeptenariis, ſeu hebdomadibus completis, deprehenditur Feria in die dato.

Hoc autem efficere (juxta Regulas in Computo Solari obſervandas) per adjectionem harum Epactarum ad dies, a primo anni Solis die uſque ad diem datum collectos, ut illa ſumma dierum ineat a Dominica, ſeu Feria I[a] Maximo eſt, *ab initio ſeu prima die hebdomadæ annos Solis* κανονίζειν, *ad deprehendendam Feriam*; & nihil aliud.

Exempli gratia, ſit propoſitus Aprilis dies 1[us] anni in Cyclo Solis Maximi XXVIII[vi]: cujus Epactæ ſunt VI

Sume ποσιαίαν Aprilis		I
adjice Epactas anni 28[vi]	,	VI
		VII

Hæc

Hæc ſumma dierum inibit a Dominica die & terminatur in Aprilis die 1° : unde patet in die Aprilis 1° eſſe Feriam VII^{am}.

Exempli gratia: Sit propoſitus Maji dies 1^{us} anni in Cyclo Solis Maximi XXVIII^{vi} : cujus Epactæ ſunt VI.

Sume dies ab Aprilis die 1° uſque ad Maji diem 1^{um} collectos XXXI
adjice Epactas anni 28^{vi} . . . VI

XXXVII

Hæc ſumma dierum inibit a Dominica die, & terminatur in Maji die 1°. Ablatis quinque Septenariis, remanebunt dies 11 : unde patet in Maji die 1° eſſe Feriam II^{am}.

Vide Diſſertationem noſtram de Computo Solari in genere.

Ratio autem, quare Maximus hoc vocet, *a prima die hebdomadæ annos Solis* κανονίζειν, hæc videtur; quod in hac adjectione Epactarum tot dies initio ſeu diei 1° anni Solis præponantur, atque hoc modo initium anni Solis *quaſi* retrahatur & reducatur ad præcedentem Dominicam diem: ac proinde annus Solis a Computiſta in Solari Computo ita *reguletur*, & *juxta regulas dirigatur*, ut ejus initium, ita quaſi retractum, a præcedente Dominica die procedat. Et hoc eſt quod Maximus dicit: *Sic enim . . . Solarium annorum* κίνησις (*motio*, *proceſſio*) κανονίζεται (*regulatur*) ὡς (*veluti*, *quaſi*) *ab initio hebdomadæ*, *ſeu prima die* (*fieret.*)

Præterea, quia juxta definitionem Epactarum a Maximo traditam, dies ab ultima præcedentis anni Dominicâ uſque ad finem iſtius anni decurrentes, (quos præcedentis anni *dies terminales* vocat) ſunt Epactæ anni ſequentis: quando hi dies, in Computo Solari, ad deprehendendam Feriam, per adjectionem Epactarum, initio anni ſequentis præponuntur, & hoc modo initium hujus anni, *quaſi* retrahatur & reducatur ad præcedentem Dominicam diem; eo ipſo iidem illi dies a fine præcedentis anni quaſi auferuntur, & terminus illius anni *quaſi* retrahitur & reducitur ad præcedentem Sabbati diem; atque hoc modo anni Solis *quaſi* convertuntur in annos hebdomadicos: (de quibus fuſe egi ſupra) & eo videtur Maximus reſpicere, quando dicit: *Sic enim in hebdomadica harmonia ſervatur ſemper* συνέχεια (*cohærentia.*)

Cum autem hæc Computum Solarem tantummodo ſpectent, non autem ipſam Cycli Solis conſtitutionem & ordinationem: & ille conceptus anni hebdomadici ex ſolo artificio, in hoc Computo adhibito, oriatur, adeoque pro mero conceptu habendus ſit: minime ex his Maximi verbis concludendum eſt, annos Solis in ejus Cyclo ſemper inire a Dominica

die Kalendas Aprilis præcedente, in quamcunque Martii menſis diem illa Dominica incidat: cum, ut Obſervatione 2ª probavi, ex hoc ipſo Capite pateat, annos Solis in Cyclo Maximi ſemper inire ab ipſis Kalendis Aprilis, a Feria quacunque in illas Kalendas incurrente.

XXIX.

Ad Partis 1ª Cap. 24um.

In quo oſtendit, *quomodo Feria in cujuscunque menſis quolibet die inveniri poſſit.*

Idque duplici methodo:

1° Jubet, *colligere omnes dies, qui a die Apr. 1° uſque ad diem menſis quæſitum effluxerunt: terminis incluſive ſumptis.*

Jubet *his addere Epactas Solis labentis anni*, qua additione ide fficitur, ut hæc ſumma dierum incipiat a die Dominicâ ſeu Feria Iª. *NB.* labens ille annus concipitur ſemper incipere a die Apr. 1. Vide Schema §. 28.

Jubet *hanc ſummam dividere per VII:* ut ſcilicet omnes Septimanæ completæ ex illa auferantur.

Et dicit, *id, quod ex hac diviſione reliquum manet, exprimere quota ſit Feria in die quæſito:* quod jam per ſe patet.

NB *Si nihil remanſerit, inde patet in die quæſito Septimanam completam fuiſſe; adeoque diem quæſitum cadere in Feriam VIIam.*

Exemplum.

Quæratur in quam Feriam incidat dies Maji 13us, anno Mundi 6110° Chriſti 618°. * Annus Mundi ille 6110, per XXVIII diviſus) dat Cycli Solis annum 6um, incipientem a die April. 1, & habentem Epactas VI.

Dies collecti ab Apr. 1 — Maj. 13, ſunt	XLIII
Epactæ labentis anni 6ti in Cyclo Solis ſunt	VI
ſumma	XLIX
hæc ſumma, ſi dividatur per VII relinquit	VII vel o

Adeoque dies Maji 13us in illo anno cadit in Sabbatum, ſeu Feriam VIIam.

Aliud

Aliud Exemplum.

Quæratur in quam Feriam incidat dies Febr. 2us, anno Mundi 6110° Christi 818°, ut supra. Annus Mundi ille per XXVIII divisus, dat Cycli Solis annum 6um, incipientem a die April. 1. Sed quia dies ille quæsitus Febr. 2us præcedit initium anni, in Cyclo Solis 6ti, quod est a die Apr. 1: patet illum diem Feb. 2um pertinere adhuc ad annum labentem Cycli Solis 5um, qui habet Epactas V.

Dies Collecti ab Apr. 1 — Dec. 31, & a Jan. 1 — Feb. 2, sunt	CCCVIII
Epactæ labentis adhuc anni, in Cyclo Solis, 5ti sunt	V
summa	CCCXIII
quæ divisa per VII	
relinquit	V

Adeoque dies Febr. 2us in illo anno cadit in Feriam Vam.

2°, Jubet *sumere dies, qui in unoquoque mense, supra XXVIII, excurrunt, incipiendo a mense Aprili, usque ad illum mensem (exclusive) de cujus die quæritur, in quam Feriam incidat: illosque in unam summam colligere.*

Jubet *huic summæ addere Epactas labentis anni in Cyclo Solis.*

Jubet deinde *addere dies omnes a primo ad quæsitum diem (inclusive) illius mensis, de cujus die quæritur.*

Jubet *summam, ex hac additione ortam, dividere per septem.*

Et dicit, *id, quod ex hac divisione reliquum manet, indicare Feriam, in quam dies quæsitus cadit.*

	habet dies	ultra XXVIII	collecti	demptis Septenariis	
Aprilis	30	2	2		
Majus	31	3	5		
Junius	30	2	7	0	
Julius	31	3	10	3	
Augustus	31	3	13	6	Maximo
September	30	2	15	1	dempta
October	31	3	18	4	unitate
November	30	2	20	6	sunt
December	31	3	23	2	1
Januarius	31	3	26	5	4
Februarius	28	0	26	5	4

 Exem-

Exemplum.

Quæritur (ut ſupra) in quam Feriam incidit dies Febr. 2us, in anno Mundi 6110, Chriſti 618. Quo tempore labitur adhuc annus Cycli Solis 5us, qui a die Apr. 1° anni Mundi 6109, Chriſti 617 incepit.

Dies in menſibus ab Aprili (incluſive) uſque ad ſequentem Februarium (excluſive) ſupra XXVIII, ſeu quatuor Septimanas, excurrentes, in unam ſummam collecti, ſunt XXVI

His adde Epactas anni, in Cyclo Solis, 5ti, adhuc labentis V

Adde præterea dies in Februario, a die ejus 1° uſque ad diem quæſitum (incluſive) elapſos II

ſumma eſt XXXIII

quæ diviſa per VII

relinquit V

Ergo dies Febr. 2us, in illo anno Mundi & Chriſti, incidit in Feriam Vam.

Obſervatio 1a, Modus hujus computi primus ſimplex eſt; modus vero ſecundus adhibet compendium calculi: quale etiam adhibuerant Alexandrini, qui pro unoquoque menſe, qui in eorum anno omnes tricenarii erant, ſumebant dies duos.

Obſervatio 2da, Hæc collectio dierum in unoquoque menſe ultra XXVIII excurrentium, procedit ab Aprili & in eo differt a computo Alexandrinorum, qui procedit a menſe Thoth, hunc Aprilem præcedente.

Obſervatio 3tia, Hinc patet Cyclum Solis Maximi, ejusque annos omnes & ſingulos, inire ab Aprili, a feria quacunque in Kal. Aprilis incurrente: unde etiam in fine hujus Capitis dicit: *ob hanc igitur cauſſam anni Solis Epactas habere dicuntur, & propterea iisdem* προσηνῶς *utimur.* Confer ſupra §. 28.

Obſervatio 4ta, Hinc porro patet annum Cycli Solis primum inire a Kal. Aprilis Feria Ia, labente anno Æræ ejus Mundanæ 1°, 29°, &c. in tali anno Per. Julianæ, qui habet literam Dominicalem G, poſt BA; eſt enim, quia ab Aprili incipit, ſecundus ab anno Biſſextili dierum 366.

Obſervatio 5ta, In hoc Computo Solari ſemper hæc cautela obſervanda. Quando dies in anno Æræ Mundanæ datus (cujus Feria quæritur) cadit ante Kalendas Aprilis, tum adhibendas eſſe Epactas, non illius anni Solis, qui per diviſionem anni Mundi dati proditur, ſed præcedentis. Vide ſupra exemplum 2dum. Præterea memento,

quando

quando dies datus in anno Biſſextili, poſt Biſſextum inſertum, & tamen ante Kalendas Aprilis cadit, tum numerum dierum, ab Aprili ad diem datum collectorum, unitate augendum eſſe.

Quod itaque attinet annos Biſſextiles, in quibus NB. in Februario dies intercalaris inſeritur.

Quæratur in quam Feriam incidat dies Martii 21us, in anno Mundi 6132° Chriſti 640° Biſſextili.

Solutio juxta 1am Methodum.

Annus Mundi 6132 per 28 diviſus, dat Cycli Solis annum 28um, qui incepturus eſt die April. 1°, poſt diem Martii 21um quæſitum: adeoque labitur adhuc Cycli Solis annus 27us, isque colligit dies 366, ut ex Schemate patet, & habet Epactas IV.

Dies omnes collecti ab Apr. 1°, ad Mart. 21 ſunt
in anno Communi quidem 355, ſed hic, quia Biſſextilis CCCLVI
Epactæ anni 27mi adhuc labentis ſunt . . . IV

ſumma CCCLX
quæ diviſa per VII
relinquit III.

Adeoque dies quæſitus Martii 21us cadit in Feriam IIIam illo in anno.

Solutio juxta 2am Methodum.

Notandum, quod in anno Biſſextili Februarius non 28, ſed 29 dies colligat: adeoque diebus ultra XXVIII ex menſibus collectis, addendam eſſe unitatem.

dies
ultra XXVIII
collecti
ab Apr. 1 — Mart. 21. addita unitate .
ſunt
XXVII
adde IV Epactas anni 27mi
adde XXI in Martio

fiunt LII
divide per VII

reliquum III, ut ſupra.

XXX.

Ad Partis 1ª Cap. 25um.

In hoc Cap. oſtendit, *quinam anni in Cyclo Solis, poſſint dici Epactis carere, & ſic conſiderari ut habentes Epactas nullas.*

Nempe *omnes illi, qui Epactas VII habent, ut annus* 1, 7, 12, 18.

Nam quia VII Epactæ faciunt Septimanam completam: perinde eſt, ad inveniendam Feriam, ſive illas addideris, ſive nihil addas, cum deinde diviſione per VII, iterum auferantur.

Nam quando Epactæ ſunt VII, tum in illis annis dies Apr. 1us cadit in Dominicam, & ſumma dierum a die Apr. 1° collecta incipit a Dominica, neque opus eſt ut additione VII Epactarum id efficiatur, ut illa ſumma dierum a Dominica incipiat.

Obſervatio 1ª, Quia omnes anni in Cyclo Solis Maximi ineunt a Kal. Apr., & illi anni qui Epactas VII vel nullas habent, 1us ſcilicet, 7us, 12us & 18us ineunt a Dominica die; ac proinde ineunt in tali anno Juliano, qui habet in Aprili Lit. Dom. G. Hinc patet *Oraculum Zachariæ factum, & Joannem Baptiſtam conceptum eſſe, juxta Maximum, anno Juliano LIII, Æræ Vulg. Chriſti* 8° *Biſſextili, qui habet Lit. Dom. AG.* adeoque Lit. G. poſt Martium, ut Petavius recte ſtatuit, & non anno Juliano XLII, ante Æram Vulg. Chriſti 4°, qui habet Lit. Dom. G. poſt BA. ut Pagius vult, in Diſſ. de Per. Græco-Romana §° XXIX. *neque Petavium, ſed ipſum Pagium, fefellit identitas* (*ut dicit*) *Literæ Dominicalis in annis Julianis XLIII & LIV*, quæ quidem utrobique eſt F, ſed in anno Juliano XLIII eſt F, poſt G, in anno Juliano LIV autem F, poſt AG. quam differentiam ſi vir doctiſſimus animadvertiſſet, ſe hic Petavio non oppoſuiſſet. Nam annus in Cyclo Solis Maximi 12us, quo labente Joannes conceptus eſt, init a Kal. Apr., & Dominica die, in tali anno Juliano, qui Biſſextilis eſt, & habet Lit. Dom. AG Quod non tantum ex ipſo Maximi Κανονίῳ ſeu Rota, & aliis pluribus argumentis, ſed etiam ex hoc ipſo Capite patet, in quo non tantum annus 12us, ſed & 7us in Cyclo Solis Maximi, dicuntur VII vel nullas Epactas habere, & inire a Dominica die in Kalendis Aprilis; adeoque juxta Cyclum Maximi, non tantum in illo anno Juliano, quo Joannes conceptus eſt, ſed & in 5° anno, hunc præcedente, debet inveniri

veniri in Kalendis Aprilis Litera Dom. G. Si itaque, ut vult Pagius, Joannes conceptus eſt, anno Solis Maximi 12°, anno Juliano XLII, Lit. Dom. G, deberet anno Solis Maximi 7°, Juliano XXXVII, quoque Lit. Dom. G. incurrere in Kal. Apr.; quod non fit, nam illo anno Juliano XXXVII, qui habet Lit. Dom. GF, incurrit in Kal. April. non Dominica, ſed Feria 2ª.

Obſervatio 2ª, Ex hoc Capite quam clariſſime patet, annos Solis in Cyclo Maximi, omnes & ſingulos inire a Feria quacunque in Kal. Apr. incurrente: dicit enim annos Solis in Cyclo ſuo primum, ſeptimum, duodecimum, & decimumoctavum, inire a Dominica die: ac proinde reliqui omnes non ineunt a Dominica die. Præterea indicat annos Solis in Cyclo ſuo pari paſſu ambulare cum annis formæ Julianæ, qualis erat annus Solaris technice a Maximo aſſumptus, iniens ſemper a Kal. Apr.: dicit enim, annum Solis Epactas non habere, *eo modo*, *quo*, vel, *eam ob cauſam*, *ob quam* annus Lunæ Epactas *habet* (κέκληται). Quippe *illi* (anno Solis) *nihil dëeſt ad explendos CCCLXV dies*, uti hic (Lunæ annus) XI diebus deficit, quamobrem etiam ſeptem menſium Embolimorum adjectionem Cyclus decemnovalis recipit; ſed eam *ſolummodo* ob cauſam (annus Solis Epactas obtinet) ut in computo Feria in omnibus duodecim menſibus deprehendi poſſit, κατὰ τὴν ἐν ἀρχῇ τῶν ἡλιακῶν ἐτῶν τῆς ἑβδοματικῆς ἁρμονίας συνέχειαν τε, καὶ παραπλήρησιν, (dum ſcilicet Epactæ initio anni Solis præpoſitæ, efficiunt, ut initium annorum Solis hoc modo quaſi retrahatur & reducatur ad præcedentem Dominicam diem, & numerus dierum collectorum uſque ad diem datum ineat a Dominica die, & per Septimanas completas perpetuo progrediatur, & ſic, per ablationem Septenariorum, Feria in die dato facile obſervetur.) Confer quæ ſupra obſervavimus §° 28, Obſervatione 3ª. Si anno Solis Cyclico nihil deëſt ad explendos CCCLXV dies, ſequitur annos Solis in Cyclo Solis Maximi, omnes & ſingulos, pari paſſu ambulare, inire & finiri, & totidem dierum eſſe, cum totidem annis Julianis a Kal. Apr. ineuntibus, quales Maximus technice aſſumpſit; adeoque Maximum annos ſuos Solis Cyclicos non conſiderare, ut revera hebdomadicos, a Dominica die, Kal. Apr. præcedente, ſemper ineuntes. Licet annos ſuos Lunæ aliter concipiat, nempe, ut ineuntes, non a Kal. April., ſed a Neomenia Paſchali.

XXXI.

Ad Partis 1æ Cap. 26um.

In hoc Capite agit *de* προσθέταις, *quæ a Latinis computistis ordinarie regulares, & etiam non incommode Epactæ menstruæ (ad distinctionem Epactarum Solis annuarum) vocantur.*

Dicuntur autem προσθέται, quia προστίθονται, hoc est, adduntur ad dies in mense elapsos usque ad diem, de quo quæritur in quam Feriam incidat, ut ope hujus additionis id efficiatur, ut hæc summa dierum incipiat ab eadem Feria, in quam cadit 1us dies anni Solaris technici (Aprilis dies 1us).

Inventæ autem sunt compendii gratia, ut Computus in indagatione Feriæ, in quam quilibet cujuscunque mensis dies incidat, facilior redderetur: & ne cogerentur Computistæ omnes dies, exempli gratia, a die Apr. 1° usque ad diem quæsitum in unam summam colligere, & tantam summam deinde per VII dividere.

Sunt autem προσθέται dies illi, qui ex summa dierum, qui a die Apr. 1° usque ad mensem illum, de cujus die quæritur, colliguntur, per VII divisa, reliqui sunt. Vel qui ex diebus, ultra XXVIII in singulis mensibus excurrentibus, ab Aprili incipiendo, collectis, demptis Septenariis, reliqui sunt. Vide Schema §. 29 propositum.

Observa autem προσθέτας semper denominari a mense sequenti: exempli gratia, summa dierum a die Apr. 1° usque ad ultimum diem Julii collecta, & per VII divisa, relinquit 3 προσθέτας, quæ vocantur προσθέται mensis Augusti, & mensis Augustus dicitur habere III προσθέτας, quia (si de die aliquo in mense Augusto quæstio, in quam Feriam ille incidat) ad dies, in Augusto, a 1° usque ad quæsitum, elapsos, adduntur & addendæ sunt.

Sed notandum, *Maximum in hoc Capite* non tantum agere de προσθέταις in genere, earumque naturam indicare in initio Capitis, sed eum *imprimis, ut ipsa Capitis inscriptio docet, agere de* προσθέταις *rubro colore in* Κανονίῳ *suo, ad menses Januarium, Februarium, ac Martium, nec non Septembrem & Octobrem adnotatis, in quibus aliquid irregulare occurrebat.*

Προσθέται enim Martii, Februarii & Januarii unitate minutæ in Κανονίῳ anno-

annotantur. Vide Schema προσθετῶν, ſupra §. 29. exhibitum. Et ratio hujus irregularitatis hæc eſt, quod Maximus ad Feriam in horum menſium quotis diebus, ibidem notatis, deprehendendam, voluerit adhibere *Computum retrogradum*, & uti Epactis non anni Solis, qui a Kal. Aprilis ante hos menſes jam inierat, & ad quem hi menſes revera pertinent, ſed anni Solis, qui a Kal. Aprilis poſt hos menſes incepturus eſt, & ad quem hi menſes revera non pertinent.

Προσθεταὶ vero Septembris & Octobris unitate minutæ non ſunt, ſed in ſtatu ſuo naturali relinquuntur, cum ſi annum Æræ Mundi, ad quem hi menſes pertinent, ſpectes, illi etiam præcedant initium anni Solis, qui poſt hos menſes in eodem anno Mundi a ſequentibus Kalendis Aprilis initurus eſt; adeoque eadem ratio videtur requirere, ut etiam horum menſium προσθεταὶ unitate minutæ, adnotatæ fuiſſent. Et ratio hujus diverſitatis hæc eſt, quod Maximus ad Feriam in horum menſium quotis diebus, in Κανονίῳ notatis, deprehendendam, voluerit adhibere *Computum* non retrogradum, ſed *progreſſivum*, & uti Epactis non anni Solis, qui diviſo anno Mundi, ad quem hi menſes pertinent, per 28 proditur, quique poſt hos menſes in eodem anno Mundi a ſequentibus Kalendis Aprilis initurus eſt, ſed anni Solis, qui ante hos menſes in anno Mundi præcedente, ad quem hi menſes non pertinent, a præcedentibus Kalendis Aprilis jam inierat, & ad quem annum Solis hi menſes pertinent. *Voluit enim Maximus ad deprehendendam Feriam in quotis diebus omnium menſium, qui in* Κανονίῳ, *tam ad ſiniſtram, quam ad dextram notantur, uti Epactis illius anni Solis, qui poſt menſes Januarium, Februarium & Martium, & ante menſes Septembrem, & Octobrem, a Kalendis Aprilis intermediis init.* Ideoque voluit *Computum retrogradum*, qui ex Κανονίῳ peragitur, & a Kalendis Aprilis retrogrediendo incipit, non ulterius procedere, quam ad Januarium, & minime ad præcedentem Septembrem, a quo anni Mundi ineunt, pertingere: & contra *Computum progreſſivum*, qui ab iisdem Kalendis progrediendo incipit, noluit ſubſiſtere in fine anni Mundi, in quem hæ Kalendæ Apr. incidunt, ſed ulterius progredi uſque ad Septembrem & Octobrem, qui in ſequentem annum Mundi incurrunt.

Hæc autem indicare & explicare ſcopus hujus Capitis proprius eſt.

Hunc in finem notanda hæc Maximi verba, paulo ante medium Capitis, ubi, poſtquam dixiſſet, ſe ad Septembrem προσθετὰς VI, & ad Octobrem προσθετὴν I, in Κανονίῳ ſuo adnotaſſe, ſic pergit: *Nam ſive XIII dies, aut XV dies retineamus, ſive (demptis Septenariis) VI ſolas,*

aut 1^am^ *ad illos duos menses* (*Septembrem & Octobrem*) *applicemus*, *nihil ad Feriam indagandam refert*, κατὰ τὴν συμπαράληψιν δηλονότι τῶν ἐπακτῶν τοῦ ἐνεστῶτος ἡλιακοῦ ἔτους, hoc est, *quando scilicet præsentis anni Solis Epactæ simul assumuntur*. Per *præsentem annum Solis* intelligit illum annum Solis, qui ante hos menses, in anno Mundi præcedente, a Kalendis Aprilis init, quique ex divisione anni Mundi præcedentis, per 28, proditur. Si enim adhibere voluisset Epactis anni Solis futuri, qui post hos menses in anno Mundi sequente, ad quem hi menses revera pertinent, a sequentibus Kalendis Aprilis initurus est, tum etiam debuisset horum mensium προσθέτας unitate minuere, ad Feriam in horum mensium quotis diebus deprehendendam: quemadmodum, ut mox indicabit, fecerat circa προσθέτας Martii, Februarii, & Januarii.

Notanda sunt præterea Maximi verba in medio Capitis: *eadem est ratio* προσθετῶν *dierum rubricatorum*, *IV & I*, *in Martio*, *Januario*, *& Februario adscriptorum* (in Tabella ad dextram & ad sinistram:) εἰ καὶ διὰ προσθήκης ἡμερῶν ὁ ἐκδημαντικὸς (Petavius judicat legendum, ἑβδομαδικὸς) αὐτῶν λόγος καὶ κανὼν γέγονε ἐναντίως τοῖς ἐξ ἀφαιρέσεως κανονιζομένοις μησὶν; οἷται τῷ Σεπτεμβρίῳ καὶ Ὀκτωβρίῳ; *quoniam* τοῦ ἐλθόντος *Solaris anni illi reputantur & sunt. Non enim aliter*, *quam sic*, ἐκ τοῦ ἐνεστῶτος (ἔτους) ἤγουν τῶν αὐτοῦ ἐπακτῶν *computari debent*, *& hebdomadicam diem manifestam sistere volunt*.

Quibus verbis hoc videtur dicere; eandem rationem esse illarum Regularium IV & I, quæ, rubro colore pictæ, in Tabella ad dextram & ad sinistram, ad menses Martium, Februarium, & Januarium adnotantur; (*nempe illas etiam ex collectione superfluorum ultra XXVIII in mensibus dierum*, *& ablatione Septenariorum*, *ortas esse.*) Etsi *propter* vel *per* additionem dierum (*Epactarum scilicet annuarum*, *quæ ad has Regulares addi debent*, *quæque a Maximo desumuntur ab anno Cycli Solis proxime instanti*, *qui a die Aprilis* 1° *incepturus est.*) illa *peregrina* (ἐκδημαντικὸς) illorum ratio & *Regula* (κανὼν) facta sit, (*regulariter enim deberet Martius*, *& Februarius V Regulares*, *& Januarius II Regulares habere*, *ut ex Schemate præcedente patet*), contra quam fit illis mensibus, qui in κανονίῳ, hoc est, Tabella ad dextram adnotantur, & ἐξ ἀφαιρέσεως *regulantur*, *in Computo scilicet ad indagandam Feriam*, hoc est, *ita ut ab illo anno*, *ad quem in usu civili pertinent*, *auferantur*, *& præcedenti addantur*, videlicet mensi Septembri & Octobri; quoniam hi (menses) λογίζονται καί εἰσιν, hoc est, *reputantur & revera sunt*, menses *anni Solaris* (in Cyclo) *venturi*, in relatione scilicet ad menses Mart., Febr., & Janua-

rium,

rium, qui Kalendas Apr., a quibus ille annus Solis init, præcedunt. Sed *præsentis* & *jam labentis* in relatione ad menses Septemb. & Octob., qui illas Kalendas Aprilis sequuntur. (*nam in mensibus Martio, Februario & Januario hoc fit, quod illorum Regulares* (προσθέται) *una die minuantur, contra id quod fit in mensibus Septembri & Octobri, quorum Regulares non minuuntur* (cum ob eandem rationem etiam unitate minui deberent) *sed in statu suo relinquuntur*; (ut in Tabula ad dextram & sinistram ex προσθέταις ad illos menses annotatis, & ex collatione Schematis, in quo naturalis progressus προσθετῶν exhibetur, patet.) Non enim aliter quam sic (*ut scilicet* προσθέται *Martii, Januarii, & Februarii unitate minuantur, &* προσθέται *Septembris & Octobris non minuantur, sed in statu suo relinquantur*) ex præsenti anno (*hoc est, ex illo Cycli Solaris anno, qui post Jan., Febr., & Martium, & ante Septembrem & Octobrem, a Kalendis Aprilis intermediis init, & quem præsens civilis annus, in quem illæ Kalendæ Aprilis incurrunt, per XXVIII divisus prodit*) seu, ex illius anni Epactis, (*hoc est, adhibendo in calculatione ad inquisitionem Feriæ, Epactas illius anni*) computus (*circa hos menses, eorum quotos dies, in* Κανονίῳ *notatos*) institui potest, & (προσθέται *scilicet ad illos menses in* Κανονίῳ *adscriptæ*) Feriam (*quæ quæritur*) recte exhibere vel prodere volunt.

Vide quæ observavi ad §um 29 & 25.

Confer quoque Cap. 20 & 21.

Imprimis observa hæc verba Capitis 21mi. Ubi, post singulare exemplum anni Mundi 6133, qui divisus per 28, dat annum 1um Cycli Solis, generalem Regulam dat, quomodo introitus jejuniorum, & imprimis Feria in illo die inquiri debeat. *Habeatur primo annus præsens* (Lunæ, dividendo annum Mundi per XIX.) *Deinde Romanus mensis, ejusque dies* (qui e regione hujus anni Lunæ in altera Tabella ad sinistram, ad præcedentem Lunæ annum adnotatur.) *Et illi diei mensis* (τῇ αὐτῇ ποσιαίᾳ) *adjiciantur* προσθέται *ad illam diem* (in Tabella) *adjacentes, rubro colore pictæ: & itidem* (adjiciantur) *Epactæ* τοῦ ἐνεστῶτος ἡλιακοῦ ἔτους, hoc est, ut ex præcedenti exemplo patet, illius anni in Cyclo Solis, quem præsens annus Mundi, per XXVIII divisus, prodit: nam eundem annum, quia scribebat ante Pascha, anno Mundi 6133, vocaverat τὸ εἰσιέναι μέλλον ἡλιακὸν ἔτος, dixeratque esse annum Cycli Solis 1um, & habere Epactas VII, quæ adjici debebant.) *Illis enim* (NB) *ipsis Epactis unius ejusdemque anni Solaris* (*Cyclici*) *videlicet præsentis* (ἐνεστῶτος) *uti oportet in omnibus mensibus, qui in* Κανονίῳ (hoc est Laterculo, seu Ta-

 bella

bella ad ſiniſtram, & ad dextram) *diſpoſiti ſunt adjiciendo illas* (*Epactas*) *eorum* (*menſium*) ποϛιαίαις, *poſt* (*jam adjectas eorundem menſium*) προσθετὰς. *Et hanc ſummam denique dividere per VII*; *& ex eo*, *quod* (ex hac ſumma diviſa) *reliquum manet*, *Septimanæ diem*, *ſeu Feriam cognoſcere.*

Illuſtremus ante dicta Exemplo tam circa menſem Januar., Februar., & Martium, quam circa menſem Septembrem & Octobrem.

Quæratur in quam Feriam incidat dies Februarii 4^{us}, anno Mundi 6133°. (Confer Cap. 21.)

Annus Mundi præſens 6133, diviſus per XXVIII, prodit annum Cycli Solis 1^{um}, qui, currente jam anno Mundi 6133°, incepturus eſt a die Aprilis 1°.

Dies Februarii quæſitus incidit anno Mundi 6133° jam currente.

Idem dies Februarii quæſitus incidit in fine anni Cycli Solis XXVIII^{vi} adhuc labentis; ante diem Apr. 1^{um}, a quo annus Cycli Solis 1^{us} curſum ſuum proxime incepturus eſt.

Annus Cycli Solis XXVIII^{us} habet Epactas VI.

Annus vero Cycli Solis 1^{us} habet Epactas VII.

Προσθεταὶ, Regulares, Epactæ menſtruæ menſis Februarii, ex earum naturali progreſſu ab Aprili incipiendo, ſunt V. Sed a Maximo in Tabellâ ad ſiniſtram ad menſem Februarium, rubro colore, adnotatæ, ſunt tantum IV.

Si jam ad inveniendam Feriam in die Februarii quæſito,

Velis, ut Maximus vult, uti Epactis anni præſentis, Cycli Solis 1^{mi}, quem annus Mundi præſens 6133^{us}, per XXVIII diviſus, exhibet, quæ Epactæ ſunt numero VII.

Et non Epactis anni Cycli Solis præcedentis XXVIII^{vi}, quem annus Mundi præteritus 6132^{us}, per XXVIII diviſus, exhibet; quæ Epactæ ſunt numero VI.

Debes, ut Maximus fecit, προσθετὰς Februarii unitate minuere, & Februario non V, ſed IV προσθετὰς adſignare, ut fit a Maximo in Κανονίῳ εὐωνύμῳ, hoc eſt, in Tabella ad ſiniſtram.

Et hinc διὰ προσθήκην ἡμερῶν (Epactarum ſcilicet VII, loco VI) ὁ ἐκθηματικὸς αὐτῶν (προσθετῶν) λόγος καὶ κανὼν γέγονε (dum ſcilicet Februario IV, loco V, προσθεταὶ tribuuntur, & in Κανονίῳ adnotantur.

Similis ratio eſt προσθετῶν Januarii & Martii.

Quæratur porro in quam Feriam incidat dies Septembris 21^{us}, qui diem Febr. 4^{um}, & Paſcha anni Mundi 6133 proxime inſequitur, & in Tabella ad dextram e regione adnotatur.

Dies

Dies ille 21^{us} Septembris incidit in annum Mundi 6134^{um}, quia anni Mundi a Septembri ineunt.

Annus Mundi 6134^{us}, per 28 divisus, dat annum Cycli Solis 2^{um}, qui post hunc Sept. a sequentibus Kal. Aprilis initurus est, quique habet Epactam I.

Idem dies 21^{us} Septembris incidit in annum Cycli Solis 1^{um}, qui ante hunc Septembrem a præcedentibus Kal. Aprilis in anno Mundi 6133° jam inierat, quique habet Epactas VII.

Προσθεται Septembris ex naturali earum progressu, incipiendo ab Aprili, sunt VI.

Si jam uti velles (quod Maximus non vult) Epactis anni Cycli Solis 2^{di}, quem annus Mundi 6134^{us}, (in quem hic dies 21 Septembris revera incidit) per 28 divisus, prodit, quæ sunt 1. Tum προσθεται Septembris unitate essent minuendæ, quod Maximus quoque non facit.

Sed si uti velis (quod Maximus vult) Epactis anni Cycli Solis 1^{mi}, quem annus Mundi præteritus 6133^{us}, (ad quem hic dies 21 Septemb. revera non pertinet) per 28 divisus, prodit, quæ sunt VII. Tum προσθεται Septembris non sunt unitate minuendæ, sed in statu suo relinquendæ; quod Maximus etiam facit.

Observatio 1^{a}, Ex his duobus exemplis patet, in quo consistat illud ἐναντίον inter menses, exempli gratia, Februarium ab una, & Septembrem ab altera parte, in relatione ad προσθετας, his mensibus in Κανονίῳ adscriptas, & Computum, qui ex Κανονίῳ peragitur, ad Feriam in horum mensium quotis diebus, in Κανονίῳ notatis, deprehendendam. nempe

1°, Προσθεται Februarii, unitate minutæ, Septembris in statu suo naturali relictæ sunt.

2°, Computus, ad Feriam in quotis Februarii diebus indagandam, est retrogradus; Computus vero, ad Feriam in quotis sequentis Septembris diebus indagandam, est progressivus; uterque ab iisdem Kalendis Aprilis, inter hos menses intermediis, procedens, ope Epactarum istius anni Solis, qui ab his Kalendis Aprilis init.

3°, In Computo ad indagandam Feriam in die, exempli gratia, Februarii 4°, adhibentur Epactæ illius anni Solis 1^{mi}, qui post hunc Februarium, a Kal. Aprilis inibit, & ad quem hic mensis Febr. revera non pertinet, non autem illius anni Solis 28^{vi}, qui ante hunc Februarium a Kalendis Aprilis jam inierat, & ad quem hic mensis Febr. revera pertinet. In Computo vero ad indagandam Feriam in

 die,

die, exempli gratia, Septembris 21^{o} adhibentur Epactæ *non* illius anni Solis 2^{di}, qui poſt hunc Septembrem a Kal. Apr. inibit, & ad quem hic menſis September revera non pertinet, ſed illius anni Solis 1^{mi}, qui ante hunc Septemb., a Kal. Apr. jam inierat, & ad quem hic menſis September revera pertinet.

4^{o}, In Computo ad indagandam Feriam in die, exempli gratia, Februarii 4^{o}, adhibentur Epactæ illius anni Solis 1^{mi}, qui proditur per diviſionem, per 28, illius anni Mundi 6133^{tii}, ad quem hic menſis Febr. pertinet. In Computo vero ad indagandam Feriam in die, exempli gratia, Septembris 21^{o}, adhibentur Epactæ *non* illius anni Solis 2^{di}, qui proditur per diviſionem, per 28, illius anni Mundi 6134^{ti}, ad quem hic menſis September revera pertinet, ſed contra illius anni Solis 1^{mi}, qui proditur per diviſionem, per 28, illius anni Mundi 6133^{tii}, ad quem hic menſis September revera non pertinet. Adeoque in Computo ad indagandam Feriam in die, exempli gratia, Septembris 21^{o}, hic menſis September ita conſideratur & tractatur, ac ſi non ad annum Mundi 6134^{um}, ſed ad annum Mundi 6133^{um} pertineret, & ſic per hujusmodi Computum hic menſis *quaſi* ab anno M. 6134^{to}, ad quem revera pertinet, *aufertur*, & anno Mundi 6133^{tio} quaſi adjicitur.

Idem dictum ſit de menſibus Martio & Januario, ab una, & de menſe Octobri, ab altera parte.

Obſervatio 2^{a}, Ad hoc 4^{um} ἐνάντιον reſpicit Maximus, quando de menſibus Septembri & Octobri loquens, eos, in relatione ad hunc Computum Solarem, qui, ad Feriam in quotis illorum menſium diebus indagandam, ex Κανονίῳ peragitur, vocat menſes ἐξ ἀφαιρέσεως κανονιζομένους; & eos ita vocat, quia, dum Κανόνιον ſuum ita ordinavit, & Computum Solarem ex Κανονίῳ ad Feriam in quotis horum menſium diebus indagandam, ita fieri juſſit, eo ipſo hos menſes ita *regulavit*, ſive illis hanc Regulam præſcripſit, ut ſe in Computo Solari patiantur ita tractari, acſi non ad annum Mundi ſequentem, ſed præcedentem pertinerent, & ab illo, ad quem revera pertinent, anno Mundi ablati, & anno Mundi præcedenti, ad quem revera non pertinent, adjecti eſſent; dum ſcilicet voluit Feriam in quotis horum menſium diebus indagari per Epactas illius anni Solis, qui proditur per diviſionem, per 28, illius anni Mundi, qui hunc annum M., ad quem hi menſes revera pertinent, præcedit; & propterea congruas ad hunc finem his menſibus adſcripſit προσθέτας.

Obſervatio 3^{a}, Hinc itaque minime concludendum, annos Mundi a Maximo revera concipi, ut ineuntes non a Septembri, ſed a ſequenti Januario;

nuario; cum contra hinc quam clarissime pateat, annos in Æra Mundi, qua Maximus utitur, incipere a Kalendis Septembris.

Observatio 4ª, Προσθεται, quas Maximus in initio hujus Capitis describit, & quibus utitur in Computo progressivo ad indagandam Feriam in quotis diebus mensium Aprilis, Septembris, & Octobris, sunt προσθεται simplices & proprie dictæ: non enim, ut Isaaci Argyri προσθεται componuntur ex προσθεταις simplicibus & Catholicis; neque etiam ut Regulares Latinorum exprimunt Feriam in Kalendis mensium, in Cycli Solis anno primo. in quibus Regularibus habes summam dierum ex Catholicis, προσθεταις simplicibus, & ipso die Kalendar. conflatam.

Observatio 5ª, Ex his προσθεταις patet, initium annorum, in Cyclo Solis Maximi, procedere a Kal. Apr., non tantum, quia προσθεται Aprilis nullæ, sed etiam, quia προσθεται Septemb. VI, & Octob. I, sunt. Notandum enim, ut antea vidimus, Epactas Solis annuas, juxta Maximi definitionem, esse compositas ex Epactis simplicibus, & Catholicis, quæ Catholicæ tamen in Cyclo Solis Maximi nullæ sunt.

Observatio 6ª, Ex supra dictis patet, Petavium hunc Maximi locum non intellexisse, quum, loco ἐκδηματικὸς, conjicit legendum esse ἑβδοματικὸς.

XXXII.

Ad Partis 1ª Cap. 27um.

In quo agit *de Epactis Lunæ, quomodo illæ computantur.*

Nempe hoc modo:

Annus Lunæ ἐνιστάμενος, hoc est, *labens*; (quem dicit esse XIVum, quia scribebat anno Mundi 6133, ante mensem Paschalem) *multiplicandus per XI.*

Summa inde orta, quæ hic est CLIV, biduo minuenda, quia Epactæ anni, Cycli Lunæ, 1mi tantum sunt IX, non XI.

Et reliquum, quod hic est CLII, dividendum per XXX, ut omnes menses Embolimi, jam inserti, inde auferantur.

Et quod, ex hac divisione, reliquum est, (quod hic est II,) indicabit Epactas illius anni, quas annus ille, quum init, habet.

Deinde de Epactis Lunæ hoc addit: αὗται δὲ ἐπακται ἡμέραι τυγχάνουσι, ἅς·

ὡς τὸ ἔτος τῆς σελήνης πάντῃ τε καὶ πάντως ἔχον εὑρίσκεται, κατὰ τὴν τριακάδα πρώτην τοῦ Μαρτίου μηνός.

Quibus verbis indicat *Epactarum Lunæ locum proprium* (ut Beda loquitur) *esse diem Martii* 31um: *adeoque Epactas indicare ætatem Lunæ in illo die Martii* 31°.

Denique addit *has Epactas eo inservire*, *ut quota sit Luna in quolibet uniuscujusque mensis civilis die inveniatur*.

Observationes quædam.

1a, Anno Lunæ 1° ineunti dantur Epactæ IX, & præterea dicitur Epactas esse illas dies, quas annus Lunæ habet in die Martii 31. Unde videtur sequi Maximum concipere Lunam & Solem non ab eodem die Martii 23, cursum suum decemnovalem incipere, sed Lunam quidem a die Martii 23°, Solem vero decimo abhinc die, a die Apr. 1°.

2da, Epactæ Maximi non sunt Epactæ simplices, sed compositæ ex Epactis simplicibus & Catholicis IX.

nam

Cycli anno	Epactæ simplices		Catholicæ	Epactæ Maximi	
1°	o	+	IX	IX	
2°	XI	+	IX	XX	
3°	XXII	+	IX	XXXI.	I.
4°	III	+	IX	XII	

& sic porro.

3tia, Epactæ Maximi non sunt biduo minores quam Epactæ Alexandrinorum, sed potius IX diebus majores. Petavius non dicit Epactas Alexandrinorum, sed Romanorum esse binario majores, in Auctario L. 8. C. 8. p. 314. D. & hoc verum est de Epactis diei ultimo Decembris adfixis in Cyclo Dionysii, non decemnovali, sed Lunari, qui habet in illius Cycli anno 1°, Lunam XII. Sed, quod probe notandum, annus Cycli Lunaris 1mus non concurrit cum anno Cycli decemnov. 1°, sed 4to; & proinde hæc comparatio Petavii incongrua est.

4ta, Epactæ Maximi sunt commodiores ad inveniendam Lunam XIVam Paschalem, quia proximiores mensi Aprili sint, quatenus ætatem Lunæ in die Martii 31 exhibent, & quia Luna XIVa ordinario in Aprili, vel in ultimis Martii diebus reperitur. (Dubito an Epactæ Maximi sint commodiores.)

5ta, In

5ta, In hac Methodo ad inveniendas Epactas Lunæ

a. Supponit Cycli Lunæ annum, qui hic eſt 14us, jam inventum eſſe ex diviſione anni Mundi dati per 19.

b. Multiplicat annum Cycli datum, aut inventum, non ablata unitate, per XI, quod incongruum videri poſſet. Sed quia a producto ſemper binarium aufert, quod inſolitum eſt in inquiſitione Epactarum ſimplicium: hinc patet, non inquiri Epactas ſimplices, ſed compoſitas ex ſimplicibus Epactis & IX Catholicis, adeoque in hoc calculo adhiberi calculi compendium, & quod attinet Epactas ſimplices, revera hic multiplicari annum Cycli datum $\div$ 1. Nam ſi ab anno Cycli 14° dato auferas unitatem, remanebit numerus annorum ante datum elapſorum 13, qui ductus in XI dabit 143, adde IX Catholicas, colligentur, ut ante, CLII, vel ante additas IX Catholicas, aufer a numero 143 omnes tricenarios, remanebunt XXIII Epactæ ſimplices, quibus ſi adjeceris Catholicas IX, prodibunt XXXII, ſive II Epactæ Maximi.

XXXIII.

Ad Partis 1æ Cap. 28um.

In quo oſtendit, *quomodo Ætas Lunæ in quocunque anni civilis die inveniri poſſit.*

Nempe jubet

Colligere omnes dies a die Apr. 1° uſque ad diem quæſitum: terminis incluſive ſumptis.

Huic ſummæ addere Epactas Lunæ iſtius anni Lunaris, in quem dies quæſitus incidit. Quo efficitur, ut hæc ſumma dierum a Neomenia incipiat. Et quidem, a Neomenia Paſchali ordinario.

Deinde hanc ſummam dividere per XXIX½: quod eſt ſpatium menſis Lunaris: ut hoc modo ex illa ſumma auferantur omnes menſes Lunares completi.

Et dicit,

Id quod ex hac ſumma poſt hanc diviſionem, reliquum manet, exprimere ætatem Lunæ in die quæſito.

Computiſtæ ordinario jubent a ſumma collecta auferre XXX, Maximus autem præciſius quidem, ſed more inſolito XXIX½.

Hinc quidem in genere patet, quando ſumma collecta ultra LIX aſſurgit, pro duobus menſibus elapſis auferri debere LIX.

Sed in ſpecie hic reſpicitur ad eam hujus Cycli diſpoſitionem, qua

mutato initio annorum, & retentis Neomeniis in iisdem mensium Solarium diebus, quibus ab Alexandrinis affixæ erant, ita ordinatus est, ut prima annorum Lunatio semper sit cava. Vide supra.

XXXIV.

Ad Partis 1æ Cap. 29um.

In quo ostendit, *quomodo Epactæ Solis in unoquoque Cycli Solis anno inveniri possint.* Confer C. 30. p. 354. C. D.

Exempli gratia.

Quæritur quot Epactas habeat annus Cycli Solis 28us.

Jubet *sumere totidem dies, quotus numeratur annus Solis, una die minus:* adeoque hic dies XXVII

Quia ab anno Cycli Solis 1° usque ad annum Cycli Solis 28um ineuntem, tantum 27 anni elapsi sunt: & quia singuli anni Solares, dierum 365, ultra LII Septimanas completas, habent diem unam. Et denique quia annus Cycli Solis 1us, licet VII Epactas habeat, hoc perinde est ac si nullas Epactas haberet, quoniam VII dies Septimanam completam faciunt.

Jubet præterea *sumere quartam partem numeri integri, qui exprimit quotus sit annus Cycli Solis, cujus Epactæ quæruntur;* sive quod idem est, jubet annum Cycli Solis datum (qui hic est XXVIII) dividere per IV, & quotientem hujus divisionis (qui hic est VII) inquirere: *& hanc quartam partem* seu hunc quotientem *præcedenti summæ addere.* adeoque hic adde . . . dies VII

Quia tot dies Bissextiles ab anno Cycli 1° usque ad annum Cycli 28 ineuntem intercurrerunt, quia 1us Cycli annus est secundus ab anno Bissextili, dierum 366.

summa XXXIIII

Quæ summa exprimit quot dies XXVII anni Solares, consideratis etiam Bissextilibus, ultra LII Septimanas completas, *complectantur.*

Jubet deinde *hanc summam dividere per VII*, ut omnes integræ Septimanæ auferantur. divide per VII

Reliquum VI

Dicit

Dicit *Reliquum, quod ex hac divisione remanet, esse Epactas illius anni quæsiti.*

Nota, annum Cycli Solis 1um, ab Aprili ineuntem, esse secundum ab anno revera Bissextili, seu dierum 366; adeoque in Cyclo Solis Maximi annum 3um, 7um &c. esse revera Bissextiles, dierum 366. Quod patet, quia ad inveniendum, quot dies Bissextiles, in annis ante datum elapsis, jam transierant, quum annus datus iniret, numerus anni dati ÷ 1 + 1, sive numerus anni dati integer, non ablata unitate, ob calculi compendium, dividatur per 4. Vide Diss. nostram de Computo Solari in genere.

Observatio 1a, Hinc quam clarissime patet annos in Cyclo Solis Maximi diversum ab annis Mundi habere initium, quia annus Mundi 4us, 8us, &c. est revera Biss. dierum 366, utpote iniens a præcedenti Septemb. annus vero Cycli 3us, 7us &c. sit revera Biss. dierum 366, utpote iniens a sequenti Aprili. Confer supra §um 22.

XXXV.

Ad Partis 1æ Cap. 30um

Observationes.

1a, Scopus hujus Capitis est, *indicare quare anni Solis nonnunquam æquales, nonnunquam excedentes Epactas habeant*; ut ex inscriptione patet.

2a, Ἕκαστον (inquit) ἔτος ἡλίου μίαν (καὶ) τέταρτον κέκτηται ἐπακτὴν, hoc est, ut Petavius interpretatur, *annus omnis Solaris diem cum quadrante pro Epactis relinquit.* οὐκ ἄλλην οὖσαν τὸ σύνολον ἢ τὴν μετὰ τὰς νβ' ἑβδομάδας περιττεύουσαν ἐκ τῶν τξε', δ' ἡμερῶν, hoc est, ut idem Petavius vertit, *quæ nihil aliud sunt omnino præter diem unum cum quadrante, qui post hebdomadas LII integras de CCCLXV¼ superest.*

Duas autem (addit) *vel tres, vel quatuor & ad septem usque* (Epactas) *habere* (annus Solis) *dicitur, propterea quod diem illum cum quadrante ad se invicem transmittant, & sic Epactæ in annis Solis successive crescant, eousque dum hebdomas completa sit, sive ad numerum VIIarium compleverint, quando iterum nova progressio initium sumit.*

Quando autem (sic pergit) *Bissextilis annus est, & dies una ex quadrantibus, uno quoque quadriennio conflata inseritur, tum Epactæ anni Solis sequentis Binario crescunt, non unitate, ut in aliis annis.*

Ut (exempli gratia) *videre licet in ipso* (cujus Epactas C. 29 indagavimus) *anno XXVIII*. *Cum enim annus, qui hunc præcessit, hoc est, XXVII^us Epactas habuerit quatuor, hic propter diem, ex quadrantibus collectum*, (& præcedenti anno insertum) *Epactas sex* κέκτηται. *Unde non in eandem Feriam, a quâ cœpit, etiam desiit ille dictus XXVII^us annus; quandoquidem si dies tantum haberet CCCLXV, in eandem, a quâ cœperat, Feriam omnino desineret: sed quoniam dies habet CCCLXVI, ideo in posteriorem eâ, a qua cœperat, Feriam desiit.*

3^a, Denique repetit Regulas, ad Epactas Solis inveniendas, C. 29. propositas; sed hæc explicationis causa addit: *Porro* (ita vertit Petavius) *numerum dierum annis parem, una die minuendum præcepimus, quoniam primus annus nullas adscriptas habet Epactas, quod a Feria prima, seu Dominica* κανονίζεται; *siquidem omnis annus a Dominicâ incipiens, ut supra dictum est, nullam penitus Epactam habet, nisi si quæ sunt fragmenta, velut quadrans, aut dimidium, aut dimidium cum quadrante*, (male Petavius, *dimidii quadrans*) *quæ ad hebdomadicam Feriam investigandam nihil plane conferunt.*

Consectaria.

a. Anni in Cyclo Solis Maximi omnes & singuli ineunt, non a Dominica die Kal. Apr. proxime præcedente, in quemcunque Martii diem illa incidat, sed ab ipsis Kalendis Apr., seu a Feria quacunque in illas Kal. incurrente; & sunt ejusdem quantitatis cum anno Solari formæ Julianæ a Maximo technice assumpto, a Kal. April. ineunte. Nam

1°, Anni in Cyclo Solis Maximi ordinario desinunt in eandem Feriam a qua cœperant.

2°, Annus Cycli Solis XXVII^us propter Bissextum ei insertum, desinit in Feriam eâ posteriorem, a qua cœperat.

3°, Anni in Cyclo Solis Maximi ordinario sunt dierum 365.

4°, Annus Cycli Solis XXVII^us est dierum 366.

5°, Primus, & quidem alii in Cyclo Solis Maximi anni a Dominica die incipiunt, illi scilicet, qui Epactas VII, vel nullas habent. Ergo non omnes anni.

b. Annus in Cyclo Solis Maximi primus, a Kal. Apr. iniens, est secundus ab anno revera Bissextili, dierum 366. Adeoque in Maximi Rota Nota Bissexti adponitur iis annis, qui annum in Cyclo Bissextilem immediate sequuntur, & anni in Cyclo Maximi revera Bissextiles, dierum 366, sunt 3^us, 7^us &c. Nam

1°, An-

1°, Annus in Cyclo Solis Maximi XXVII[us] habet dies 366, propter Bissextum ei insertum.

2°, Πρῶτον ἔτος τέταρτον εἰς ἐπακτὴν ἔχον καταγέγραπται, διὰ τὸ ἀπὸ πρώτης, ἤγουν κυριακῆς αὐτὸ κανονίζεσθαι, &c. Petavius, qui hæc Maximi verba non intellexit, in margine notat, pro τέταρτον εἰς ἐπακτὴν, legendum οὐδεμίαν ἐπακτὴν; sed male: nam in Rota ad annum Cycli 1[um] adscribuntur quidem Epactæ VII, sed jam C. 25. docuerat, annos a Dominica incipientes, (& hi sunt, quibus VII Epactæ adscribuntur) nullas Epactas habere; perinde enim est ad Feriæ indagationem sive VII, sive nullas adjeceris: hoc itaque jam præsupponens, dicit *primum annum, ut quadrantem seu* quartam diei partem *pro Epacta habentem, delineari vel describi, ita ut abjectis VII Epactis, sola quadrans pro Epacta anni* 1[mi] *remaneat, quia ille annus a Feria I[a] seu Dominica die init juxta regulam ei per ipsam Cycli constitutionem, positam*: considerat enim Maximus in hoc Cap. quadrantes, licet ad Feriæ indagationem nihil conferant, nisi tum quando ex iis unoquoque quadriennio dies Bissextilis colligitur, & inseritur, ut ex sequentibus verbis, nec non ex præcedentibus, patet.

Exempli gratia.

	Cycli Solis anni	Epactæ		
	27[mi]	IV $+\frac{1}{2}$ $+\frac{1}{4}$ sive IV $+\frac{3}{4}$	. . :	dierum 366.
B.	28[vi]	V $+\frac{4}{4}$. . sive VI		
	1[mi]	VII $+\frac{1}{4}$. . sive o $+\frac{1}{4}$ *		
	2[di]	I $+\frac{2}{4}$		
	3[tii]	II $+\frac{3}{4}$	. .	dierum 366.
B.	4[ti]	III $+\frac{4}{4}$. . sive IV		

& sic porro.

Si itaque annus Cycli 1[us] habeat solummodo quadrantem unam præter VII, vel nullas Epactas, sequitur illum esse secundum ab anno revera Bissextili, dierum 366.

c. Descriptio Epactarum, ex consideratione anni Solaris formæ Julianæ desumpta, quæ in initio Capitis occurrit, differt ab illa, quam dederat C. 23. & generalior est, & Epactis simplicibus congruit.

d. Maximus tamen etiam in hoc Cap. ostendit, quod sub Epactis

 etiam

etiam comprehendat *Catholicas*, quæ tamen in ejus Cyclo Solis nullæ, quando in fine Capitis dicit: *numerum dierum annis parem una die minuendum præcepimus, quoniam primus annus* (solam) *quadrantem pro Epacta habens describitur, propterea quod a Feria I^a, seu S. Dominica regulariter init.* Quid enim ad Epactas simplices facit, a qua Feria annus Cycli 1^us ineat, hæ enim anno Cycli 1° semper VII, vel quod eodem redit, *nullæ* sunt. Sed aliter se res habet, si sub nomine Epactarum etiam *Catholicas* comprehendas, easque cum Epactis simplicibus componas, tum enim, quando annus Cycli 1^us a Dominica die init, *Catholicæ nullæ sunt*, & Epactæ illæ compositæ sunt anno Cycli primo VII, vel o + o.

XXXVI.

Ad Partis 1^æ Cap. 31^um.

In hoc Capite, *Methodum faciliorem ostendit ad inveniendas tam Lunæ, quam Solis Epactas.*

Quod ad Lunam attinet, (inquit) *hujus annus quilibet datus, vel currens*, ἐνιςάμϑον, *tot omnino Epactas semper habet, quot dierum Ætas illius est in die Martii* 31.

Quod autem ad Solem attinet, annus hujus quilibet curren: (ἐνιςάμϑον) *tot omnino Epactas sibi proprias semper habet, quot Septimana dies in die Martii* 31, *in quo annus Solis præcedens terminatus est, ita ut numerus Epactalis æqualis sit numero Feriæ, quæ occurrit in die Martii* 31.

Hinc sequitur

1°, Numerum Epactalem in Cyclo Lunæ semper exprimere ætatem Lunæ seu quota Luna sit in die Martii 31, in illo anno Cycli, cujus Epactæ hunc numerum habent.

Adeoque diem Martii 31, esse diem ultimum, ac proinde diem Aprilis 1^um esse diem primum anni Solaris, technice a Maximo assumpti, qui concipitur concurrere cum annis Lunaribus in Cyclo decemnovali.

Et, quia annus Cycli Lunæ 1^us, quum incipit, habet Epactas IX, ac proinde Luna in illo anno 1° in die Martii 31, IX^a est, Lunam cursum suum decemnovalem incipere a die Mart. 23 vel quod idem est, annum Cycli decemnovalis 1^um habere Neomeniam Mart. 23.

2°, Nu-

2°, Numerum Epactalem in Cyclo Solis, XXVIII annorum, semper exprimere quota sit Feria in die Martii 31, in illo anno Cycli, qui hunc, cujus Epactæ hunc numerum habent, immediate præcedit, & in illo die 31° Martii finem accepit.

Adeoque diem Martii 31 esse diem ultimum, ac proinde diem April. 1um esse diem primum anni Solaris, technice a Maximo assumpti, qui concipitur concurrere cum annis Solis Cyclicis in Cyclo Maximi, qui cum illo anno Solari technico pari passu ambulant.

Uno verbo hinc patet *concurrentes* Maximi alligari, non diei 24° Martii, ut fit in Cyclis Cyrilli, Dionysii & Bedæ, sed diei Martii 31°.

Quod commodius erat ad inveniendam Feriam illius diei, in quem incidebat Luna XIVa, ac proinde Dominicam Paschalem.

Observat. 1a, Notandum quod Maximus de annis Cycli sui Solis aliter loquatur quam de annis Cycli sui Lunæ.

De annis Lunæ dicit: *Luna quidem sive ejus annus præsens* (ἐνιςάμενος) *tot omnino semper Epactas habet, quot dies invenitur habere tricesimo primo die Martii mensis.*

Unde sequitur Maximum concipere annos Lunæ in Cyclo suo, ut ineuntes non a Kal. Aprilis, a quacunque Luna in illas Kal. incurrente, sed a Neomenia Paschali.

De annis autem Solis dicit: *Sol autem sive præsens* (ἐνιςάμενος) *ejus annus tot omnino Epactas sibi proprias semper habet, quot Septimanæ dies in tricesimo primo die Martii mensis, in quo annus Solis præcedens terminatus est.*

Unde sequitur Maximum concipere annos Solis in Cyclo suo, ut ineuntes a Kal. Aprilis a Feria quacunque, non autem a Dominica die has Kalendas præcedente. Vide supra, §° 22°, Observ. 10a. §° 26°, Obs. 3a. §° 28°, Obs. 2a. §° 29°, Obs. 3a. §° 30°, Obs. 2a. §° 31°, Obs. 5a. §° 35°, Confect. a.

XXXVII.

Ad Partis 1æ Cap. 32um.

In quo agit *de Christi Nativitate secundum carnem* (γεννήσεως κατὰ σάρκα) *& Baptismate, & Passione, quoto* (*scilicet*) *anno Solis & Lunæ, & quota hebdomadis die contigerint.*

Quando

Quando Christus σάρκωσιν πεποίηται ex Maria Virgine.

Erat tunc annus Mundi 5501.

In illo (anno) *enim facta est*

Annunciatio (ἐυαγγελισμὸς) *Virgini Mariæ, adeoque Conceptio Christi.* &

Nativitas (γέννησις) *ex ea.*

Erat autem

*Annus Solis XIII*us.

*Annus Lunæ X*us.

Dies hebdomadis

*Annunciationis Feria II*da. (Mart. 25.)

*Nativitatis Feria IV*ta. (Decemb. 25.)

Baptismus vero (per consequens) *contigit*

Anno Mundi 5530.

*Anno Solis XIV*o.

*Anno Lunæ I*o.

*Feria III*a. (Jan. 6.)

Passio autem seu Crucifixio (per consequens) *accidit*

Anno Mundi 5534.

*Anno Solis XVIII*o.

*Anno Lunæ V*o.

*Feria VI*a (Mart. 23.)

Colliguntur itaque

Ab Incarnatione (ἐνανθρωπήσεως) *usque ad præsentem* (ἐνιστάμενον) *Indictionem* (XIVam) *anni XXXI*mi *Imperii Heraclii, anni* 633.

A Baptismo (per consequens) *anni* 604.

A Passione (per consequens) *anni* 601.

* *Sunt enim* (ut dicit Cap. 17) *ab Adam usque ad præsentem* (ἐνεστῶτα) *Indictionem, anni XXXI*mi *Imperii Heraclii, anni* 6133.

Observationes :

1a, Omnes hi characteres juxta Methodum a Maximo in præcedentibus traditam, ita inveniuntur.

2a, Dies mensis, in quibus Conceptio, Nativitas, & mors Christi incidit, addidi ex Communi opinione, neque video de eo controversiam moveri. In die enim Martii 25, Festum Annunciationis, & in die Dec. 25. Festum Nativitatis Christi in Græca & Latina Ecclesia celebratur. Vide quoque Chronicon Paschale p. 11. A.

Con-

Confirmatur tamen quoque ex eo, quod Maximus Cap. 34, oſtendat Chriſtum perveniſſe ad anni XXXIII^tii diem LXXXIX^um. Nam a die Decemb. 25° dies Martii ſequentis 23^us eſt 89^us.

3ª, Dies Baptiſmi Chriſti, ſaltem ex opinione Eccleſiæ Græcæ tunc temporis, æque definitus, & ad diem Januarii 6^um affixus erat, ac dies conceptionis & nativitatis Chriſti. Celebrabatur enim feſtum annuntiationis Mariæ Martii die 25°, Feſtum nativitatis Domini Decemb. die 25°, & Feſtum Luminum, quo Chriſtus baptizatus eſſe tunc temporis ſaltem credebatur, die Jan. 6°, ut conſtat ex ipſis Maximi verbis C. 32. p. 335. C. & Chronico Paſchali, p 109. B.

Fateor hinc ſequi Chriſtum baptizatum eſſe anno Mundi 5530° jam evoluto, labente jam anno Mundi 5531° : ſed hoc & annus Cycli Solis XIV^us, & annus Cycli Lunæ I^us, & Feria IIIª requirunt, nec non tempus vitæ, quo baptizatus.

Quomodo autem hæc concilientur, infra oſtendemus §. 39—46.

4ª, Si Chriſtus natus anno Mundi 5501 die Decemb. 25, & mortuus anno Mundi 5534, Martii 23, tempore Paſchali; ſequitur eum non vixiſſe annos XXXIII completos, ſed tantum XXXII annos, & dies LXXXIX.

5ª, Chriſtus poſt Baptiſmum prædicationi impendit III annos completos, & circiter III menſes, & in quarto poſt Baptiſmum Paſchate crucifixus eſt.

6ª, Quia anno Mundi 5534° eſt annus Cycli Lunæ V^us, erit Luna XIVª Paſchalis die Mart. 22, Feria Vª, in quo die ad veſperam Chriſtus Paſcha cum diſcipulis comedit: & tum Chriſti crucifixio incidet in Lunam XV^am, ejusque Reſurrectio in Lunam XVII^am, die Martii 25°.

7ª, Omnes hi characteres reperiuntur ſi annum Mundi 5501^um & Incarnationis Chriſti (juxta Maximum) 1^um connectas cum anno Æræ Vulgaris 5^no. Vide quæ jam notavimus ad Cap. 17^um, & deinde notabimus ad Cap. 33 & 34.

8ª, Nota Maximum non tantum dicere Chriſtum incarnatum, conceptum & natum anno Mundi 5501°, ſed ſummam annorum colligere a Chriſto nato baptizato, & crucifixo, ad Heraclii Imperatoris annum XXXI^um, Mundi 6133, Ind. XIV, in quo Paſcha celebrandum die Apr. 8°, Luna XXI; qui procul omni dubio eſt annus Æræ Vulg. 641^us. Confer Cap. 17 & 19.

9ª, Nota Maximum in eundem annum Mundi 5501^um conferre conceptio-

ceptionem Christi, in die Mart. 25, & ejus Nativitatem, in die Dec. 25. unde videtur sequi, Maximum in hoc Computo annos Mundi incipere non a Septembri, sed a sequente Januario. Sed hoc tamen revera inde non sequitur.

10ª, Certum est Conceptionem in die Martii 25, & Nativitatem in die sequentis Decemb. 25° non posse cadere in unum eundemque annum Mundi 5501ᵘᵐ a Septembri ineuntem; sed si Conceptio, ut fieri debet, & Feria requirit, statuatur in die Martii 25° anno Mundi 5501°, necesse est statuere, Nativitatem contigisse anno M. 5501° jam evoluto, labente jam anno M. 5502°.

Sed hinc non, ut mihi antea videbatur, concludendum annos in Maximi Æra Mundi initium ducere a Septembri, sed a sequenti Januario.

Quomodo autem hæc concilientur ostendemus infra §° 39—46.

11ª, In computandis distantiis ab Incarnatione, Baptismo & Passione Christi usque ad Indictionem XIVᵃᵐ anni Imperii Heraclii 31ᵐⁱ, quâ labente Maximus scribebat, & cum quâ annus Mundi 6133ᵘˢ concurrebat, & pari passu ambulabat, terminus anni, a quo, & terminus anni, ad quem semper inclusive sumendi. Et in distantia, a Passione numerata, error vel ipsius Maximi, vel Librarii agnoscendus est, & pro χα' legendum X.

Sic invenies ab anno Incarnationis 5501° inclusive, usque ad annum Mundi 6133ᵘᵐ inclusive, annos 633, hoc est, annus Mundi 6133ᵘˢ erit Incarnationis 633ᵘˢ.

Et ab anno Baptismi 5530° inclusive usque ad annum M. 6133ᵘᵐ inclusive, invenies annos 604.

Denique ab anno Passionis 5534° inclusive, usque ad annum M. 6133ᵘᵐ inclusive, invenies annos 600.

12ª, Annus M. 6133ᵘˢ a Septembri iniens, concurrit a sequenti Januario cum anno Æræ Christi Vulgaris 641°. (quod Pagius agnoscit) Idem annus M. 6133ᵘˢ concurrit juxta Maximum cum anno Incarnationis 633°, ut modo ex distantia vidimus; ac proinde annus Incarnationis juxta Maximum 633ᵘˢ concurrit a sequenti Januario cum anno Æræ Vulg. Christi 641°, & per consequens annus Incarnationis 1ᵘˢ concurrit cum anno Æræ Vulg. Christi 9°, & Christus juxta Maximum conceptus Martii 25, & natus Dec. 25 labente anno Æræ Vulg. Christi 9°.

13ª, Maximus in initio Cap. dicit, *erat tunc 5501ᵘˢ annus* ἀπὸ τῶν ἐν δέλτοις ἱεροῖς ἀναγεγραφῶν. *Quod respicit annos ex S. Scriptura, ab Adam usque*

usque ad Incarnationem Christi, continua serie per annos Patriarcharum, Regum, &c. collectos. Vide Maximi Canonem Chronologicum, huic Computo subjunctum. Ut & eam, quae illum Canonem sequitur, explicationem Capitum quorundum Historicorum, quando & sub quo unumquodque contigerit, ejusdem Maximi.

XXXVIII.

Ad Partis 1ᵃ *Cap.* 33ᵘᵐ.

In hoc Capite agit *de Indictione, ejusque institutione, & diversitate Indictionis, quando illa numeratur a Mundo condito, & quando illa numeratur ab eo anno, quo instituta & in usum civilem introducta est.*

Videbat Maximus annos Mundi, per 28, & 19 divisos, dare quidem Cyclum Solis & Lunae cum tali anno Mundi concurrentem, sed eosdem annos Mundi per XV divisos non dare Indictionem cum tali anno Mundi concurrentem. Sed semper unitate minorem.

Hujus rei causam quaerit in eo, quod Augustus Caesar circa Indictiones instituit.

Facta est (γέγονε) *autem* (*Indictio*) *secundum Historiographos*, ἀπὸ Ἀυγούστου Καίσαρος τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς βασιλείας αὐτοῦ.

Tunc autem erat (anno nempe 2ᵈᵒ Imperii Caesaris Augusti) *creationis Mundi* (*annus*) 5460ᵘˢ.

Qui (anni scilicet 5460) *per XV divisi, finem Indictionis exhibent, seu ipsum* (Indictionis) *annum XV*ᵘᵐ.

In quo (anno 5460°) *ille* (Caesar Augustus) *secundum opinionem* (κατὰ δόξαν) *ponens illius* (Indictionis) *initium* (seu ipsum Indictionis primum annum,) *ultimum primum fecit.*

Hoc vult Maximus, quod Augustus, si rem recte considerasset, & annos a Mundo condito computasset, debuisset in anno Mundi 5460° statuere annum Cycli Indictionum ultimum seu XVᵘᵐ, & non Iᵘᵐ, sed quod, dum hoc non fecit, sed κατὰ δόξαν posuit initium, seu Cycli Indictionum annum 1ᵘᵐ in illo anno Mundi 5460°, erraverit, & ex ultimo Cycli Indictionum anno, primum fecerit: & sic illum erroneum numerandi Indictiones modum in usum civilem introduxerit, qui tempore Maximi adhuc durabat.

Ita ut (ſic pergit) *exinde uno anno porro præcurrat Indictio, quæ ab anno Imperii Auguſti* 2do *calculatur, eam, quæ a creatione Mundi calculatur, juxta annorum ab Adam per XV factam diviſionem.*

Unde (ſic pergit)

ſecundum calculum a creatione Mundi erat *Indictionis annus*	ſecundum calculum ab anno 2° Imp. Aug. erat *Indictionis annus*	in quo contigit Chriſti
XIus	XIIus	*Nativitas.*
Xus	XIus	*Baptiſmus;*
XIVus	XVus	*Paſſio.*

Anno enim 43° *Imperii Auguſti* (inquit) *Chriſtus natus eſt: XLII igitur partita per XV, anno Indictionis XII° factam eſſe, ut dixi, exhibent Domini Nativitatem: quemadmodum XIum* (Indictionis annum exhibent) *rurſus* 5501, *partita per eundem numerum.*

NB. Dividit non omnes Imperii Auguſti annos 43, ſed, uno dempto, tantum 42, quia Indictionis annus 1us incidit in annum Imperii Auguſti non 1um, ſed 2um.

Poteſt (inquit) *autem propter utrumque calculum, etiam nunc præſens Indictionis annus, tali modo* (κτ̀ τ̀ ὅμοιον τρόπον) *inveniri.*

Videlicet

Si annos ab Adam (præſentes 6133) *propter dictam cauſam, per additionem unitatis,* vel *unius anni, faciamus* 6134, *& per XV dividamus.*

Aut ſi annos ab Imperii Auguſti anno 2° (*uſque ad annum præſentem*) *qui ſunt numero* 674, *ſolos* (abſque ulla additione) *ſumamus, & per eundem numerum dividamus.*

Ex utroque enim XIVa (præſentis anni Indictio) *cognoſcitur.*

Hoc autem & in alio omni anno facere oportet eos, qui quota ſit Indictio diſpicere volunt.

Obſervationes.

1a. Æra Mundana, quâ Maximus utitur, & quam cum Cyclis ſuis Paſchalibus connectit, hanc perfectionem non habebat, ut, diviſa per XV, exhiberet currentem Indictionis annum, cum illo anno Mundi con-

concurrentem: ſed exhibebat ſemper annum Indictionis currenti unitate minorem. Unde annis Mundi ſemper unitas erat addenda, ut, diviſi per XV, currentem Indictionis annum exhibere poſſent.

2ª, Maximus ſtatuit Indictiones, quarum uſus ipſius ætate vigebat, anno Imperii Cæſaris Auguſti 2°, quem connectit cum Æræ ſuæ Mundanæ anno 5460°, inſtitutas, & in uſum civilem introductas eſſe: & Auguſtum Cæſarem illo 2° Imperii ſui anno, Mundi anno 5460°, ſtatuiſſe & numeraſſe, κτ' δόξαν, annum Cycli Indictionum, XV annorum, 1um, & hanc numerandi annos Indictionum rationem deinceps uſque ad ſua tempora in Imperio Romano obtinuiſſe. Adeoque ad inveniendum annum Cycli Indictionis currentem in anno Mundi præſenti 6133°, Imperii Heraclii XXXI°, nihil aliud eſſe faciendum, quam ut ſumma annorum, a 2° Imper. Auguſti anno, Mundi 5460°, uſque ad annum Mundi 6133um præſentem (terminis incluſive ſumptis) elapſorum, qui ſunt 674, dividantur per XV.

3ª, An hæc, quæ Maximus de Auguſto, & inſtitutione Indictionum per eundem, vera ſint, nec ne, meâ nunc non refert.

Sed hoc inde quam clariſſime patet, Maximum in ea fuiſſe ſententia, vel ſaltem in Computo ſuo rem ita conſiderare, quod, ſi Indictiones in uſu civili ſua ætate receptas, retrogradiendo numeres, annus Indictionis 1us concurrat cum anno Imperii Cæſaris Auguſti 2°, Mundi 5460°: adeoque annus Indictionis XIIus concurrat cum anno Nativitatis Chriſti 1°, Cæſaris Auguſti 43°, Mundi 5501°.

Ac proinde Indictionem, qua Maximus characterizat annum Nativitatis, & per conſequens annum Baptiſmi, & mortis Chriſti, eſſe, ex ejus ſententia, Indictionem Romanam ſuo tempore in uſu civili receptam, retrogradiendo numeratam: & non commentitiam & fictitiam aliquam Indictionem a Romana in uſu civili recepta diverſam, ut vult Pagi in Diſſertatione de Periodo Græco-Romana, §° .

4ª, Hæc a Maximo connectuntur annus Mundi 5460us, annus Imperii Auguſti Cæſaris 2us, & annus Cycli Indictionum 1us.

5ª, Statuit ab anno Mundi 5460°, Auguſti 2°, Indictionis 1° uſque ad annum Mundi 6133um, Heraclii 31um, Indictionis 14um, intervallum annorum 674, terminis incluſive ſumptis.

6ª, Statuit Chriſtum natum anno Imperii Auguſti 43°. An bene vel male nunc non inquiro.

7ª, Præter characteres anni, quo Chriſtus natus, baptizatus, & paſſus eſt, jam capite præcedenti propoſitos, nunc accedunt Indictiones.

 Statuit

Statuit enim Maximus Christum esse
natum Indict. XII^{a},
baptizatum . . XI^{a},
crucifixum . XV^{a},

Hi characteres quoque reperiuntur, si in Æra Maximi annum Mundi 5501, & Christi incarnationis annum 1^{um} connectas cum anno Æræ Vulgaris 9°.

8^{a}, Quia Maximus Nativitatem Christi anno Mundi 5501, Decemb. die 25 factam, connectit cum Indict. XII^{a}, hinc videtur concludendum, Maximum Indictiones, æque ac annos Mundi, concipere, ut incipientes non a Septembri, sed a sequenti Januario: alias enim Nativitas Christi die Dec. 25. facta caderet non in Indictionem XII, sed XIII^{am}.

Idem quoque dictum sit de annis Imperii Cæsaris Augusti.

9^{a}, Ex Indictione XIII^{a} in quam cadit Nativitas Christi, & XI^{a} in quam cadit ejus Baptismus, videtur concludendum, inter ejus Nativitatem, & Baptismum intercedere tantum annos XXIX completos, adeoque Christum baptizatum, quando annum XXX^{um} jamjam ingressurus, vel modo ingressus erat, ante Januarium anni 5531^{mi}.

10^{a}, Ex Indictione XII^{a} in Nativitate & XV^{a} in Crucifixione Christi, patet Christum non vixisse annos XXXIII completos, sed pervenisse tantum ad anni XXXIII^{tii} diem LXXXIX^{um}.

11^{a}, Suppono ex præcedentibus, imprimis Cap. 17°, Maximi Indictiones cum annis Æræ ejus Mundanæ pari passu ambulare. Agnosco Nativitatem Christi in die Dec. 25. præcise loquendo non cadere in Indictionem XII, sed XIII, si nempe anni Mundi & Indictiones procedant a Septembri.

Sed hinc non concludendum, ut mihi antea videbatur, Indictiones, æque ac annos Mundi, inire non a Septembri, sed a sequente Januario. Neque, licet annorum Mundi & Indictionum initium protrudatur a Septembri ad sequentem Januarium, tollitur, adhuc major difficultas quæ occurrit circa baptismum Christi, si enim Christus baptizatus est (ut statui debet) anno Mundi 5531° in die Jan. 6°, sequitur baptismum revera cadere non in Indictionem XI, sed XII.

Quomodo autem hæc omnia concilientur, ostendemus infra §. 39-46.

12°, An per γέννησιν τοῦ σωτῆρος κατὰ σάρκα, de qua hoc Capite loquitur, in inscriptione Capitis p. 335. E. & deinde p. 336. B. & C. (confer p. 356. D.) intelligat conceptionem, quæ contigit Martii 25°, an vero intelligat Nativitatem, quæ contigit Dec. 25°, an denique intelligat totum

totum opus Incarnationis, quod a Conceptione cœpit & in Nativitate completum fuit, non adeo clarum eſt, poſtremum tamen mihi videtur probabiliſſimum. Confer inſcriptiones Cap. 32. quanquam fateor eum Cap. 32 & 34. per γέννησιν intelligere ipſam nativitatem.

13^{tia}, Notanda diſtantia, quam Maximus computat ab anno imperii Auguſti Cæſaris 2do, Mundi 5460°, Indictione I^{a} uſque ad Indictionem XIV^{am} anni imperii Heraclii 31^{mi}, Mundi autem annum 6133^{um}, nempe annorum 674. terminis incluſive numeratis. Quo confirmatur ab anno Aug. 43°, Mundi 5501°, quo ἐνανθρώπησις contigit, incluſive, uſque ad annum Mundi 6133^{um} incluſive, numerari annos 633. Adeoque Chriſtum conceptum & natum labente Æræ Vulgaris Chriſti anno 9. ut vidimus ſupra §. 37°.

XXXIX.

Ad Partis 1^{æ} Cap. 34^{um}.

Hoc Capite agit *de tempore, quo oraculum ad Zachariam patrem Johannis Baptiſtæ factum, isque conceptus & natus eſt: ut & de Johannis Baptiſtæ & Chriſti vitæ annis.*

Nempe juxta Maximum,

Oraculum de Conceptione Joh. Baptiſtæ ad Zachariam factum

Anno, qui Chriſti Nativitatem proxime præceſſit, Mundi itaque 5500°.

Anno Solis XII°,

Anno Lunæ IX°,

Die Septembris 27°, *Feria V^{a}*, *die* 10° *menſis Hebraici ſeptimi*, ut patet ex C. 1°.

Nativitas autem Johannis Baptiſtæ facta

Anno eodem, quo Chriſtus natus eſt, Mundi 5501°.

Anno Solis XIII°, } ex Cap. 32°,

Anno Lunæ X°, }

Die Junii 24°, *Feria II^{a}*.

Mortuus autem & decollatus eſt Johannes Baptiſta

Anno Mundi 5533. ut ex anno Solis & Lunæ patet.

Anno Solis XVII°,

Anno Lunæ IV°,

Die Aug. 29°, *Feria III.*

Ὡς εἶναι (inquit Maximus) τὰ μὲν κατὰ σάρκα τοῦ σωτῆρος ἔτη λγ′ ἡμέρας (lego ἡμέραν) ut paulo poſt legitur, κθ″.

Τὰ

Τὰ δὲ Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ ἔτη λγ″ ἡμερῶν ξζ″: ἐλάττους κβ″ τυγχάνουσαι παρὰ τὰς τοῦ σωτῆρος ἡμέρας.

Quæ ſic verto:

Ita ut ſint Salvatoris quidem ſecundum carnem anni XXXIII[tii] *dies* 89[us]. *Johannis Baptiſtæ autem anni XXXIII*[tii] *dies* 67[us]. *Suntque* (dies ſcilicet vitæ Johannis) *XXII diebus minores, ſi comparentur ad dies vitæ Salvatoris.*

Id enim ex omnibus characteribus Nativitatis & Mortis Chriſti a Maximo adductis patet, Chriſtum non vixiſſe annos XXXIII completos, ſed eum mortuum eſſe in Martio ſequente, poſtquam in Decembri præcedente ingreſſus erat annum vitæ 33[um].

Patet quoque Johannem Baptiſtam non vixiſſe annos XXXIII completos, ſed mortuum eſſe ſequentis Auguſti die 29°, poſtquam præcedentis Junii die 24° ingreſſus erat annum vitæ 33[um]. Id patet ex anno Solis & Lunæ in ejus Natali, collato cum anno Solis & Lunæ in ejus morte.

Johannes Baptiſta

natus anno	Solis XIII°,	Lunæ X°
adde annos completos	XXXIII	XXXIII
ſumma	XLVI	XLIII
quæ diviſa	per XXVIII	per XIX
daret annum	Solis XVIII[um],	Lunæ V[um]

Cum Maximus expreſſe dicat mortuum eſſe anno Solis XVII°, Lunæ IV°.

Obſervationes.

1ª, Maximus in hoc Cap. nullos annos Mundi nominat, ſed dicit Oraculum de Concept. Joannis Baptiſtæ Zachariæ factum eſſe illo anno Solis & Lunæ, qui annum Solis & Lunæ, quo Chriſti γέννησις contigit, præceſſit. & paulo poſt dicit, annum Solis & Lunæ, quo ejusdem Joannis γέννησις contigit, eſſe eundem annum Solis & Lunæ, in quo Salvatoris γέννησις facta fuit. & his hæc in initio Capitis præmiſerat: *de Oraculo quoque, quod de Joanne Baptiſta editum eſt Zachariæ, cujus antea meminimus* (Cap. 1°) *nunc ut ordo poſtulat, accuratius dici convenit, quoto anno Solis & Lunæ contigit.* Confer Inſcriptionem Capitis 32.

Hinc tamen non male, juxta ea, quæ ad C. 32[um] obſervavimus, concluſimus, *Mundi itaque* 5500°, qui per 28 & 19 diviſus, hunc Cyclum Solis XII[um] & Lunæ IX[um] prodit, licet ipſe dies 27[us] Sept., quo Oraculum Zachariæ contigit, cadat in annum M. 5501[um], a Septembri ineuntem.

2ª, Tempus, quo Oraculum de Conceptione Joannis Baptiſtæ Zachariæ

chariæ factum fuit, ita fixum & determinatum est, ut loco moveri, neque de eo dubitari possit. Contigit enim

anno Cycli Solis XII°,
anno Cycli Lunæ IX°,
Septembris die 27°,
Feria V^a,
Luna X^a, septimi mensis Hebr.

Annus Cycli Solis XII^us & Lunæ IX^us produnt annum Mundi, juxta Maximum 5500°, quo labente ineunt annus Solis quidem a Kal. Aprilis, Feria I^a, post Bissextilem in præcedenti Februario insertum, Lunæ autem a Neomenia Paschali Martii 25°.

Labente illo anno Solis 12° occurrit dies Sept. 27^us, & in illo die Fer. V^a.

Labente illo anno Lunæ 9° occurrit dies Sept. 27^us, & in illo die Luna X^a septimi mensis, idque semel tantum spatio XIX annorum contingit.

Hæc in Maximi Κανονίῳ ad oculum videre, & per Computum Solarem & Lunarem a Maximo descriptum, experiri licet.

Talis autem annus spatio 532 annorum semel tantum occurrit, & nullus in Æra Christi Vulg. alius esse potest, quam annus hujus Æræ 8^us, qui anno M. 5500^a a Septembri labente, init a sequenti Januario.

Dies autem ille Sept. 27^us incidit anno M. 5500° jam evoluto, labente autem jam a Kal. Sept. anno M. 5501°, labente adhuc anno Æræ Vulgatæ Christi 8°.

3^a, Quando Annunciatio Virgini Mariæ & Conceptio Christi facta fuit, matri Joannis Baptistæ jam mensis ex quo conceperat sextus erat. Adeoque circiter sex menses post conceptionem Joannis conceptus est Christus, juxta Euangelia.

A die autem Sept. 27° usque ad diem sequentis Martii 25^um terminis inclusis, sunt dies 180, seu sexies 30 dies.

Conceptus est itaque Christus labente anno Mundi 5501° a præcedente Septemb., labente itidem a Septembrem sequente Januario anno Æræ Christi Vulg. 9°, die Martii 25°, Feria 2^da, anno Cyclo Solis XIII° proxime, post sex dies intermedios, a Kal. Apr. inituro, anno autem Cycli Lunæ X° jam a præcedenti die 14° Martii labente.

4^a, Post tres circiter menses a conceptione Christi, facta est γέννησις Joannis Baptistæ, die Junii 24°.

A die enim Martii 25° usque ad diem Junii 24^um, terminis exclusis sunt dies 90, seu ter 30 dies.

Natus ergo Joannes Baptista, ut dicit etiam Maximus, labente adhuc

anno M. 5501°, labente quoque anno Æræ Vulg. Christi 9°, labente itidem anno Cycli Solis XIII°, nec non anno Cycli Lunæ X°, in die Junii 24°, Feria 2da.

5a, Post sex circiter menses a Nativitate Joannis, & post novem circiter menses a propria conceptione facta est γέννησις Christi, in die Dec. 25°.

A die Junii 24° enim usque ad diem Dec. 25. sunt, uno termino excluso, dies 184, vel sex menses Solares.

Et a die Martii 25° usque ad diem Decemb. 25um, sunt, uno termino excluso, novem menses Solares, seu 275 dies.

Natus ergo Christus est evoluto jam anno M. 5501°, labente autem jam anno M. 5502°, labente adhuc anno Æræ Vulg. Christi 9°, labente quoque adhuc anno Cycli Solis XIII°, nec non anno Cycli Lunæ X°, in die Dec. 25°, Feria IVa.

6a, Joannes Baptista decollatus est labente anno Cycli Solis XVII°, & anno Cycli Lunæ IV° in die Aug. 29°, Feria IIIa. ut hoc Capite dicit Maximus.

Annus Cycli Solis 17us & Cycli Lunæ 4us produnt annum Mundi juxta Maximum, 5533um, quo labente ineunt, juxta Κανόνιον Maximi, annus Solis quidem 17us a Kal. Aprilis Feria VIIa, post Bissextilem diem ante Kal. Apr. præcedentis anni in Februario insertum; annus Lunæ autem 4us a Neomenia Paschali in die Martii 20°: qui characteres produnt annum Æræ Vulg. Christi 41um.

Adeoque Joannes decollatus est labente anno M. 5533°, labente itidem anno Æræ Vulg. Christi 41°, labente quoque anno Cycli Solis 17°, nec non anno Cycli Lunæ 4°, in Augusti die 29°, Feria IIIa.

7a, Joannes, ut supra vidimus, natus est anno M. 5501°, Christi 9° Junii die 24°, decollatus autem est anno M. 5533°, Christi 41°, Aug. die 29°.

Hinc patet Joannem non vixisse annos XXXIII completos, sed mortuum anni vitæ XXXIIItii labentis die 67°. Vide quoque supra.

8a, Dies vitæ Joannis sunt 22 diebus minores, quam dies vitæ Salvatoris, adeoque Christus quoque non vixit annos XXXIII completos, sed mortuus est anni vitæ XXXIIItii labentis die 89°. Vide quoque supra.

9a, Christus natus, ut supra vidimus, labente jam anno M. 5502°, labente adhuc anno Christi 9°, labente itidem anno Cycli Solis XIII°, nec non anno Cycli Lunæ X°, in die Dec. 25°, Feria IVa; adeoque mortuus est labente anno M. 5534°, labente itidem anno Æræ Vulg. Christi 42°, in die Martii 23°, Feria VIa, anno Solis XVIII° proxime,

me, post dies octo intermedios, a Kal. Apr., Feria I^{a} injturo, & post Kalendas Apr. sequentis anni in Februario diem Biss. habituro, anno autem Lunæ V° jam labente a Neomenia Paschali in die Martii 9°, & habente Lunam XV^{am} in Martii die 23°, qui est anni vitæ Christi XXXIII^{tii} labentis dies 89^{us}.

NB. Hæc omnia juxta Maximi principia & dictata, certa, fixa, & determinata, atque ita cohærentia sunt, ut nihil horum loco suo moveri possit.

10^{a}, Quod attinet Baptismum Christi, ejus tempus ex iisdem principiis determinari potest. Quando Christus baptizatus est erat ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ΑΡΧΟΜΕΝΟΣ. Si jam ab anno Mundi 5502° a die Dec. 25° usque ad annum M. 5531^{um} in diem Jan. 6^{um} numeraveris, invenies Christum anni vitæ XXX^{mi} diem 13^{um} habentem baptizatum esse; & a baptismo usque ad Passionem anno M 5534°, Martii die 23°, prædicasse per annos tres completos & menses circiter tres. Præterea annus Cycli Solis XIV^{us} & Cycli Lunæ 1^{us} produnt annum M. 5530^{um}, quo labente hi anni Solis & Lunæ ineunt, Solis quidem 14^{us} a Kal. Apr. Feria III, Lunæ autem 1^{us} a Neomenia Paschali in die Martii 23°, his annis Cycli Solis & Lunæ labentibus in die sequentis Jan. 6°, Feria III^{a}, baptizatus est Christus, adeoque anno M. 5530° jam evoluto, & labente jam anno M. 5531°.

11^{a}, Ut Christo dari possent anni vitæ completi XXXIII, statuendum esset Christum passum esse anno Mundi 5535°.

Sed hoc statui non potest, repugnat enim annus Solis & Lunæ, quo Maximus dicit, Christum passum esse, nec non annus Solis & Lunæ, quo dicit Joannem decollatum esse. Obstant præterea & alia argumenta.

Dato enim non concesso Christum passum anno M. 5535°, Cycli Solis 15°, Lunæ 6°, qui habet Lunam XIV^{am} Paschalem Apr. 10°, Feria IV^{a}, Lun. XV^{am}, Apr. 11°, Feria V^{a}, Lun. XVI^{am} Apr. 12°, Feria VI^{a}. (Feria enim quo Christus passus est mutari non potest.)

Tum sequeretur

a. Christum Pascha cum discipulis comedisse die Jovis Luna XV^{a}, passum die Veneris Luna XVI^{a}, & resurrexisse Dominica die Luna XVIII^{a}, quod placitis Alexandrinorum, quos Maximus sequitur, contrarium est.

b. Christum non vixisse dies 89, ultra annos vitæ completos, a die enim Dec. 25°, quo natus statuebatur, usque ad diem Apr. 12^{um} numerantur dies 109.

c. Dies vitæ Joannis non fore 22 diebus minores, quam dies vitæ Christi, sed 42 diebus. Quod ipsi Maximo contrarium est.

X L.

Schema exhibens concursum annorum Mundi, Christi, Cycli Solis & Lunæ ad illustrationem C. 32, 33, 34. P. 1ª.

labente anno Mundi	init annus Christi	& ineunt anni
5500° a Sept. .	8us a Jan.	Solis XIIus, ab Apr. 1°, Feria Iª. Lunæ IXus, a Mart. 25°, Luna Iª.
5501° a Sept. .	9us a Jan.	Solis XIIIus, ab Apr. 1°, Feria IIda. Lunæ Xus, a Mart. 14°, Luna Iª.
5502° a Sept. .	10us a Jan.	Solis XIVus, ab Apr. 1°, Feria IIIª. Lunæ XIus, ab Apr. 2°, Luna Iª.
5530° a Sept. :	38us a Jan.	Solis XIVus, ab Apr. 1°, Feria IIIª. Lunæ Ius, a Mart. 23°, Luna Iª.
5531° a Sept. .	39us a Jan.	Solis XVus, ab Apr. 1°, Feria IVª. Lunæ IIdus, a Mart. 12°, Luna Iª.
B. 5532° a Sept. .	40us a Jan.	Solis XVIus, ab Apr. 1°, Feria VIª. Lunæ IIIus, a Mart. 31°, Luna Iª.
5533° a Sept. .	41us a Jan.	Solis XVIIus, ab Apr. 1°, Feria VIIª. Lunæ IVus, a Mart. 20°, Luna Iª.
5534° a Sept. .	42us a Jan.	Solis XVIIIus, ab Apr. 1°, Feria Iª. Lunæ Vus, a Mart. 9°, Luna Iª.
5535° a Sept. .	43us a Jan.	Solis XIXus, ab Apr. 1°, Feria IIda. Lunæ VIus, a Mart. 28°, Luna Iª.

Juxta Maximum

anno M. . . . Solis 12°, Lunæ 9°, Sept. 27°, Fer. Vª, Lunâ Xª, Joan. conc.
anno M. 5501°, Solis 13°, Lunæ 10°, *Mart.* 25°, Feria IIda, Christ. concip.
anno M. . . . Solis 13°, Lunæ 10°, Junii 24°, Feria IIda, Joan. natus.
anno M. 5501°, Solis 13°, Lunæ 10°, *Dec.* 25°, Feria IVª, Christus natus.
anno M. 5530°, Solis 14°, Lunæ 1°, *Jan.* 6°, Feria IIIª, Christus baptisat.
anno M. . . . Solis 17°, Lunæ 4°, Aug. 29°, Feria IIIª, Joan. decollat.
anno M. 5534°, Solis 18°, Lunæ 5°, *Mart.* 23°, Feria VIª, Christus patitur.

Joannes mortuus est anni vitæ *XXXIII*tii labentis die 67°,
Christus mortuus est anni vitæ *XXXIII*tii labentis die 89°,
Dies vitæ Joannis 22 diebus minores, quam dies vitæ Christi,
Christus vixit, ultra annos vitæ completos, dies 89.

XLI. *Sche-*

X. L. I.

Schema exhibens, sepositis annis Mundi a Maximo designatis, annos Cycli Solis & Lunæ, cum annis M., qui inde sequuntur ad illustr. C. 32, 33, 34, P. 1æ.

labente
anno

Solis 12°, ab Apr. 1° } sequent. Sept. die 27° . . Joannes concipitur
Lunæ 9°, a Mart. 25° } Feria Va, Luna Xa . . adeoque
anno M. 5501°, Chri. 8°.

Solis 13°, ab Apr. 1° . . *præced. Martii* die 25° } Christus concipitur
Lunæ 10°, a Mar. 14° . sequenti die Martii 25° } adeoque
Feria IIda anno M. 5501°, Chri. 9°.

Solis 13°, ab Apr. 1° } sequentis Junii die 24° . . Joannes natus est
Lunæ 10°, a Mart. 14° } Feria IIda adeoque
anno M. 5501°, Chri. 9°.

Solis 13°, ab Apr. 1° } sequentis Dec. die 25° . . Christus natus est
Lunæ 10°, a Mar. 14° } Feria IVa adeoque
anno M. 5502°, Chri. 9°.

Solis 14°, ab Apr. 1° } sequentis Januar. die 6° . . Christus baptisatus est
Lunæ 1°, a Mart. 23° } Feria IIIa adeoque
anno M. 5531°, Chri. 39°.

Solis 17°, ab Apr. 1° } sequentis Aug. die 29° . . Joan. decollatus est
Lunæ 4°, a Mart. 20° } Feria IIIa adeoque
anno M. 5533°, Chr. 41°.

Solis 18°, ab Apr. 1° . . *præced. Martii* die 23° } Christus passus est
Lunæ 5°, a Mart. 9° . sequenti die Mart. 23° } adeoque
Feria VIa anno M. 5534°, Chr. 42°.
Luna XVa

Observatio 1a, Si, sepositis annis Mundi, examinentur anni Solis, & Lunæ una cum Feriis, omnia recte & rite procedunt.

Hoc ſolummodo notandum eſt, quod Maximus quando dies propoſitus, exempli gratia, Martii dies 25us, in Conceptione Chriſti, & Martii dies 23us, in Paſſione Chriſti, cadit in annum Cycli Lunæ, exempli gratia, 10um & 5um jam labentem, tum eum diem quoque referat ad annum Cycli Solis huic anno Cycli Lunæ reſpondentem, exempli gratia, 13um & 18um, licet præciſe, ſecundum ἀκρίβειαν dies ille pertineat ad annum Cycli Solis præcedentem, exempli gratia, 12um & 17um: quia dies ille Martii 25us tantum ſex diebus intermediis, & dies ille Martii 23us tantum octo diebus intermediis, abſunt ab initio anni Solis 13tii & 18vi, a ſequentibus Kal. Apr. ineuntium; & quia plane incongruum foret, Cycli Solis annum a ſuo anno Cycli Lunæ correſpondente divellere. Vide Syncellum ad annum Paſſionis Chriſti, p.

Obſervatio 2a, Ex collatione hujus Schematis cum præcedenti, §° 40° propoſito, patet annos Solis & Lunæ, quibus labentibus Chriſtus conceptus, natus, baptiſatus & paſſus eſt, omnes & ſingulos inire illis annis M. labentibus, quos Maximus deſignat.

Obſervatio 3a, Difficultas ſolvenda hæc eſt, quod Maximus videatur Chriſti Nativitatem conferre in annum Mundi 5501um, Indictionem XIIam, & ejus Baptiſmum in annum M. 5530um, Indictionem XIam, cum tamen, ut ex hoc Schemate patet, contigerint revera, Nativitas Chriſti anno M. 5502°, Indictione XIIIa, Baptiſmus autem anno M. 5531°, Indictione XIIa.

Obſervatio 4a, Ad difficultatem tollendam, anni Mundi, a Maximo deſignati, tentari non poſſunt; confirmantur enim per annos Indictionum C. 33. & per annos Imperii Auguſti & Tiberii Cæſarum, C. 33. & in Maximi Canone Chronologico. p. 356. D. E.

XLII.

Solutio difficultatis 1a propoſita & rejecta.

Antea quidem mihi videbatur, quod anni in Æra Maximi Mundana, ut & ejus Indictiones, inirent non a Septembri, ſed a ſequente Januario. Vide ſupra §um 37, & 38.

Sed nunc hanc hypotheſin rejicio, ob has rationes.

1°, Quia per hanc hypotheſin, difficultas circa annum Nativitatis Chriſti

Christi quidem tollitur, non autem difficultas circa annum Baptismi Christi.

2°, Quia aliæ rationes sunt, quæ vetant annos Mundi & Indictiones Maximi procedere a Kalendis Januarii. Vide supra §° 3°, in Corollario §° 22°, Observ. 6ª. §° 31, Observ. 3ª.

XLIII.

Solutio difficultatis 2da proposita & rejecta.

Venit mihi in mentem, an non anni in Æra Maximi Mundana, ut & ejus Indictiones ineant non a Kal. Sept., sed a sequentibus Kalendis April. a quibus annus Solaris technice a Maximo assumptus initium sumit.

Et hæc hypothesis difficultatem tam circa annum Christi natalem, quam circa annum Baptismi ejus tollere videtur.

Sed 1° hæc hypothesis laborat hoc incommodo, quod tam dies Conceptionis Christi Martii 25, quam dies Passionis Christi Martii 23, caderent ante initium anni M. 5501, & 5534 a sequentibus Kal. Apr. ineuntium, ex hac hypothesi.

Præterea 2° huic hypothesi obstant illa argumenta, quæ vetant annos M. & Indictiones Maximi inire a Kal. Apr., & contra suadent eos procedere a præcedentibus Kalendis Septemb. Vide §um 3um, in Corollario. §um 22um, Observ. 6ª & 10ª. §um 31um, Observ. 3ª.

XLIV.

Solutio difficultatis 3ª vera proponitur & confirmatur.

In designatione temporis, quo Christus conceptus, natus, baptisatus, & passus est, nec non, quo Joannes Baptista conceptus, natus, & decollatus est, scopus Maximi directus & primarius est, indicare quoto anno Cycli Solis & Lunæ unumquodque contigerit. Ut patet ex Inscriptione Capitis 32, & ex initio Cap. 34.

Anni autem Mundi C. 32°, & Indictiones C. 33°, nec non distantia ab Indictione labente XIVª anni 31mi Imperii Heraclii, quando scribebat,

bat, C. 32°, accedunt, ut illi anni Cycli Solis & Lunæ hoc modo distinguerentur ab omnibus aliis ejusdem numeri annis Cycli Solis & Lunæ, & ut distantia illorum annorum Cycli Solis & Lunæ ab illo anno Cycli Solis & Lunæ qui illa Indictione XIV^a, qua labente scribebat, proxime inituri erant, cognosceretur.

Unde C. 34°, in designatione temporis, quo Joannes Baptista conceptus, natus, & decollatus fuit, non accedunt anni Mundi, neque Indictiones, sed illi anni Cycli Solis & Lunæ, quibus Joannes conceptus & natus est, distinguuntur & determinantur per annum Cycli Solis & Lunæ, quo Christi γέννησις contigit, & annus Cycli Solis & Lunæ quo Joannes decollatus est, distinguitur & determinatur per tempus vitæ Christi & Joannis, & utriusque comparationem, & sic revera per annum Cycli Solis & Lunæ, quo Christus passus est.

Anni illi Cycli Solis & Lunæ, quibus Christus conceptus, natus, baptizatus, & passus est, omnes & singuli ineunt labente illo Mundi anno, qui a Maximo, Cap. 32°, designatur, & labente illa Indictione, quæ C. 33° ab eo indicatur, labente denique etiam illo Imperii Augusti & Tiberii anno, qui C. 33° & in Canone Chronologico p. 356. D. E. ab eo annotatur. Vide Schemata supra §° 40 & 41. exhibita.

Adeoque sic statuo, Maximum, in hac designatione temporis, illa, quæ hoc vel illo Cycli Solis & Lunæ anno labente contigerunt, referre ad illum Mundi annum, qui divisus per 28 & 19, hunc vel illum Cycli Solis & Lunæ annum (illo anno Mundi labente ineuntem) prodit, licet illa non hoc ipso anno Mundi labente contigerint, sed in annum Mundi sequentem excurrant. Et illum eodem modo illa referre ad illam Indictionem, cum illo Mundi anno pari passu ambulantem, quâ labente illi Cycli Solis & Lunæ anni ineunt, quibus labentibus illa contigerunt, licet non illâ ipsâ Indictione labente contigerint, sed in sequentem Indictionem excurrant.

Quando itaque Maximus annum M. adjungens anno Cycli Solis & Lunæ dicit, exempli gratia, anno M. 5530°, Cycli Solis XIV°, Lunæ 1° &c. Christus baptisatus est hoc tantundem valet ac si dixisset, anno Cycli Solis XIV° & anno Cycli Lunæ 1°, qui labente anno M. 5530° ineunt, Christus baptisatus est.

Hæc, meo judicio, vera hujus difficultatis solutio est.

XLV.

XLV.

Characteres temporis quo Christus conceptus est juxta Maximum.

Annunciatio facta est Mariæ Virgini, & Christus conceptus est

Labente anno Mundi 5501°. C. 32.
qui init a Sept., & est 1us a Bissextili. C. 17.
Labente Indictione XIIa. C. 33.
quæ procedit a Septemb.
Labente anno Imperii Augusti 43°. C. 33. in Canone,
qui cum anno M. 5501° in Canone pari passu ambulat.
Labente (vel, præcise loquendo, post 6 dies intermedios, inituro) anno Cycli Solis XIII°. C. 32.
qui init a sequentibus Kal. Apr., & est 2dus a Biss., habetque in Kal. Apr. Feriam 2am. Vide Rotam, & C.
Labente anno Cycli Lunæ X°. C. 32.
qui init a Neomenia Paschali Martii 14°. Vide Κανόνιον.
in mensis Martii die 25°,
quo Ecclesia Græca Festum Annunciationis celebrabat.
Feria 2da. C. 32.
Anno, ab Indictione XIVa anni Imperii Heraclii 31mi, & ab anno M. 6133° (inclusive) retro numerato, 633°. C. 32. C. 33.

Sex circiter mensibus post oraculum Zachariæ factum de conceptione Joannis Baptistæ, quod contigit. C. 34. C. 1. Κανόνιον. & Rota.

Labente anno Cycli Solis XII°,
qui init a Kal. April., Feria Ia
estque 1us a Bissextili.
dies enim Biss. præcedenti Februario insertus, in fine anni Cycli Solis XImi.
Labente anno Cycli Lunæ IX°,
qui init à Neomenia Paschali Mart. 25°,
in die Septemb. 27°,
Feria Va.
Luna Xa septimi mensis.

Tribus circiter mensibus ante Nativitatem Joan. Bapt., quæ contigit. C. 34.
Labentibus anno Cycli Solis XIII°, & Lunæ X°,
in die Junii 24°.
Feria 2da.

Novem circiter mensibus ante propriam nativitatem, quæ contigit. C. 34. 32.
Labentibus anno Cycli Solis XIII°, Lunæ X°,
in die Dec. 25°, quo Festum natale Christi celebrabatur.
Feria IVa,
ante mortem suam anni XXXIIItii die 89°.

XLVI.

Characteres temporis quo Christus passus est, juxta Maximum.

Christi passio, seu crucifixio & mors contigit.
Labente anno Mundi 5534°. C. 32.
qui init a Septembri. C. 17.
estque secundus a Bissextili. C. 17.
Labente Indictione XVa. C. 33.
quæ procedit a Septembri. C. 17.
Labente anno Imperii Tiberii Cæsaris XIX°. in Canone,
qui cum anno M. 5534° in Canone pari passu ambulat.
Labente, vel, præcise loquendo, post octo dies intermedios ineuro,
anno Solis XVIII°. C. 32.
qui init a Kal. April., Feria Ia. C. 32.
estque tertius a Bissextili. ex Rota.
Labente anno Cycli Lunæ V°. C. 32.
qui init a Neomenia Pasch. Martii 9°. ex Κανονίῳ.
in die Martii mensis 23°,
adeoque Luna XVa,
Feria VIa. C. 32.
A præcedente Sept. die 25°, die 89°. C. 34.
Vitæ anni XXXIIItii die 89°. C. 34.
Anno, ab Indictione XIVa anni Imperii Heraclii 31mi, & ab anno M. 6133° (inclusive) retro numerato, 600°. C. 32.

Post

Post mortem Joannis Baptistæ, menſibus circiter ſex, & diebus XXII (C. 34) qui decollatus eſt (C. 34)

Labente anno Cycli Solis 17°,
qui init a Kal. Apr., Feria VIIª.
eſtque ſecundus a Biſſextili.
Labente anno Cycli Lunæ 4°,
qui init a Neom. Paſch. Martii 20°,
in Auguſti menſis die 29°,
Feria IIIª,
Vitæ anni XXXIIItii die 67°.

XLVII.

Partis 2æ contenta.

Pars 2ª, *Tota concernit eos, qui Pentaploſin & Hexaploſin faciebant.*

Et in ea *proponit Maximus* Κανόνιον, *comprehendens Rotam & Tabellas duas, addita earundem explicatione.*

Ad oſtendendum, *in quibus Cycli annis illi ſuam illam Lunam XVam ac XVIam (quæ Alexandrinis & Maximo tantum XIVa erat) habebant in diem Dominicam incurrentem, ac proinde Luna XXIIa vel XXIIIa, Paſcha* κανονίζουσι.

NB. Præmiſerat jam in Parte 1ª Cap. XI°, XII°, XVI° quædam de illorum Computo.

Hæc antequam Partem 2am aggrediar, prius erunt explicanda.

XLVIII.

Explicatio eorum, quæ de Computo illorum, qui Pentaploſin & Hexaploſin faciebant, dixerat Parte 1ª Cap. XI°.

Hoc Capite egerat *de ſaltu Lunæ in iſtorum Cyclo decemnov.*

Statuebant ſaltum Lunæ in anno, qui ſecundum eorum calculum XIus eſt, quem nos (inquit Maximus) *XIVum numeramus.*

Nam iſte annus XIus eſt dierum CCCLIII. Confer §um 16. Obſervatione 3ª.

Incipiens a Dec. 31°, *& desinens in ejusdem mensis die* 18°. Vide §um 55.

Atque id patet ex eo, quod annus eorum XIIus, in Kalendis Januarii ætatem Lunæ XIVam habeat, ex eorum calculo, ac proinde Neomeniam, seu Lunam Iam in die Decemb. 19°. Vide §° 55.

Observationes.

1a, Utebantur Cyclo Lunari XIX annorum.

2a, Anni eorum Lunares incipiebant a Luna, quæ circa initium anni civilis a Januario incipientis, nascebatur. Vide Partis 1æ C. XII. §. 50.

3a, Observabant in eorum Computo ætatem Lunæ in Kalendis Januariis. Vide l. c.

4a, Annos in Cyclo suo Lunari aliter numerabant, quam Maximus.

illorum Cycli Lunæ annus		Maximi Cycli Lunæ annus
XIus	erat	XIVus
Ius	erat	IVus
XVIIus	erat	Ius.

5a, Adeoque si etiam illi, ut Maximus fecit, annum Cycli primum a Mundi anno 1° inceperint, alterutrum sequitur: nempe

Vel Æram Mundanam Maximi tribus annis prævertere illorum Æram: hoc est, annum Mundi 4um, juxta Maximum, concurrere cum anno Mundi 1°, juxta illos.

Vel Æram Mundanam illorum sexdecim annis prævertere Æram Maximi: hoc est, annum Mundi 17um juxta illos concurrere cum anno Mundi 1° juxta Maximum.

Vide Partis 1æ Cap. XII, §um 49. & Partis 2æ Cap. 1um. §° 52.

XLIX.

Explicatio eorum, quæ de Computo illorum, qui Pentaplosin & Hexaplosin faciebant, dixerat Partis 1æ Cap. XII°.

Hoc Capite ostenderat, *cujus rei gratia Lunæ annos* πενταπλῶσι, hoc est, *quinquies multiplicent; & quomodo circa illum calculo errent: Item cur*

annus

annus eorum differat ab anno, *qui a nobis computatur*, (in Cyclo Lunæ, (& Solis) ut ſupra C. XI indicaverat.)

Quod primum attinet,

Studuerunt autem (inquit) *illi exemtilem illum diem* (qui ex aliquo Cycli, XIX annorum, anno eximendus eſt, quemque illi ex anno, Cycli eorum, XI° eximunt) *inculcare hoc modo.*

Quoniam enim ipſis XXX dierum Lunæ menſis calculatur; (Confer infra §° 66. Obſerv. 4ª) διὰ τὸ μίαν ἑξακοστὴν ὑπὲρ ἑκάστης ἡμέρας τιθέναι καὶ συλλαμβάνειν, *viſum etiam* (ipſis) *eſt*, *pro illo*, *inquam*, *die qui XI° quoque anno eximitur*, *quinque per ſingulos annos congregare ſexageſimas*; *ut duodecimo denique anno*, *illam diem colligentes*, (quinque enim ſexageſimæ partes diei, duodecies ſumptæ, unam diem conſtituunt) *in hujus* (anni XII^mi^) *primum* (diem) *ultimum* (diem) *illius* (anni XI^mi^) *ducant*; *qui eſt dictus Decembris dies* 19^us^ (dum ſcilicet annum XI^um^ facientes uno die defectivum, diem Decembris 19^um^, qui alias deberet eſſe ultimus dies anni XI^mi^, numerant primum diem anni XII^mi^.)

Quem illorum Computum ſeu calculum, ad diem illum exemtilem inveniendum, & ab anno XI° auferendum, (cujus rationem & fundamentum me nondum percipere fateor) deinde variis rationibus oppugnat Maximus.

Quod autem attinet ſecundum,

Differt, vel, *diſcrepat autem* (inquit) *etiam annus*, *qui apud ipſos calculatur*, *ab eo*, *qui apud nos*, *juxta Eccleſiaſticam traditionem*, *numeratur*. * Per ἔτος intelligo annum Cycli Lunæ, (nec non Cycli Solis) apud ipſos, & apud Maximum diverſimode numeratum: cujus diverſitatis cauſa & origo eſt, quod annis ab Adam XVI adjiciant. Confer P. 2ª C. 2 & 3.

Quoniam (ſic pergit) *annis ab Adam* (hoc eſt, qui ab Adam, ſeu creatione Mundi numerantur) *XVI addunt vel adponunt.*

Obſervationes.

1ª, Clare illis tribuitur, quod annis ab Adam, qui a Maximo juxta *traditionem Eccleſiaſticam* (ut infra C. 17, dicit) numerabantur, XVI annos adjicerent: ita ut illorum Æra Mundana ſemper XVI annos plus numeraret a Mundo condito, quam Æra Mundana Maximi. Vide §^um^ præced. Obſervatione 5ª.

 Exempli

Exempli gratia,

	annus Mundi juxta Computum Maximi	Cycli Lunæ		annus Mundi juxta Comput. illorum	Cycli Lunæ
	1^{us}	1^{us}	erat	17^{us}	17^{us}
quo Chriſtus natus eſt . .	5501^{us}	10^{us}	erat	5517^{us}	7^{us}
quo Chriſtus baptizatus . .	5530^{us}	1^{us}	erat	5546^{us}	17^{us}
quo Chriſtus paſſus eſt . .	5534^{us}	5^{us}	erat	5550^{us}	2^{us}
qui eſt 31^{us} Heraclii . .	6133^{us}	15^{us}	erat	6149^{us}	12^{us}

2^a, Non dicit quoto anno illi Æræ ſuæ Mundanæ affigerent Nativitatem Chriſti.

3^a, Hinc patet, quod 1^o loco obſervandum erat, illos Æra Mundana in Computo ſuo Paſchali uſos fuiſſe, in qua annus Cycli Lunæ, juxta illos, 1^{us} connectebatur cum anno Mundi, juxta illos 1^o. Adeo ut annus Mundi currens, per XIX diviſus, daret annum Cycli Lunæ currentem, cum illo anno Mundi connexum & concurrentem.

4^a, Illorum Æra Mundana habebat illam perfectionem ſeu commoditatem, quam Æra Maximi Mundana (ut vidimus §° 38) non habebat, ut annus Mundi quilibet currens, diviſus per XV, daret annum Cycli Indictionum currentem, cum illo anno Mundi connexum, & vel actu in uſu civili, vel proleptice concurrentem.

Et hunc in finem videtur hæc Æra Mundana excogitata fuiſſe, &, ut hoc obtineret, XVI anni additi fuiſſe annis ab Adam, qui in Æra qua Maximus utitur, numerabantur.

Exempli gratia,

Anno Chriſti 1^o numerabat Æra Maximi annum ab Adam 5501^{um}: qui annus Mundi diviſus per XV, relinquit XI, adeoque daret Indictionem XI^{am}, cum revera illo anno proleptice debeat eſſe Indictio XII^a.

Adde annis ab Adam, XVI annos, & numera, anno Chriſti 1^o, annum ab Adam 5517^{um}. Tum ille annus Mundi, diviſus per XV, relinquet XII; adeoque dabit requiſitam Indictionem XII^{um}.

L. Ex-

L.

Explicatio eorum, quæ de Computo illorum, qui Pentaplosin & Hexaplosin faciebant, dixerat Parte 1ª Cap. XVIº.

Inſcriptio hujus Capitis hæc eſt: *ex quo Romano menſe τὸ Πασχάλιον κανονίζουσι, & omnes Lunæ annos, illi, qui eos (Lunæ annos) quinquies multiplicant, & ſexies multiplicant. Et unde, ac quomodo, atque in quibus annis XVᵃᵐ & XVIᵃᵐ calculent XIVᵃᵐ primi juxta Hebræos menſis.*

Quod primum attinet,

Confer infra §º 55.

Dicit *illos τὸ Πασχάλιον κανονίζειν, & omnes Lunæ annos, ex alio Romano menſe, nempe Decembri.*

Ab ejus enim (ſcilicet menſis Dec. die) 4º (inquit) *facientes initium illius, qui omnes Neomenias intra ſe habet, menſis, finem in diem Januarii 1ᵘᵐ ponunt. XXIX enim ab illo* (die Decemb. 4º) *uſque ad hunc* (diem Jan. 1ᵘᵐ) *ſunt* (dies: qui faciunt ſpatium menſis cavi.) *Quapropter ex illo die* (ſeu ex ætate Lunæ in illo die) *nempe Januarii* 1º, *omnes Lunæ annos κανονίζοντες.*

Obſerva Maximum hic duo dicere

1º, Quod illi, non a menſe Vernali & Æquinoctiali, ſed a Luna Januarii menſis, ordinario in Decembri natâ, excepto anno illorum 19º, annos Lunæ, in ſua Enneadecaëteride, ordiebantur, ſeu regulabant.

2º, Quod ſpatium illud intra quod Neomeniæ omnes vagabantur, a quibus illi annos Lunæ ordiebantur (quod ſpatium hic vocat Πασχάλιον eorum, confer §ᵘᵐ 19) ipſis erat XXIX dierum, & incipiebat a die 4º Decembr., & deſinebat in die 1º Januarii. Incipiebant itaque annos Lunæ, in ſua Enneadecaëteride, omnes a Luna, quæ in Januario terminabatur; & eorum Neomenia citima in die 4º Decemb., ultima vero in die 1º Januarii incidebat: & eorum Epactæ Lunares indicabant ætatem Lunæ in Kalendis Januarii.

Quod ſecundum attinet,

(Confer omnino infra §ᵘᵐ 56 & 66. Obſerv. 8.)

Quapropter (ſic pergit) *ex illo die, inquam Januarii* 1º, *omnem Lunæ annum κανονίζοντες, deinde, propter illum Paſchæ calculum,* (quæ per Pentaploſin & Hexaploſin peragitur,) *ab illa die* (*Jan.* 1º) *quot uſque ad Martium completum* (hoc eſt, diem 31ᵘᵐ Martii) *dies numerantur, nempe*

XC,

XC, totidem sexagesimas colligentes, post illarum (XC sexagesimarum) *ex tribus illis mensibus* (seu XC illis diebus a Jan. 1. usque ad Mart. 31, collectarum) *per* λ″ (lego ξ″) *divisionem, relinquitur* (παραλιμπάνεται) *illis dimidia pars diei* (ἡμισημέρον) *sive, XXX Sexagesimæ. Illis igitur XXX Sexagesimis adjicientes etiam illas partes, quæ per singulos annos ex V illis Sexagesimis congregantur, & facientes diem unum, & interdum etiam amplius,* (τυχὸν δὲ καὶ πρός) (quam unum diem) *quando nimirum, ut consentaneum est, etiam usque ad dies aliquot in Aprili calculum extendunt, propter Paschæ* παρέκβασιν (hoc est, quia Luna XIVa Paschalis diem Martii 31 transgreditur sæpius, & in Aprili cadit) [*Necesse enim est etiam illorum* (in Aprili dierum) *colligere sexagesimas.*] *Accidit omnino ipsis, illâ unius diei aut duorum additione, primi secundum Hebræos mensis XIVam, computare etiam XVam, vel etiam XVIam. Et XVam quidem in his annis, videlicet*

5°

6° *XVIam autem in anno*

7° 16°

8° *in XIVa vero putando nobiscum consentiunt*

9° *tantum in quinque annis hisce*

10°

11° 1°

12° 2°

13° 3°

14° 4°

15° 18°

17°

19°

His ita se habentibus, quoties in Dominicam Luna XIVa primi secundum Hebræos mensis incidit, necesse est (*apud illos*) *Christianum Pascha ad Lunam XXIIam, & XXIIIam extendi, quod præter rationem* (παραλόγως) *fit, ut ex iis, quæ diximus* (Cap. 15.) *patet.*

Observationes.

1a, Maximus illorum methodum non admodum clare proponit, & quædam videtur supponere, (vide §um 56.) unde dum ea non exprimit, res obscura redditur. Nihil enim dicit de eorum Hexaplosi, quomodo illa peragebatur: de Pentaplosi aliquid dixerat Cap. 12°, quatenus scilicet

ſcilicet illa inſerviebat ad diem exemtilem inveniendam & anno Cycli XI° inculcandam. Sed quomodo ea Pentaploſis, ut & Hexaploſis, hoc in caſu eſſet adhibenda, & quomodo inſerviret ad determinandum quota Luna, ex eorum ſententia, eſſet numeranda in die termini, an ſcilicet XIVª, an XVª, an vero XVIª, de eo nihil monet.

PETAVIUS in Auctario ad Opus de Doctrina Temp., (quod ejus Uranologio ſubjungitur) L. 8. C. 14. §° 4. & ſeq. eorum Methodum hoc modo ſe habuiſſe judicat.

Propoſitum quemlibet annum Cycli ſui primum per ſex, deinde per quinque multiplicabant, hoc eſt, in totum per undecim: tum ad ſummam inde conflatam, dies adjiciebant, qui a Kalendis Januariis uſque ad Paſchalem terminum (hoc eſt Lunam XIVam Paſchalem) illius anni numerabantur.

Rurſus tot ſexageſimas diei partes, quot erant dies a Kalend. Januarii ad Paſchalem terminum, ſumebant, ad quas toties quinque alias ſexageſimas diurnas adjiciebant, quotus annus Cycli propoſitus annus numerabatur: hanc ſummam ſexageſimarum, per 60 partitam, in dies redigebant.

Et tot dies, quot completi in illa ſumma ſexageſimarum comprehendebantur, adjiciebant ad priorem ὁμάδα dierum, ante inventam: totamque illam ſummam denique dividebant per 30; & quod ex illa diviſione reliquum erat, exprimebat, (ex eorum ſententia) ætatem Lunæ in termino Paſchali.

Exempli gratia,

Proponatur annus Cycli eorum 5us,
in quo terminus Paſchalis die April. 18.

a Jan. 1 — Apr. 18, ſunt dies	108	totidem Sexageſ. ſunt	108
annus Cycli 5us, ſexies multipl., dat	30	quinque Sexag. quinquies	25
idem quinquies multiplicatus, dat	25	Sexageſimarum ſumma	133
dierum ſumma	163	quæ per 60 partita, & ſic ad dies reducta, dant completos dies	2
adde ex ſexageſimis dies	2		
ſumma	165		
quæ diviſa per 30			

Relinquit 15. ergo in termino Paſchali die Aprilis 18, ex eorum calculo Luna XVª.

Proponatur annus Cycli eorum 4us, in quo terminus Paſchalis, ſeu Luna XIVa Paſchalis, die Mart. 30.

à Jan. 1 — Mart. 30. ſunt dies	89	totidem Sexageſimæ ſunt	89
annus 4us ἑξαπλουσθεὶς, dat	24	quinque Sexageſimæ quater	20
idem πενταπλουσθεὶς, dat	20	ſumma Sexageſimarum	109
ſumma dierum	133	quæ per 60 partita, & ſic ad dies reducta, dat tantum diem completum . . .	1
adde ex Sexageſimis diem	1		
ſumma	134		
quæ diviſa per 30 /			

Relinquit 14 ergo in termino Paſchali, die Mart. 30, Luna, ex eorum calculo quoque, erat XIVa.

Proponatur annus Cycli eorum 16us, in quo terminus Paſchalis, ſeu Luna XIVa Paſchalis Nicæna, die Apr. 17.

a Jan. 1 — April. 17, ſunt dies	107	totidem Sexageſimæ	107
annus Cycli 16us ἑξαπλουσθεὶς	96	quinque Sexageſimæ decies ſexies ſumptæ .	80
idem πενταπλουσθεὶς, dat	80	ſumma Sexageſimarum	187
ſumma dierum	283	quæ diviſa per 60, & ſic ad dies reducta, dat completos dies . .	3
adde ex Sexageſimis dies	3		
ſumma	286		
quæ diviſa per 30 /			

Relinquit 16 ergo in termino Paſchali, die Apr. 17, erat, ex eorum calculo, Luna XVIa.

Proponatur annus Cycli eorum 18us, in quo terminus Paſch. die Mart. 25.

a Jan. 1 — Mart 25, dies	84	totidem Sexageſimæ	84
annus Cycli ἑξαπλουσθεὶς dat	108	quinque Sexageſimæ decies & octies ſumptæ .	90
idem πενταπλουσθεὶς, dat	90	ſumma Sexageſimarum	174
ſumma dierum	282	quæ diviſa per 60, & ſic ad dies reducta, dat tantum completos dies .	2
adde ex Sexageſim. dies	2		
ſumma	284		
quæ diviſa per 30 /			

Relinquit 14 ergo in termino Paſchali, die Mart. 25, erat, ex eorum calculo, Luna XIVa.

& ſic porro.

2a, Vi-

2ª, Videntur illi aliquem defectum Cycli decemnovalis animadvertisse, & quod ille Novilunia Paschalia non accurate proderet, observasse, ut ibidem Petavius monet, Cap sequenti 15º. (Confer §um 71.)

Videntur (ut rationem aliquam inirent qua Neomenias Paschales cœlestibus Neomeniis conformiores, Methodi tantum gratia, exhiberent) annum ac proinde quoque mensem Lunarem paulo minorem concepisse, quam in Cyclo XIX annorum, concipiebatur.

Anno Lunari videntur dempsisse 5 Sexagesimas partes diei, quæ faciunt 2 horas, seu 120 minuta, quæ per 12 divisa darent 10 minuta ab unoquoque mense in anno communi auferenda: quibus ablatis fieret mensis Lunaris dierum 29, horarum 11, minutorum 50.

Sed hæc ulterius pensitanda: fateor enim me adhuc nondum percipere fundamentum calculi Sexagesimalis, quo illi utebantur.

3ª, Maximus hactenus hoc tantum in illis culpat, quod ex eorum calculo hoc sequebatur, quod Pascha celebrarent in Luna, juxta eos, XXIIª, & XXIIIª; non autem quod illud alio die, quam Ecclesia, celebrarent.

L I.

Ad Partis 2ª Cap. 1um.

Exponitur in hoc Capite scopus hujus Partis.

Nempe, *ostendere* ποῖα καὶ αὐτοῦς ἢ πόσα ἔτη *Cycli Lunæ habeant Lunam XVam aut XVIam occurrentem in die Dominicâ.*

(*Quo fit, ut XXIIª vel XXIIIª Luna Pascha* κανονίζουσι: *cui contrarium observatur a nobis* (inquit Maximus) *quibus fas non est Pascha ultra XXIam Lunam extendere, neque infra XVam descendere.*)

Idque facere proposito quodam Κανονίῳ, *in quo Rota & duæ Tabellæ.*

L I I.

Ad Partis 2ª Cap. 2um.

Hoc Caput continet *descriptionem Rotæ.*

In Rota sunt Circuli XI.

1us *Annos Solis XXVIII exhibet, initio non a primo ducto, sed a XIII, XIV, & sic deinceps Hic est Circulus extimus.*

2us *Annorum singulorum Epactas proponit.*

3[us] *Habet anni Juliani Bissextiles.*

4[us] *Annos Solis XXVIII iterum, inchoatos a primo.*

(*Ob id vero in primo Circulo a XIII°, in quarto autem a 1° anni Solis XXVIII ordinati sunt, ut quivis facile intelligeret, annum, qui apud ipsos 1[us] est, apud nos esse XIII[um], & qui apud illos est II[dus], apud nos esse XIV[um], & ita porro*)

(*In superiori vero parte seu in Circulo 1°, qui est extimus, posuimus annos, qui ex veritate secundum Ecclesiasticam traditionem numerantur.*) Confer P. 1[a] C. 12. p. 322. A. & P. 2[a] C. 3. p. 342. D.

Circuli quinque interiores continent annos Lunæ Enneadecaëteridum octo & viginti, in quibus XIV[a] primi mensis secundum Hebræos in Dominicam incidens, ab illis XV[a] vel XVI[a] computatur

Cæterum ordine quælibet Enneadecaëteris indicatur, 1[a] quidem per 1[um] Solis annum, qui quarto Circulo inscriptus est; 2[a] per 2[um], & ita singulæ Enneadecaëterides, usque ad 28[am], per suprascriptos Solis annos. His enim ad ejusdem numeri Enneadecaëterides significandas usi sumus, ne propter eas alio Circulo opus esset.

Quinque autem tantummodo Circulis cujuslibet Enneadecaëteridis annos attribuimus (τελ̣ηρηκαμεν) *quoniam in nulla prorsus ultra annos quinque in Dominicam cadere animadvertimus XV[am] vel XVI[m] illorum, quam nos XIV[am] computamus; sed vel in uno, vel in duobus, vel in tribus, vel in quatuor, vel in quinque annis, in pluribus nunquam. Nam etsi quidem per unamquamque Enneadecaëteridem in annis tredecim XV[am], & in uno XVI[m] putant (ut dictum est) eam quæ XIV[a] revera est, in Dominicam tamen eæ omnes non incidunt.*

Unde etsi in ipso Lunæ die (hoc est in ætate Lunæ) *fallantur, non tamen circa Christianum Pascha errant.*

NB. Quibus verbis (post quæ aliquid in MS[to] deëst, & quæ cum sequentibus videntur connexionem habere) hoc, meo judicio, vult, quod, licet in omnibus illis Cycli decemnovalis annis, modo dictis, in quibus XV[am] & XVI[am] putabant, quæ revera erat XIV[a], fallerentur in ætate Lunæ, non tamen in omnibus illis annis errarent, vel peccarent circa Pascha Christianum: errabant quidem circa Pascha Legale in omnibus illis annis, quia in XIV[a] primi, secundum Hebræos, mensis, putabant XV[am] aut XVI[am], sed non in omnibus illis annis errabant aut peccabant circa Pascha Christianum, quia non semper transgrediebantur Regulam illam Paschalem, quæ vetat Dominicam Paschalem extendere ultra Lunam XXI[am]; *nam* (ut in

iis,

ris, quæ ſtatim ſequuntur, dicit' *illam Lunam XXI*^am^ *non tranſcendebant*, *quando illa eorum XV*^a^ *cadebat in Feriam II*^am^ *& ſequentes Ferias*; *nec non*, *quando illa eorum XVI*^a^ *cadebat in Feriam III*^am^ *& ſequentes Ferias.* Obſervat tamen *etiam extra illum caſum*, *quando illa eorum XV*^a^ *& XVI*^a^ *in Dominicam incidebat*, *peccari contra hanc Regulam*, *quando ſcilicet illa eorum XVI*^a^ *cadebat in Feriam II*^am^, *quia tum ſequenti Dominica habebant Lunam XXII*^am^ *in Dominica Paſchali*, *& ſic*, *contra illam Regulam*, *Lunam XXI*^am^ *tranſcendebant.*

Quapropter (inquit) *etiam illos Lunæ annos*, *qui apud ipſos ita calculantur*, (hoc eſt, in quibus habent illam ex eorum calculo XVI^am^ incidentem in Feriam II^am^ *duplici puncto notavimus.*

Similiter etiam addit) *illos* (annos) *in quibus in Dominicam* (incidentem) *illam dictam XVI*^am^ τηρῦσι, (non enim hoc vult Maximus, quod iſti Paſcha celebrabant in Luna XVI^a^ illa in Dominicam incidente, minime, nam celebrabant tunc Paſcha cum Eccleſia in ſequenti Dominicâ, ſed Luna eorum XXIII^a^. Sed hoc vult, quod in illorum Κανονίῳ, Laterculo, Regula, vel Tabella Paſchali annotatam habebant Lunam illam XVI^am^ in quibusdam annis in Dominicam incidentem: ita enim vox τηρεῖν etiam paulo ante in hoc Capite, & alibi ſæpius a Maximo ſumitur, vel potius, quod illorum Computus prodebat aliquando Lunam illam XVI^am^, in Dominicam incidentem.) *Illos* (inquit) *annos triplici puncto notavi.*

Hæc autem (inquit) *eſt ratio illorum punctorum*, *quæ annis Lunæ quibusdam ſunt adſcripta*, (quæ tamen in editione Petavii non reperiuntur) *ex quibus diſtinctio fit annorum*, *in quibus Luna XXII*^a^, *& annorum*, *in quibus Luna XXIII*^a^, *& annorum*, *in quibus ante Hebraicum Paſcha*, *Chriſtianum*, *contra id quod oportet* (παρὰ τὸ εἰκὸς) (κανονίζουσι *regulant.*

Hoc (ultimum ſcilicet *enim faciunt in illis annis*, *qui duobus punctis notantur*, *dum in Dominicam incidentem Lunam apud nos XIII*^am^, *illi XV*^am^ *computant* (quod fiebat, quando annus Lunæ, juxta illos, 16^us^, in quo in termino Paſchali habebant Lunam XVI^am^, cum tali anno Cycli Solis concurrebat, ut terminus Paſchalis, ſeu Luna XIV^a^ Nicæna caderet in Feriam II^am^: nam in tali anno Eccleſia habebat in die præcedenti Dominica Lunam XIII^am^, illi vero, ex eorum calculo, XV^am^.)

In qua (ſcilicet Dominica) *eatenus*, *quod illa eorum XV*^a^ *in eam incidit*, *Feſtum Paſchale celebrare debebant*, *Regula* (Κανόνος) *id facere* ἐγχωροῦντος, hoc eſt, *permittente*, *ſive locum & occaſionem dante: eatenus autem*, *quod*

Luna XIV^{a} ſequenti, hoc eſt, II^{a} Feria incidit, convincuntur, ante Hebraicum Paſcha, Chriſtianum κανονίζειν, *& circa verum calculum aberrare.*

Si enim coincidentia Chriſtiani Paſchatis cum Hebraico culpatur, ſeu crimini ducitur; quid dicendum erit de præincidentia.

Cæterum in illis quinque zonis ſeu circulis (ſic pergit, poſt quædam interjecta, in quibus MS^{um} exeſum erat, & proinde editio mutila eſt.) *ad annos Lunæ Solares ad ſiniſtram adſcripſimus, una cum novendecim Cyclis illorum, qui ſinguli annis XXVIII conſtant, quique rubro colore picti ſunt.* (quod in editione Petavii non reperitur.)

Ut cognoſci poſſit quotus annus in Cyclo Solis, & cujus Cycli Solis ſit cujuslibet Enneadecaëteridis annus, in quo XIV^{am}, illi XV^{am} vel XVI^{am} computant:

Et ut ex congruentibus Epactis (Solis), quæ ſecundo Rotæ circulo inſcribuntur, cognoſci poſſit Feria: nempe colligendo in unam ſummam Epactas Solis, & ποστιαίαν *Romani menſis, &* προσθέλας *illius menſis; & deinde dividendo ſummam illam per VII.*

Obſervationes.

1^{a}, Annos in Cyclo ſuo Solari aliter numerabant, quam Maximus

illorum Cycli Solis annus		Maximi Cycli Solis annus
1^{us}	erat	13^{us}
17^{us}	erat	1^{us}

Quo confirmantur ea, quæ antea obſervavimus, §^{o} 48 & 49.

2^{a}, Epactæ Solis in Rota deſcriptæ ſunt Maximi, & diei Martii 31^{a} affixæ: ut ex calculo ad Feriam inveniendam, infra C. 5., patet. An autem etiam fuerint illorum, hinc non patet, neque probabile eſt.

3^{a}, Maximus illos non culpat neque iis objicit, quod Paſcha alio, quam ipſe & Eccleſia, die celebrarent.

Sed quod Regulam illam Paſchalem quæ vetat Paſchæ Dominicam ultra Lunam XXI^{am} extendere, violarent, dum illam XXI^{am} Lunam tranſcenderent, quoties Luna XIV^{a} Nicæna, ab ipſis XV^{a} vel XVI^{a} computata, in diem Dominicam incideret.

Ex quo patet illos non celebraſſe Paſcha in illa Dominica, in qua illi ex

ex ſuo calculo habebant Lunam XV^am^ & XVI^am^; Eccleſia autem XIV^am^, ſed illos, una cum Eccleſia, Paſcha diſtuliſſe in ſequentem Dominicam.

Culpat quidem illos, quod nonnunquam in die Dominica jam Lunam XV^am^ haberent, quando Eccleſia ſequenti die Lunæ demum habitura erat Lunam XIV^am^ Paſchalem, & quod hoc modo Lunam feſtivitati Paſchali habilem & congruam haberent (nempe Lunam XV^am^ in die Dominicâ) ante terminum Paſchalem, ſeu veram Lunam XIV^am^ primi ſecundum Hebræos menſis: & dicit quidem, quod, ſi conſequenter juxta calculum ſuum agere vellent, in illa Dominica, Lunam eorum XV^am^ habente, Paſcha celebrare deberent, ſed ita hoc dicit, ut ſatis innuat, illos hoc tamen non facere, ſed Paſcha differre cum Eccleſia in ſequentem Dominicam, & Lunam ipſis XXI^am^. Et in eo, hoc in illis culpat, quod eorum calculus & eorum Canon Paſchalis, in quo ex eorum calculo talis ætas Lunæ in tali die annotatus erat, prodebat Dominicam habentem Lunam XV^am^, adeoque (per Regulas Paſchales) Feſtivitati Paſchali aptam & congruam, ante veram Lunam XIV^am^: & dicit illos ex eo convinci, quod circa ætatem Lunæ a vero calculo aberrent: quoniam hoc culpandum eſſet, ſi quis ita ætatem Lunæ computaret, ut ipſius XV^a^ in quâ Paſcha celebrare licet, coincideret cum vera XIV^a^, in die Dominicâ; adeoque adhuc multo magis in illis hoc culpandum erat, quod ætatem Lunæ ita computarent, ut haberent jam XV^am^ in die Dominicâ, quum demum ſequenti die Lunæ vera XIV^a^ oritura erat, & ſic eorum XV^a^ in die Dominica cadens anteverteret veram XIV^am^ Paſchalem.

L I I I.

Ad Partis 2^æ^ Cap. 3^um^.

Hoc Caput continet *deſcriptionem Tabulæ ad ſiniſtram.*

1^us^ *Verſus habet VII Embolimos menſes ad ſuos Lunæ annos ordinatos* ΕΝ ΤΟΙΣ ΠΡΟΣΗΚΟΥΣΙ ΤΗΣ ΣΕΛΗΝΗΣ ΕΤΕΣΙ ΚΑΤΑΤΕΤΑΓΜΕΝΟΥΣ, ad illos enim Cycli annos adnotari ſoliti erant, inde a prima ἐννεακαιδεκαετηρίδος inſtitutione. *Quod notandum.*

2^us^ *Verſus habet Lunæ annos, juxta ordinem in Cyclo Maximi, a 4^o^ incipientes.*

3^us^ *Verſus*

3[us] *Versus habet Lunæ annos, juxta ordinem in Cyclo* πενταπλοῦντων καὶ ἑξαπλοῦντων, *a* 1° *incipientes.*

4[us] *Versus exhibet illorum Epactas Lunares annuas, sive ætates Lunæ in Kalendis Januariis.*

5[us] *Versus ostendit quotam Lunam illi computent in termino Paschali, sive prodit quibus in annis illi Lunam XIV*[am] *computent XV*[am], *XVI*[am], *vel XIV*[am].

L I V.

Ad Partis 2[æ] *Cap.* 4[um].

Hoc Caput explicat *Tabulam ad dextram: quæ habet versus quinque:* quorum

1[us] *Versus habet annos Cycli Lunæ, juxta ordinem Maximi, a* 4° *incipientes, plane ut in sinistra Tabulâ.*

2[us] *Versus habet Epactas Lunares annuas Maximi, quæ exprimunt ætatem Lunæ in die Martii* 31.

3[us] *Versus habet menses Romanos Martium & Aprilem, in quos Luna XIV*[a] *cadit.*

4[us] *Versus habet* ποστιαίαν *illorum mensium, & indicat quoto Martii vel Aprilis die Luna XIV*[a] *incidit.*

5[us] *Versus habet* προσθετὰς, *sive Regulares, seu menstruas Solis Epactas, tam Aprilis, quæ nullæ sunt, quam Martii, quæ IV sunt. Quæ sunt* προσθεταὶ *Maximi, non illorum.*

L V.

Schema Cycli Lunaris ex præced. Tabulis compositum.

(*Confer infra §um 70.)

Cycli Lunæ Maximi annus	Cycli Lunæ illorum annus	illorum Neomeniæ	illorum Epactæ	illorum ætas Lun. in XIVa.	Luna XIVa Maximi.	Epactæ Maximi.
4.	1.	Dec. 21.	XII	XIV	April. 2.	XII
5.	2.	—— 10.	XXIII	XIV	Mart. 22.	XXIII
Emb. 6.	3.	—— 29.	IV	XIV	April. 10.	IV
7.	4.	—— 18.	XV	XIV	Mart. 30.	XV
Emb. 8.	5.	—— 7.	XXVI	XV	April. 18.	XXVI
9.	6.	—— 26.	VII	XV	April. 7.	VII
10.	7.	—— 15.	XVIII	XV	Mart. 27.	XVIII
Emb. 11.	8.	—— 4.	XXIX	XV	April. 15.	XXIX
12.	9.	—— 23.	X	XV	April. 4.	X
13.	10.	—— 12.	XXI	XV	Mart. 24.	XXI
Emb. 14.	11.	—— 31.	II	XV	April. 12.	II
15.	12.	—— 19.	XIV	XV	April. 1.	XIII
16.	13.	—— 8.	XXV	XV	Mart. 21.	XXIV
Emb. 17.	14.	—— 27.	VI	XV	April. 9.	V
18.	15.	—— 16.	XVII	XV	Mart. 29.	XVI
Emb. 19.	16.	—— 5.	XXVIII	XVI	April. 17.	XXVII
1.	17.	—— 24.	IX	XV	April. 5.	IX
2.	18.	—— 13.	XX	XIV	Mart. 25.	XX
Emb. 3.	19.	Jan. 1.	I	XV	April. 13.	I
			est Ætas Lunæ in Kal. Jan.	ex calculo eorum Sexagesimali.		est ætas Lunæ in die Mart. 31.

Observatio. Hic illorum Cyclus XIX annorum, convenit in ordine annorum cum Cyclo Lunari Dionysii, cujus annus 1us quoque concurrit cum anno Cycli decemnovalis 4°. Quod notandum.

L V I.

Ad Partis 2^{a} Cap. 5^{um}.

Hoc Capite *demonstratur exemplo, quis sit usus hujus* Κανόνος: *seu quomodo quis, iis, quæ in hoc Laterculo, in Rota nempe & duabus Tabulis, descripta sunt, uti debeat.*

Demonstratio fit circa annum Cycli Lunæ, juxta illos, 16^{um}, *juxta Maximum vero* 19^{um}. *In quo Luna* XIV^{a} *Paschalis cadit in diem Apr.* 17.

Peragitur autem a Maximo hoc modo:

Colligit omnes dies a Januarii 1^{o} usque ad diem April. 17^{um}, qui sunt	107
Deinde annos Cycli 16 πενταπλωθέντας, adjicit, qui faciunt . .	80
Præterea addit dies ex Sexagesimis (eo modo, ut docuerat Parte 1^{a} Cap. 16.) collectos: qui hic sunt	3
Denique annos Cycli 16 ἑξαπλωθέντας addit: qui faciunt . .	96
summa dierum	286
hanc summam dividit per 30	
Reliquum	16

Atque sic invenit XVI^{am} illis esse, quæ ipsi erat XIV^{a} primi mensis secundum Hebræos.

NB. Hic habes satis clare & distincte proposita, quæ Maximus, quum Partis 1^{a} Caput 16^{um} conscriberet, in animo habebat, & ut nota supponebat: quæque, cum illud Caput considerabam, mihi nondum animadversa erant: unde eorum methodum, ex Petavio haustam, ibidem proposui.

Sed jam, cum ea, quæ Maximus hic dicit, cum iis, quæ ibi dixerat, confero, video totam eorum in calculo methodum ab ipso Maximo satis clare verbis explicatam esse, de quâ Petavius dicit: *se aspirante Deo, & S. Maximi martyris precibus adjutum, tricas istas omnes pervicisse, ac totam illam methodum explorasse*; loco citato in Auctario ad Opus de Doctrina Temp. L. 8. C. 14. in initio.

Nam,

Nam, quod attinet alteram partem hujus methodi, qua ex Sexagesimis hi tres dies colliguntur, illam satis clare proposuit C. 16° Part. 1ª.

Nempe

Sumendæ erant tot Sexagesimæ, quot dies numerantur a die Jan. 1° usque ad Mart. 31um, hoc est	90	
Hæ 90 Sexagesimæ diei partes dividendæ erant per 60, & sic ad dies reducendæ, & illæ Sexagesimæ, quæ ex hac summa post divisionem reliquæ manebant, erant reservandæ. Fiat itaque hic divisio per	60	Quotiens
habebis diem completum		1
& Sexagesimas reliquas	30	
His 30 Sexagesimis, ex præcedenti divisione reliquis, adjiciendæ pro singulis annis Cycli usque ad propositum annum inclusive, V Sexagesimæ: adeoque hic, quia propositus annus est Cycli 16us, decies sexies quinque Sexagesimæ erunt adjiciendæ: quæ sunt . .	80	
Quia autem Luna XIV Paschalis extenditur ultra diem Mart. 31, usque ad diem April. 17um, hinc etiam necesse est, tot Sexagesimas porro adjicere, quot dies Luna XIVª habet in Aprili: hoc est	17	
summa erit	127	
Quæ summa per 60 divisa, quo Sexagesimæ ad dies reducuntur, dabit completos dies 2. Qui additi diei uni, supra invento, dant dies 3, hic requisitos. nam fiat divisio per	60	Quotiens
		2
	summa dies	3

Reliqua, quæ in hoc Capite occurrunt, tantum inserviunt 1° *ad inveniendam Feriam, in quam hæc Luna XIVª ipsis XVIª, seu potius dies ille Apr. 17us incidit: 2° ad inveniendum quando illa incidit in Feriam IIam aut Feriam Iam.*

Quæ nunc non curo. Nota tantum hunc Computum ad indagationem Feriæ, esse ipsius Maximi computum ex Κανονίῳ, quem P. 1ª descripsit.

Sed ad Partem 3ᵃᵐ transeo.

L V I I.

Partis 3ª contenta.

1°, *Primarius scopus hujus Partis est describere & exponere Rotam, quæ inservit ad inveniendam Feriam in cujuslibet mensis quolibet die:* quod tractat Cap. 1—7.

2°, *Exponit varios modos, quibus ætas Lunæ in quolibet anni die inveniri possit:* Cap. 8. Et occasione eorum, quorum in illis modis mentio facta erat, agit quoque *de annis Diocletiani, quomodo computentur & ætas Lunæ in illis inveniatur*, C. 9. *Et de diversis Epactis Lunæ, & qua ratione iis utendum*, C. 10. *Et de 1° apud Ægyptios mense, ejusque initio in anno Romano*, C. 11.

3°, *Subjicit brevem temporum computationem.*

L V I I I.

Ad Partis 3ª Cap. 1ᵘᵐ.

In hoc Capite *exponit hujus Partis scopum primarium:* §° præcedente memoratum.

Connectit in initio hujus Capitis hanc Partem ita cum præcedentibus, ut inde clare pateat, hanc 3ᵃᵐ Partem ejusdem Maximi opus esse. *Quod notandum.*

Quæ in Parte 1ª de inventione Feriæ in quolibet anni die scripserat, non adeo clara sunt: unde operæ pretium duxit compendiosiorem & faciliorem methodum, ope peculiaris Rotæ, proponere.

L I X.

Ad Partis 3ª Cap. 2—7.

In his Capitibus *explicat Rotam, & Tabellam quadratam Rotæ inscriptam, quarum ope Feriam in cujuslibet mensis quolibet die invenire docet. Idque duplici modo, ordine directo scilicet, & ordine retrogrado.*

In

In summa rei hic nihil novi habet, præter ea, quæ jam vidimus §° 29 & 31, ad C. 24 & 26, Partis 1æ. Quæ hic omnino conferenda.

Quod attinet ORDINEM DIRECTUM,

Ut ejus methodus & artificium in constructione quadratæ Tabulæ detegatur, observa sequentia.

1°, Ordo directus est, quando menses civilis anni numerantur ab Aprili hujus anni præsentis, usque ad Martium anni sequentis; nam anni Cycli Solis incipiunt ab Aprili præsentis anni civilis & desinunt in Martio sequentis anni.

2°, Προσθέται, sive Regulares, sive Epactæ Solares menstruæ hic considerantur in earum naturali progressu, initium sumendo ab Aprili. Vide §um 29 & 31.

3°, Si ita considerentur, inveniuntur easdem numero προσθέτας habere mensis Aprilis & sequens Julius; Majus & sequens Januarius; Junius, & sequentes Februarius, & Martius; Septemb. & Decemb.

Et in anno Bissextili invenitur Martius habere προσθέτας unitate majores, quam in anno Communi: adeoque in anno Bissextili Martius easdem numero προσθέτας habet, cum Septembri & Decembri.

4°, Ad Feriam ordinario modo inveniendam requiritur duplex additio, 1° enim Epactis anni Cycli Solis propositi addendæ sunt προσθέται illius mensis, de cujus die quæritur in quam Feriam illa incidat. 2° Huic summæ deinde addendi tot dies, quot in illo mense elapsi sunt usque ad diem illum (inclusive) de quo quæritur in quam Feriam incidat.

5°, Epactæ Solis annuæ, quia spatio hebdomadico includuntur, variant tantum septemplici modo, per omnes XXVIII Cycli Solis annos: sunt enim vel I. vel II. vel III. vel IV. vel V. vel VI. vel VII.

6°, Primam illam additionem Epactarum & προσθετῶν per omnes menses, juxta illam septemplicem Epactarum peregit: & summam ex hac additione provenientem, demptis Septenariis, in Tabula illa quadrata congessit: & quidem hoc ordine, ut

Prima linea contineat summam ex additione Epactarum & προσθετῶν Aprilis & Julii provenientem: & quia προσθέται Aprilis & Julii nullæ sunt, eadem prima linea exhibeat Epactas nudas in septemplici earum variatione, atque sic fiat Regula pro reliquis lineis illi lineæ, & pro singulis summis, singulis Epactis illius primæ lineæ directe subjectis.

Secunda linea vero contineat summas ex additione Epactarum & προσθετῶν Maji & Januarii provenientes, demptis Septenariis: ita dispositas, ut numerus, qui in prima linea occurrit, & cui hæc summa in linea

descendente subjicitur, semper exprimat numerum Epactalem in hac additione adhibitum.

Et sic porro.

Exempli gratia.

Epactæ, pro septemplici variatione sunt	1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.
adde προσθέτας Maji & Jan., quæ semper sunt	2. 2. 2. 2. 2. 2. 2.
summæ, demptis Septenariis, erunt	3. 4. 5. 6. 7. 1. 2.

iterum

Epactæ, pro septemplici variatione sunt	1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.
adde προσθέτας Junii, Febr., Mart., quæ sunt	5. 5. 5. 5. 5. 5. 5.
summæ, demptis Septenariis, erunt	6. 7. 1. 2. 3. 4. 5.

& sic porro.

7°, Quia jam prima illa additio hoc modo peracta est: nihil restat ad Feriam inveniendam, quam ut huic summæ, quæ in Tabula invenitur, addatur προσιαία mensis, de qua quæritur in quam Feriam incidat; & ut, more solito, id, quod ex hac secunda additione provenit, per VII dividatur.

Exempli gratia.

Quæratur in quam Feriam incidat dies Maji & sequentis Januarii 6us, anno Cycli Solis XXVIII°, qui habet Epactas VI.

Quære in linea 1a numerum 6um, seu ipsum numerum Epactarum, quæ sunt VI, & sume in linea 3a numerum 1 qui numero 6° subjacet; eique adde dies in Majo & Januario usque ad diem quæsitum, summa erit VII, adeoque dies Maji & Januarii 6us cadet, anno Cycli Solis XXVIII°, in Feriam VIIam.

Alterum Exemplum.

Quæratur in quam Feriam incidat Junii, & sequentis Februarii & Martii dies 10us, in anno Cycli Solis 1°, qui habet Epactas VII.

Quære in linea 1a numerum 7um, seu ipsum numerum Epactarum, quæ sunt VII. Sume in linea 3a, numerum 5, qui numero 7° subjacet. Et huic numero 5° adjice dies in Junio, Februario, & Martio usque ad quæsitum, qui sunt 10. Summa erit 15. Hæc summa, per Septe-

Septenarium partita, relinquit 1. Adeoque Junii & sequentis Februarii ac Martii dies 10us, in anno Cycli Solis 1°, incidit in Feriam Iam.

Tertium Exemplum.

Quæratur in quam Feriam incidat dies Martii 10us in anno Cycli Solis 27°, qui habet Epactas IV, & Bissextilis est, habens in sui fine diem Bissextilem in Februario, qui Martium præcedit.

Quære in linea 1a, numerum 4um, seu ipsum numerum Epactarum, quæ sunt IV. Sume, non in linea 3a numerum 2, sed (quia hic annus Cycli 27us Bissextilis est) in linea 5a numerum 3, qui numero 4° subjacet. Et huic numero 3° adjice dies in Martio usque ad quæsitum, qui sunt 10. Summa erit 13. Hæc summa, per Septenarium partita, relinquit 6. Adeoque Martii dies 10us, in anno Cycli Solis 27°, qui Bissextilis est, incidit in Feriam VIam.

Quod attinet ORDINEM RETROGRADUM;

1°, *Ordo retrogradus est*, ut in initio Capitis 6ti dicit, *cum retro subducto calculo per Martium & Februarium, & Januarium, & antecedentes menses ex Epactis præsentis anni, seu XXVIIIvi Feriam explorare volumus, neque ad id præteriti anni XXVIImi Epactas assumimus.*

Nota præsentem annum 28um & præteritum annum 27um hic tantum exempli gratia nominari. *Præsens annus* hic semper est ille Cycli Solis annus, cujus Epactæ in computo retrogrado adhibentur. *Præteritus annus* hic semper est ille Cycli Solis annus, qui alterum proxime præcedit, & ad quem illi menses revera pertinent, de quorum quotis quæritur in quam Feriam incidant.

2°, Maximus in Tabula quadrata duos στίχους, seu versus, vel lineas a summo deorsum recta linea descendentes, rubro colore pinxerat, ut Capite 7° indicat. Quod Petavius in sua editione non observavit. Prima harum linearum a summo deorsum recte descendens, rubro colore picta, incipit ab E & per subjacentes Z. Γ. A. Δ. ϛ. B. deorsum descendit. Altera incipit a ϛ, & per subjacentes A. Δ. B. E. Z. Γ. deorsum descendit. Prima ab E incipiente, in annis Bissextilibus, altera vero a ϛ incipiente, in annis Communibus utendum esse dicit. Nota in Cyclo Solis Maximi annos revera Bissextiles esse 3um, 7um, 11um, 15um, 19um, 23um, 27um. Unde etiam in fine Capitis 6ti Partis 3æ, expresse dicit, *annum Cycli Solis 27um habere Bissextum.*

3°, Computus autem hoc modo peragitur: ad quotam mensis dati, adji-

adjiciuntur præſentis anni Epactæ, una cum *Rubricatis*, *menſi dato adjacentibus:* & ſumma per ſeptem partitur, & Reliquum indicat Feriam, in Quota menſis dati quæſitam.

Exemplum primum.

Quæratur, in quam Feriam incidat menſis Aprilis & Julii dies 1^us^, præteriti anni Solis 27^mi^, qui *Biſſextilis* eſt, & Epactas IV habet, per præſentis anni Solis 28^vi^ Epactas VI.

Aprilis & Julii dies . . . 1^us^
anni Cycli Solis 27^mi^.
Epactæ anni Solis 28^vi^ . . 6 } 11, ſeu 4
Rubricati adjacentes . . 5 }
Aprili & Julio.

12
divide per 7 /
5^a^ Feria.

Exemplum ſecundum.

Quæratur, in quam Feriam incidat menſis Maji & Januarii dies 1^us^ præteriti anni Cycli Solis 27^mi^, qui *Biſſextilis* eſt, & Epactas IV habet, per anni Cycli Solis 28^vi^ Epactas VI.

Maji & Januarii dies . . . 1^us^
anni Cycli Solis 27^mi^
Epactæ anni Solis 28^vi^ . . 6 } 13, ſeu 6
Rubricati adjacentes . . 7 }
Majo & Januario.

14
divide per 7 /
7^a^ Feria.

Exemplum tertium.

Quæratur, in quam Feriam incidat menſis Martii dies 1^us^ præteriti anni 27^mi^, qui *Biſſextilis* eſt, & Epactas IV habet, per anni Cycli Solis 28^vi^ Epactas VI.

Martii

Martii dies . . . 1us
anni Cycli Solis 27mi
Epactæ anni Cycli Solis 28vi . . 6 } 10, seu 3
Rubricati adjacentes . . 4
(Sept., Dec.,) Martio.

11
divide per 7
4a Feria.

Exemplum quartum.

Quæratur, in quam Feriam incidat mensis Aprilis & Julii dies 1us præteriti anni Cycli Solis 28vi, qui *Communis* est, & Epactas VI habet, per præsentis anni Cycli Solis 1mi Epactas VII.

Aprilis & Julii dies . . 1us
anni Cycli Solis 28vi
Epactæ anni Solis 1mi . . 7 } 13, seu 6
Rubricati adjacentes . . 6
Aprili & Julio.

14
divide per 7
7a Feria.

Exemplum quintum.

Quæratur, in quam Feriam incidat mensis Maji & Januarii dies 1us præteriti anni Cycli Solis 28vi, qui *Communis* est, & Epactas VI habet, per præsentis anni Cycli Solis 1mi Epactas VII.

Maji & Januarii dies . . . 1us
anni Cycli Solis 28vi
Epactæ anni Solis 1mi . . . 7 } 8, seu 1
Rubricati adjacentes . . . 1
Majo & Januario.

9
divide per 7
2a Feria.

Exemplum ſextum.

Quæratur in quam Feriam incidat Junii, Februarii, Martii dies 1^us^ præteriti anni Cycli Solis 28^vi^, qui *Communis* eſt, & Epactas VI habet, per præſentis anni Cycli Solis 1^mi^ Epactas VII.

Junii, Febr., Martii dies . .	1^us^	
anni Cycli Solis 28^vi^		
Epactæ anni Solis 1^mi^ . .	7	} 11, ſeu 4
Rubricati adjacentes	4	
Junio, Febr., Martio.	—	
	12	
divide per 7		
	5^a^ Feria.	

Exemplum ſeptimum.

Quæratur in quam Feriam incidat menſis Auguſti dies 1^us^, præteriti anni Cycli Solis 28^vi^, qui *Communis* eſt, & Epactas VI habet, per præſentis anni Cycli Solis 1^mi^ Epactas VII.

Auguſti dies . . .	1^us^	
anni Cycli Solis 28^vi^		
Epactæ anni Solis 1^mi^	7	} 9, ſeu 2
Rubricati adjacentes . . .	2	
Auguſto.	—	
	10	
divide per 7		
	3^a^ Feria.	

Exemplum octavum.

Quæratur in quam Feriam incidat Aprilis & Julii dies 1^us^, præteriti anni Cycli Solis 1^mi^, qui *Communis* eſt, & Epactas VII habet, per præſentis anni Cycli Solis 2^di^ Epactam I.

Aprilis & Julii dies . .	1^us^	
anni Cycli Solis 1^mi^		
Epactæ anni Solis 2^di^	1	} 7
Rubricati adjacentes . . .	6	
Aprili & Julio.	—	
	8	
divide per 7		
	1^a^ Feria.	

4°, Hu-

4°, Hujus Computi retrogradi artificium in eo consistit, quod illa summa quæ ex Epactis anni in Cyclo Solis præsentis & ex Rubricatis, mensi dato adjacentibus, colligitur, demptis septenariis, semper æqualis sit illi numero, in Tabula expresso, qui ex Epactis & προσθέταις, demptis Septenariis, ortus est, & in Computo directo adhibetur.

Exempli gratia,

Quæratur, *ordine directo*, in quam feriam incidat mensis Junii, Februarii, & Martii quota, anni Cycli Solis 1^mi^, qui Communis est, & habet Epactas VII. Ad hanc inveniendam adhibetur numerus in Tabula expressus, qui numero Epactarum, quæ sunt VII, in linea 3ª subjacet, & mensibus Junio, Februario, Martio adjacet, numerus scilicet 5.

Quæratur iterum *ordine retrogrado*, in quam Feriam incidat mensis Junii, Februarii, Martii quota, anni Cycli Solis 1^mi^, qui Communis est & Epactas VII habet, per anni Cycli Solis 2^di^ Epactam I. Ad hanc inveniendam adhibetur summa, quæ ex Epacta I anni Cycli Solis 2^di^, & ex Rubricatis 4, mensibus Junio, Februario, Martio adjacentibus, quæ est 5. ut supra. Hic Septenarium demere, necesse non est, quia hæc summa ultra Septenarium non assurgit.

L X.

Ad Partis 3ª Cap. 8um.

In hoc Capite *proponit octo diversos modos, ad inveniendam Lunæ ætatem in quolibet anni die.*

De his octo modis agam infra distinctius, §° 72—79.

L X I.

Quæritur, an hoc Caput, ut & tria sequentia, sint ipsius Maximi, an vero ab alia manu huic parti assuta.

Ratio dubitandi est, quia hoc Caput ex abrupto, absque ulla præfatione, aut connexione præcedentibus subjungitur; & quia hujus Partis Cap. 1°, ubi scopum hujus partis, & quid in eâ esset tractaturus exponit, non monet se etiam hac de re acturum.

Sed hæc non ſunt tanti, ut propterea hoc Caput, cum tribus ſequentibus, Maximo abjudicentur.

Inventio Feriæ & inventio ætatis Lunæ in quolibet anni die, ſunt in methodo Paſchali connexa, ita ut unum alteri commode ſubjungatur.

In fine Capitis præcedentis 7mi expreſſe concluſerat materiam de inventione Feriæ: & ſic non opus erat aliqua præfatione, præterquam ipſa Capitis inſcriptione, monere tranſitum fieri ad aliam materiam cum priori connexam.

Scopus primarius erat in hac 3a Parte compendioſiòrem & faciliorem methodum tradere ad inveniendam Feriam ope artificioſæ Rotæ & Tabulæ a ſe inventæ, unde hanc rem aggreſſurus, de eo in initio monet & præfatur, & rem ipſam diſtincte & ex profeſſo exſequitur: ſed hæc de inventione ætatis Lunæ tantum, quaſi Corollarium, adjicit, & hanc rem tantum leviter tangit, additis tantum, breviter etiam, quibusdam, in tribus ſequentibus Capitibus, obſervationibus, ſine quibus ea, quæ in hoc Capite de inventione ætatis Lunæ dixerat, intelligi non poterant: unde neceſſe non erat hac de re in initio hujus Partis monere.

Sunt e contra rationes, quæ ſuadent hoc Caput, cum tribus ſequentibus eſſe ipſius Maximi.

Egerat quidem Parte 1a C. 27, de inventione Lunæ in quolibet anni die, ſed admodum breviter: & præterea modus ille unicus, quem propoſuerat ibi, quemque hic ultimo loco repetit, habebat hoc incommodum, quod diviſio facienda erat per XXIX½, quod unicuique non æque facile erat. Hinc, poſtquam inventionem Feriæ (de qua etiam in priori Parte egerat) faciliorem reddiderat novo invento, ejusque explicatione, in hoc Cap. 8o varios modos inveniendæ ætatis Lunæ indicat, ut quivis inde ſibi facillimam eligere poſſit: & in tribus ſequentibus Capitibus ea addit, quæ ad intellectum & uſum horum modorum abſolute neceſſaria erant.

Præterea Cap. ſequenti 9o Maximus ſe ipſum ſcribentem clare indicat, dum hac conſueta formula loquendi, & deſignatione temporis utitur. *Anni a Diocletiano ad præſentem Indictionem XIVam anni XXXIi Religioſiſſimi noſtri Imperatoris Heraclii, numerantur CCCLVII.* Confer P. 1æ C. 17 & 32.

LXII.

LXII.

Ad Partis 3æ Cap. 9um.

Hoc Caput agit (ut Inſcriptio habet) *de annis Diocletiani, quomodo computentur, & quomodo per illos ætas Lunæ inveniatur.*

Hoc pertinet ad intellectum Modi 2di, quem indicaverat Capite præcedente.

Anni (inquit) *a Diocletiano, uſque ad præſentem Indictionem XIVam, anni XXXImi Religioſiſſimi noſtri Imperatoris Heraclii, ſunt CCCLVII.*

Obſervatio.

	annus a Diocletiano	Indictio	annus Heraclii	annus a Mundo Cond.	annus ab Incar. Chriſti
	357us	XIVa	XXXIus	6133us	633us
ergo,	1us	IIIa		5777us	277us

adeoque

annus a Diocletiano	Indict.	annus Cycli	annus Mundi	annus Incarnationis	annus Æræ Vulgaris
1us	IIIa	Solis IX Lunæ I	5777us	277us	285us

Computantur autem (ſic pergit) *hoc modo*, (anni ſcilicet a Diocletiano.)

Annos (Cycli) *Indictionis* XV
multiplicamus per XXII
fiunt CCCXXX
His addimus Regulares XIII
& Indictionis præſentis annos XIV
fiunt CCCLVII *anni a Diocletiano uſque ad præſentem Ind. XIVam, anni Heraclii Imp. XXXImi.*

NB. Hic calculus hoc fundamento nititur.

Annus Diocletiani 1us habet Indictionem IIIam, adeoque duo anni ex illo Cyclo Indict. jam elapſi erant, & reſtabant adhuc anni tredecim: & hi ſunt illi Regulares XIII, qui ſemper addi debent.

Præter XIII illos annos residuos Cycli Indictionis tunc labentes, elapsi erant usque ad Heraclii annum XXXI^um^ Cycli Indictionis XXII completi, qui per XV multiplicandi, & multiplicati dant annos CCCXXX.

Supererant adhuc anni XIV Cycli Indictionis, quum Maximus hæc scriberet, labentis: qui etiam adjiciendi erant, ut ad annum Heraclii XXXI^mi^ perveniret calculus.

* Hinc etiam monet, in posterum quando ille Cyclus Indictionis, cujus annus XIV^us^ tunc labebatur, completus esset, non per XXII, sed per XXIII multiplicationem esse faciendam, quod per se patet.

Eos annos (a Diocletiano jam inventos) *dividimus* (inquit) *per XIX, & ex residuo cognoscimus præsentem annum Cycli Lunæ.*

Ergo anno a Diocletiano 1° est Cycli Lunæ annus 1^us^. Quod & ante vidimus, & notandum est.

Item anno a Diocletiano 153°, quo Cyclus XCV annorum Cyrilli cœpit, est Cycli Lunæ annus 1^us^.

Item anno a Diocletiano 248°, quo Cyclus XCV annorum Dionysii cœpit, est Cycli Lunæ annus 1^us^.

Observatio 1^a^, Hinc determinatur Æra Diocletiani variis characteribus, nempe per Indictiones, Cyclos Solis & Lunæ, & annos Mundi juxta Maximum & annum Heraclii.

Observatio 2^da^, Hinc determinatur Æra Mundi, qua utitur Maximus per annos Diocletiani.

LXIII.

Ad Partis 3^æ^ Cap. 10^um^.

Hoc Capite agit *de diversis Epactis Lunæ, & quomodo iis utendum sit.*

Epactæ Lunæ dupliciter κανονίζονται: *nempe*

Usque ad 31^um^ diem Martii mensis: &

Usque ad 28^um^ diem Augusti mensis.

Si illas Epactas, quæ usque ad 28^um^ diem Augusti mensis κανονίζονται, *inquirimus:*

Annos Diocletiani, uno minus, sumimus.

Et sic (unitate minutos) *per XIX dividimus.*

Et Reliquum, (quod ex hac divisione remanet) *per XI multiplicamus.*

Ac multiplicatos illos per XXX dividimus.

Atque ex reliquo cognoscimus Epactas istius anni.

Si vero illas Epactas, quæ usque ad 31um diem Martii mensis κανονίζονται, *scrutamur.*

Præsentem Cycli annum (qui dividendo annos Mundi per XIX invenitur) *multiplicamus per XI.*

Ab hac summa auferimus duos dies, (quia, juxta Maximum, annus Cycli Lunæ 1us habet Epactas tantum IX, non XI, & tamen per præcedentem multiplicationem illi quoque anno, XI datæ erant.)

Reliquum dividimus deinde per XXX.

Et quod ex hac divisione remanet, indicat Epactas Lunæ istius anni.

Cum itaque (inquit) *duplex Epactarum methodus sit, oportet eas* (pro diversa illa methodo) *observare in supra* (Cap. scilicet 8o præcedente) *indicatis calculis* (seu diversis modis) *ad inveniendam ætatem Lunæ,* (seu quota Luna sit, in quolibet anni civilis die.)

Et quidem ubi Martii κατειλάξαμεν 31um *diem,* (ut locum proprium Epactarum,) *eas* (Epactas,) *quæ usque ad eum diem* (κανονίζονται) μεταχειρίζεσθαι, hoc est, *assumere & in calculo adhibere,* (oportet.)

Ubi vero (Augusti) 28um *diem* (ut locum Epactarum proprium, κατειλάξασαν alii,) *eas* (Epactas) *quæ usque ad eum diem* (κανονίζονται, *oportet* μεταχειρίζεσθαι.)

Observatio

1a, Duplex tunc temporis methodus Epactarum in usu erat: quarum

Una Epactas alligabat ad diem Augusti 28um, qui erat ultimus dies anni Ægyptiaci: easque inquirebat ex annis a Diocletiano: (*Methodo in hoc Capite descripta. Sed addita (quod Maximus debuisset monere) semper *una Catholicâ.*) &, ad inveniendam ætatem Lunæ in quolibet anni die, utebatur Modo 1o & 2o, Capite præcedente 8o descripto, in quibus menses Ægyptiaci & Æra Diocletianæa adhibebantur.

Altera, quæ erat ipsius Maximi, Epactas alligabat ad diem Martii 31um: easque inquirebat ex annis ab Adam, methodo in hoc Capite descripta: &, ad inveniendam ætatem Lunæ in quolibet anni die, utebatur aliis Modis, eodem Capite 8o descriptis.

2a, Juxta primam methodum, quæ Epactas alligat ad diem Augusti 28, dat annus a Diocletiano 1us, 153us & 248us Epactas 0, + 1a Catholica pro anno Cycli Lunæ 1o. Et annus a Diocletiano 2us, 154us, & 249us dat Epactas XI, + 1a Catholica, adeoque XII pro anno Cycli 2o. &c.

3a, Vi-

3ª, Videntur hac prima methodo usi fuisse Alexandrini & Ægyptii, quod & ex die, ad quem Epactas alligabant, qui erat ultimus anni Ægyptiaci dies, & ex Æra Diocletianæa ipsis propria, & ex usu mensium Ægyptiorum ad inveniendam ætatem Lunæ, videtur concludi recte posse.

4ª, Si Maximus putavit illas Epactas, quarum inventionem per annos Diocletiani descripsit, affixas esse ultimo diei anni Ægyptiaci, seu diei Aug. 28°., vel quintæ Epagom., erravit; & oblitus est his Epactis simplicibus (quarum locus proprius est, dies Aug. 27, seu quarta Epagom.) semper adjici *Catholicam unam* (cujus tamen ipse mentionem fecerat præcedenti C. 8°) quia in primo Cycli Lunæ anno Alexandrini in mensis sui Thoth die 1° (Aug. 29°) habebant Lunam 2dam. & error inde ortus videtur, quod ipsius Epactæ, compositæ ex simplicibus & IX Catholicis, affixæ erant ultimo diei anni ipsius Solaris Technici, ab Apr. die 1° ineuntis. Si enim Epactas Alexandrinorum eodem modo consideres, non ut simplices, quales erant, sed ut compositas, quales Maximi erant, & Epactas eorum simplices cum una Catholica in unam summam componas, tum verum erit illas Epactas Alexandrinorum sic compositas, affixas esse diei ultimo anni Ægyptiaci non intercalaris, seu diei Aug. 28°., seu quintæ Epagom. Exempli gratia,

anno Cycli		Simpl.		Cathol.	Compositæ
1°	Epactæ	o	+	1 . . .	I
2°	. .	XI	+	1 . .	XII
3°	. . .	XXII	+	1 . . .	XXIII

& sic porro.

LXIV.

Ad Partis 3æ Cap. 11um & ultimum.

In quo agit *de primo anni civilis mense secundum Ægyptios, ποῖος sit secundum Romanos & unde incipiat.*

Hoc pertinet ad intelligendum Modum 1um & 2um, quem indicaverat Capite præcedente 8°.

Notandum autem est (inquit) *quod Ægyptiorum Thoth sit Romanorum September, proprium semper faciens initium seu Neomeniam in 29° die Augusti mensis.* In annis scilicet Communibus, nam post annum intercalar. qui habet sextam Epagom. Aug. die 30° initium facit.

Per

Per Neomeniam mensis Thoth hic nihil aliud videtur intelligere, quam illius mensis Solaris civilis ἀρχὴν, seu primum diem, qui etiam primus anni Ægyptii civilis dies erat.

L X V.

De Computo πεντεκαιδεκαπλῶν & ἑξαπλῶν, Observationes novæ.

1ª, De illorum Computo agit Maximus.
P. 1ª, C. 11°. Confer supra §° 17, 48.
P. 1ª, C. 12°. Confer supra §° 17, 49.
P. 1ª, C. 16°. Confer supra §° 21, 50, 56.
P. 2ª tota Confer supra §° 51—56.
2ª, Nunc autem constitui Computum eorum distinctius examinare.

L X V I.

Calculus πεντεκαιδεκαπλῶν & ἑξαπλῶν per omnes Cycli Lunæ annos ad inveniendum quotam Lunam computent in illo die, in quem cadit Luna XIVª Paschalis ab Ecclesia recepta.

anno Cycli decemn. / Lunar.

4°, 1°, Quæratur ætas Lunæ in die Apr. 2°,
a Jan. 1 — Apr. 2, dies . . . 92
annus Cycli 1us πεντ. . . . 5 } XI Epactæ.
annus Cycli 1us ἑξαπλωθεὶς . . 6 }
Sexagesimæ . . 92
annus 1us πεντ. . 5
97
divide per 60 / Quotiens 1
37
104
divide per 30 / Quotiens 3.
Reliquum XIVª Luna.

anno Cycli
5°, 2°, Quæratur ætas Lunæ in die Mart. 22°.
a Jan. 1 — Mart. 22, dies . . 81
annus Cycli 2us πενταπλ. . . . 10 } XXII Epactæ.
annus Cycli 2us ἐξαπλ. 12 }
Sexagesimæ . . 81
annus 2us πενταπλ. . 10
91
divide per 60 — Quotiens 1
31
104
divide per 30 — Quotiens 3
Reliquum XIVa Luna.

anno Cycli
* 6°, 3°, Quæratur ætas Lunæ in die Apr. 10°,
a Jan. 1 — Apr. 10, dies . . 100
annus 3us πενταπλ. 15 } 1 m̄ Emb. Epact. XXXIII seu XXX + III
annus 3us ἐξαπλ. 18 }
Sexagesimæ . . 100
annus 3us πενταπλ. . 15
115
divide per 60 — Quotiens 1
55
134
divide per 30 — Quotiens 4
Reliquum XIVa Luna.

anno Cycli
7°, 4°, Quæritur ætas Lunæ in die Mart. 30°,
a Jan. 1 — Mart. 30, dies . . 89
annus 4us πενταπλ. 20 } 1 m̄ Emb. Epact. XLV seu XXX + XIV
annus 4us ἐξαπλωθεὶς 24 }
Sexagesimæ . . 89
annus 4us πενταπλ. . 20
109
divide per 60 — Quotiens 1
49
134
divide per 30 — Quotiens 4
Reliquum XIVa Luna.

anno

anno Cycli
* 8°, 5°, Quæritur ætas Lunæ in die Apr. 18°,
a Jan. 1 — Apr. 18, dies . . . 108
annus 5^us^ πενταπλ. 25 } 1 m̄ Emb. Epact.
——— ἑξαπλ. 30 } LV ſive XXX + XXV
Sexageſimæ . . 108
annus 5 πενταπλ. . 25
133
divide per 60 / Quotiens 2
13 —
165
divide per 30 / Quotiens 5. *NB.*
Reliquum XV^a^ Luna.

anno Cycli
9°, 6°, Quæritur ætas Lunæ in die Apr. 7°,
a Jan. 1 — Apr. 7, dies . . . 97
annus 6^us^ πενταπλ. 30 } 2 m̄ Emb. Epact.
——— ἑξαπλ. 36 } LXVI ſive LX + VI
Sexageſimæ . . 97
annus 6 πενταπλ. . 30
127
divide per 60 / Quotiens 2
7 —
165
divide per 30 / Quotiens 5
Reliquum XV^a^ Luna.

anno Cycli
10°, 7°; Quæritur ætas Lunæ in die Mart. 27°,
a Jan. 1 — Mart. 27, dies . . 86
annus 7^us^ πενταπλ. 35 } 2 m̄ Emb. Epact.
——— ἑξαπλ. 42 } LXXVII ſive LX + XVII
Sexageſimæ . . 86
annus 7 πενταπλ. . 35
121
divide per 60 / Quotiens 2
1 —
165
divide per 30 / Quotiens 5
Reliquum XV^a^ Luna.

anno Cycli
* 11°, 8°, Quæritur ætas Lunæ in die Apr. 15°,
a Jan. 1. — Apr. 15, dies . 105
annus 8us πενταπλ. . . . 40 } 2 m̄ Emb. Epact. LXXXVIII sive LX + XXVIII
——— ἑξαπλ. 48 }
Sexagesimæ . 105
annus 8 πενταπλ. 40
145
divide per 60 / Quot. 2
25 ——
195
divide per 30 / Quotiens 6. *NB.*
Reliquum XVa Luna.

anno Cycli
12°, 9°, Quæritur ætas Lunæ in die Apr. 4°,
a Jan. 1 — Apr. 4, dies . 94
annus 9us πενταπλ. 45 } 3 m̄ Emb. Epact. XCIX sive XC + IX.
——— ἑξαπλ. 54 }
Sexagesimæ . 94
annus 9 πενταπλ. 45
139
divide per 60 / Quot. 2
19 ——
195
divide per 30 / Quotiens 6.
Reliquum XVa Luna.

anno Cycli
13°, 10°, Quæritur ætas Lunæ in die Mart. 24°,
a Jan. 1 — Mart. 24, dies . 83
annus 10us πενταπλ. . . . 50 } 3 m̄ Emb. Epact. CX sive XC + XX.
——— ἑξαπλ. . . . 60 }
Sexagesimæ . 83
annus 10 πενταπλ. 50
133
divide per 60 / Quot. 2
13 ——
195
divide per 30 / Quotiens 6.
Reliquum XVa Luna.

anno

anno Cycli
* 14°, 11°, Quæritur ætas Lunæ in die Apr. 12°,
a Jan. 1 — Apr. 12, dies . 102
annus 11^us^ πενταπλ. 55 } 4 m̄ Emb. Epact. CXXI five CXX + I
——— ἑξαπλ. 66 }

Sexagesimæ . 102
annus 11 πενταπλ. 55
157
divide per 60 / Quotiens 2
37 —— 225
divide per 30 / Quotiens 7.
Reliquum XV^a^ Luna.

anno Cycli
15°, 12°, Quæritur ætas Lunæ in die Apr. 1,
a Jan. 1 — Apr. 1, dies . . 91
annus 12^us^ πενταπλ. 60 } 4 m̄ Emb. Epact. CXXXII five CXX + XII
——— ἑξαπλ. 72 }

Sexagesimæ . . 91
annus 12 πενταπλ. 60
151
divide per 60 / Quotiens 2
31 —— 225
divide per 30 / Quotiens 7.
Reliquum XV^a^ Luna.

anno Cycli
16°, 13°, Quæritur ætas Lunæ in die Mart. 21°,
a Jan. 1 — Mart. 21, dies . 80
annus 13^us^ πενταπλ. 65 } 4 m̄ Emb. Epact. CXLIII five CXX + XXIII
——— ἑξαπλ. 78 }

Sexagesimæ . . 80
annus 13 πενταπλ. 65
145
divide per 60 / Quotiens 2
25 —— 225
divide per 30 / Quotiens 7.
Reliquum XV^a^ Luna.

anno Cycli
* 17°, 14°, Quæritur ætas Lunæ in die Apr. 9°,
a Jan. 1 — Apr. 9, dies . . . 99
annus 14us πεντάκτλ. 70 } CLIV { m Emb. Epact. five CL + IV
——— ἐξαπλ. 84 }
Sexagesimæ . 99
annus 14 πενταπλ. 70
169
divide per 60 / Quotiens 2
49 ——
255
divide per 30 / Quotiens 8.
Reliquum XVa Luna.

anno Cycli
18°, 15°, Quæritur ætas Lunæ in die Mart. 29°,
a Jan. 1 — Mart. 29, dies . . 88
annus 15us πενταπλ. 75 } CLXV { m Emb. Epact. five CL + XV
——— ἐξαπλ. 90 }
Sexagesimæ . 88
annus 15 πενταπλ. 75
163
divide per 60 / Quotiens 2
43 ——
255
divide per 30 / Quotiens 8.
Reliquum XVa Luna.

anno Cycli
* 19°, 16°, Quæritur ætas Lunæ in die Apr. 17°,
a Jan. 1 — Apr. 17, dies . . 107
annus 16us πενταπλ. 80 } CLXXVI { m Emb. Epact. five CL + XXVI
——— ἐξαπλ. 96 }
Sexagesimæ . 107
annus 16 πενταπλ. 80
187
divide per 60 / Quotiens 3
7 ——
286
divide per 30 / Quotiens 9. *NB.*
Reliquum XVIa Luna.

anno

anno Cycli
1°, 17°, Quæritur ætas Lunæ in die Apr. 5°,
a Jan. — Apr. 5, dies . . 95
annus 17 πενζαπλ. . . . 85 } CLXXXVII ſive CLXXX + *VII* (6 m̄ Emb. Epact.)
——— ἑξαπλ. 102
Sexageſimæ . 95
annus 17 πενζαπλ. 85
180
divide per 60 / Quot. 3
0 ——
285
divide per 30 / Quotiens 9.
Reliquum XV^a Luna.

anno Cycli
2°, 18°, Quæritur ætas Lunæ in die Mart. 25°,
a Jan. — Mart. 25, dies . . 84
annus 18^us πενλαπλ. . . 90 } CXCVIII ſive CLXXX + *XVIII* (6 m̄ Emb. Epact.)
——— ἑξαπλ. . . 108
Sexageſimæ . 84
annus 18 πενλαπλ. 90
174
divide per 60 / Quot. 2
54 ——
284
divide per 30 / Quotiens 9.
Reliquum XIV^a Luna.

anno Cycli
* 3°, 19°, Quæritur ætas Lunæ in die Apr. 13°,
a Jan. 1 — Apr. 13, dies . 103
annus 19^us πενλαπλ. . . 95 } CCIX ſive CLXXX + *XXIX* (6 Emb. m̄. Epact.)
——— ἑξαπλ. . . 114
Sexageſimæ . 103
annus 19 πενλαπλ. 95
198
divide per 60 / Quot. 3
18 ——
315
divide per 30 / Quotiens 10. *NB.*
Reliquum XV^a Luna.

Obſer-

Observationes.

1ª, Annos Cycli primo per V, & deinde per VI multiplicare, vel eosdem una vice per XI multiplicare eodem redit.

Illi autem prius elegerunt, non tantum facilioris calculi gratia, ſed etiam, & imprimis, quia anno Cycli πεντεκαιδεκάτῳ etiam ſeparatim opus habebant ad ſcopum ſuum.

2ª, Annos Cycli per XI multiplicare ordinaria methodus eſt, ad inveniendum Epactas Lunæ: ſed in ordinaria methodo, ab illo producto, ſtatim auferuntur omnes tricenarii; hoc autem illi non ſtatim, ſed deinceps revera faciebant in illa totius ſummæ collectæ diviſione per XXX. Vide quoque §° 67.

3ª, In ordinaria methodo, qua indagantur anni dati Epactæ ſimplices, annus datus, dempta unitate, multiplicatur per XI; ſed in hoc illorum calculo numerus anni dati integer multiplicatur per XI, quia primus in Cyclo illorum annus habet in Kal. Januariis Lunam XIIam, adeoque Catholicas præciſe XI; & propterea eorum Epactæ ſunt compoſitæ ex Epactis ſimplicibus (ordinaria methodo inventis) & Catholicis XI.

Exempli gratia,

anno Cycli		ſimplices		Cathol.	compoſitæ
1°	Epactæ	o	+	XI	XI
2°	——	XI	+	XI	XXII
3°	——	XXII	+	XI	III
4°	——	III	+	XI	XIV

& ſic porro.

4ª, In ordinaria methodo Epactæ illæ (quæ hic exprimunt ætatem Lunæ in die Dec. 31°) adjiciuntur ad dies (hoc in caſu) a Jan. 1° uſque ad diem datum collectos, & ab illa ſumma auferuntur omnes menſes Lunares completi, qui in annis Communibus alternando ſunt Pleni & Cavi. Illi autem in ſuo calculo ſummam totalem dividunt per XXX, ac ſi omnes menſes elapſi eſſent Pleni dierum XXX. Hinc videntur (ut Maximus dicit P. 1ª C. 12.) *Lunarem menſem facere in Computo ſuo dierum XXX.* Quod tamen revera non faciunt, ſed tantum facilioris

lioris Computi gratia: ſemper enim ante diviſionem unam diem (ex primis quaſi 60 ſexageſimis collectam) adjiciunt, ut diviſio per XXX abſque errore fieri poſſit. Notandum enim, quod illa ſumma dierum, quæ ex diebus a Kal. Jan. uſque ad diem illum, in quem Luna XIVª Nicæna cadit, collectis, & ex Epactis conflatur, ſemper ſit dierum 103, aut, ſi menſis Embolimus, dierum XXX, intercurrat, 133. illa autem ſumma dierum 103, conſtat ex tribus menſibus Lunaribus, quorum duo Pleni & unus Cavus faciunt dies 89 & ex 14 diebus prioribus menſis Paſchalis; deëſt itaque illis diebus 89 una dies, quam ſemper adjiciunt, ut facilioris calculi gratia, diviſio per XXX peragi poſſit. Confer §um 67.

5ª, De tribus ultimis in eorum Cyclo annis nondum loquor.

6ª, Hinc oritur ordinaria methodus, numerum anni in Cyclo dati, uno dempto, multiplica per XI, & producto adjice Catholicas XI, & a ſumma collecta aufer tricenarios, reliquum indicabit Epactas illius anni dati: vel per compendium calculi, numerum anni dati integrum, multiplica per XI, & a producto aufer tricenarios, & reliquum indicabit Epactas illius anni. Porro Epactis jam inventis adjice dies a Kal. Jan. uſque ad diem in quam Luna XIV Nicæna incurrit, collectos, & præterea diem unam, & ſummam divide per XXX; ſemper prodibit in reliquo Luna XIVª in illo die dato. Confer §um 67.

7ª, De altero die, vel duobus diebus, quam ex ſecundis, 60 Sexageſimis vel 120 Sexageſimis conflant, & adjiciunt, nondum loquor.

8ª, Maximus quidem dicit P. 1ª, C. 16. Vide ſupra §o 50 & 56. Illos a Jan. uſque ad finem Martii pro 90 diebus colligere 90 Sexageſimas diei partes, & quando dies datus excurrit in Aprilem tot quoque pro unoquoque die excurrente unam ſumendo, colligere Sexageſimas eaſque illis 90 adjicere: Sed non dicit quid faciendum, quando dies datus in Martio cadit infra diem Martii 31um; an ſcilicet etiam illo in caſu, pro unoquoque die infra Martii 31um, una Sexageſima ſit ſumenda, & tot Sexageſimæ ab illis 90 ſint abſtrahendæ, quot diebus dies datus infra diem Mart. 31um ſubſiſtit. Hoc etiam ex calculo non detegitur, niſi in ſolo anno Cycli 18o, ſi enim in calculo iſtius anni non facta fuiſſet tot Sexageſimarum ablatio ab illis 90 Sexageſimis, daret illorum calculus in illo Cycli anno 18o, non Lunam XIVam, quod Maximus tamen P. 1ª C. 16o expreſſe teſtatur, ſed Lunam XVam. Nam in illo calculo, poſt diviſionem per 60, relinquuntur Sexageſimæ 54, quibus ſi additæ fuiſſent 6 Sexageſimæ, quæ ab illis 90 in illo calculo ablatæ ſunt, pro-

diiſſent adhuc 60 Sexageſimæ, quæ faciunt diem unum. Unde patet, quando dies datus, in quem Luna XIV^{a} Nicæna cadit, infra Mart. 31 ſubſiſtit, eodem modo ablationem faciendam eſſe, quemadmodum additio fit, quando dies datus ultra Martii 31^{um} excurrit. Vide ſupra §^{um} 56.

Sumatur, exempli gratia, annus Cycli 18^{us}, in quo Luna XIV^{a} Nicæna cadit in diem Martii 25^{um}.

Sumendæ erunt tot Sexageſimæ, quot dies numerantur a Jan 1° — Mart. 31, hoc eſt . .	90
Hæ 90 Sexageſimæ dividendæ per 60, & ſic ad dies reducendæ, & quæ poſt diviſionem remanent Sexageſimæ reſervandæ ſunt.	
Fiat itaque diviſio per . . .	60 / Quotiens 1 dies
Sexageſimæ reliquæ . .	30
His 30 Sexageſimis reliquis adjiciendæ pro ſingulis Cycli annis, a 1° ad datum incluſive, Sexageſimæ V. Adeoque hic, quia Cycli annus 18^{us} propoſitus eſt, adjiciendæ Sexageſimæ	90
ſumma foret . . .	120
Sexageſimæ autem 120 facerent duos dies.	
Sed quia dies datus Martii 25^{us}, ſex diebus infra Martii 31^{um} ſubſiſtit, hinc ab illa totidem Sexageſimæ auferendæ, ſcilicet . . .	6
Relinquuntur Sexageſimæ . .	114
Hæ 114 Sexageſimæ per 60 dividendæ & ad dies reducendæ. Fiat itaque diviſio per . .	60 / Quotiens 1 dies
Relinquuntur Sexageſimæ . .	54
Confer ſupra §° 56. & P. 1^{a} C. 16. & P. 2^{a} C. 5.	ſumma dies 2

9^{a}, In illorum calculo aliquid ſingulare occurrit in Cycli anno 5°, 8°, 16° & 19°, in quibus, in Quotiente ſummæ totalis per 30 diviſæ, videtur unus menſis ultra debitum auferri; cujus ratio pateſcet in altero eorum calculo, qui exhibebitur ſequenti §° 67.

10^{a}, In tribus hujus calculi ultimis annis etiam aliquid ſingulare occurrit, cujus cauſa eſt, quod in Epactis nullus Lunæ ſaltus occurrat, niſi demum anno Cycli 19°. Quod etiam clarius pateſcet ſequentibus §^{is} 67, 68, 69.

LXVII.

LXVII.

Calculus πενταπλοῦντων & ἑξαπλοῦντων alio modo dispositus ad inveniendum calculi hujus artificium.

anno Cycli
decemn. Lunaris

4°, 1°, a Jan. 1 — Apr. 2, dies 92
adde Epactas 11
a Dec. 21 — Apr. 2, dies 103
aufer 3 menſ. Plenos 90
13
adjice, quia inter 3 menſes ablatos, vel auferendos, unus Cavus eſt, diem exprimis 60 Sexageſimis natum 1
Luna XIV^a in die Apr. 2°.

anno Cycli

5°, 2°, a Jan. 1 — Mart. 22, dies 81
adde Epactas 22
a Dec. 10 — Mart. 22, dies 103
aufer 3 menſ. Plenos 90
13
reſtitue (ut ſupra) diem 1
Luna XIV^a in die Mart. 22°.

anno Cycli

* 6°, 3°, a Jan. 1 — Apr. 10, dies 100 1 m̄ Emb.
adde Epactas 3 + XXX
a Dec. 29 — Apr. 10, dies 103
aufer 3 menſ. Plenos 90 & 1 menſ. Emb.
13
reſtitue (ut ſupra) diem 1
Luna XIV^a in die Apr. 10°.

anno Cycli
7°, 4°, a Jan. 1 — Mart. 30, dies 89 1 m̄ Emb.
adde Epactas 14 + XXX

a Dec. 18 — Mart. 30, dies 103
aufer 3 menſes Plenos 90 & 1 menſ. Emb.

13
reſtitue (ut ſupra) diem 1

Luna XIV^a in die Mart. 30°.

anno Cycli
* 8°, 5°, a Jan. 1 — Apr. 18, dies 108 1 m̄ Emb.
adde Epactas 25 + XXX

a Dec. 7 — Apr. 18, dies 133
aufer menſem Emboli-
mum, hic, immediate
ante menſem Paſchalem,
inſertum 30

103
aufer præterea 3 menſ. Pl. 90 & 1 menſ. Emb.

13
reſtitue (ut ſupra) diem 1

XIV^a
adjice ex ſecundis 60 Se-
xageſimis natum diem 1

Luna XV^a in die Apr. 18°.

anno Cycli
9°, 6°, a Jan. 1 — Apr. 7, dies 97 2 m̄ Emb.
adde Epactas 6 + LX

a Dec. 26 — Apr. 7, dies 103
aufer 3 menſes Plenos 90 & 2 menſ. Emb.

13
reſtitue (ut ſupra) diem 1

XIV^a
adjice (ut ſupra) diem 1

Luna XV^a in die Apr. 7°.

anno 10°, Cycli 7°,

a Jan. 1 — Mart. 27, dies 86 2 m̄ Emb.
adde Epactas 17 + LX

a Dec. 15 — Mart. 27, dies 103
aufer 3 menses Plenos 90 & 2 menses Emb.

13
restitue (ut supra) diem 1

XIV^a
adjice (ut supra) diem 1
Luna XV^a in die Mart. 27°.

anno * 11°, Cycli 8°,

a Jan. 1 — Apr. 15, dies 105 2 m̄ Emb.
adde Epactas 28 + LX

a Dec. 4 — Apr. 15, dies 133
aufer mensem Embolimum, hic immediate ante mensem Paschalem insertum 30

103
aufer præterea 3 mens. Pl. 90 & 2 menses Emb.

13
restitue (ut supra) diem 1

XIV^a
adjice (ut supra) diem 1
Luna XV^a in die Apr. 15°.

anno 12°, Cycli 9°,

a Jan. 1 — Apr. 4, dies 94 3 m̄ Emb.
adde Epactas 9 + XC

a Dec. 23 — Apr. 4, dies 103
aufer 3 menses Plenos 90 & 3 menses Emb.

13
restitue (ut supra) diem 1

XIV^a
adjice (ut supra) diem 1
Luna XV^a in die Apr. 4°.

anno Cycli
13°, 10°, a Jan. 1 — Mart. 24, dies 83 3 m̄ Emb.
adde Epactas 20 + XC

a Dec. 12 — Mart. 24, dies 103
aufer 3 menses Plenos 90 & 3 menses Emb.

13
restitue (ut supra) diem 1

XIVa
adjice (ut supra) diem 1

Luna XVa in die Mart. 24°.

anno Cycli
* 14°, 11°, a Jan. 1 — Apr. 12, dies 102 4 m̄ Emb.
adde Epactas 1 + CXX

a Dec. 31 — Apr. 12, dies 103
aufer 3 menses Plenos 90 & 4 menses Emb.

13
restitue (ut supra) diem 1

XIVa
adjice (ut supra) diem 1

Luna XVa in die Apr. 12°.

anno Cycli
15°, 12°, a Jan. 1 — Apr. 1, dies 91 4 m̄ Emb.
adde Epactas 12 + CXX

a Dec. 20 — Apr. 1, dies 103
aufer 3 menses Plenos 90 & 4 menses Emb.

13
restitue (ut supra) diem 1

XIVa
adjice (ut supra) diem 1

Luna XVa in die Apr. 1°.

anno

anno Cycli
16°, 13°, a Jan. 1 — Mart. 21, dies 80 4 m̄ Emb.
adde Epactas 23 + CXX

a Dec. 9 — Mart. 21, dies 103
aufer 3 menses Plenos 90 & 4 menses Emb.

13
restitue (ut supra) diem 1

XIV^a
adjice (ut supra) diem 1

Luna XV^a in die Mart. 21°.

anno Cycli
* 17°, 14°, a Jan. 1 — Apr. 9, dies 99 5 m̄ Emb.
adde Epactas 4 + CL

a Dec. 28 — Apr. 9, dies 103
aufer 3 menses Plenos 90 & 5 menses Emb.

13
restitue (ut supra) diem 1

XIV^a
adjice (ut supra) diem 1

Luna XV^a in die Apr. 9°.

anno Cycli
18°, 15°, a Jan. 1 — Mart. 29, dies 88 5 m̄ Emb.
adde Epactas 15 + CL

a Dec. 17 — Mart. 29, dies 103
aufer 3 menses Plenos 90 & 5 menses Emb.

13
restitue (ut supra) diem 1

XIV^a
adjice (ut supra) diem 1

Luna XV^a in die Mart. 29°.

anno Cycli
* 19°, 16°, a Jan. 1 — Apr. 17, dies 107 5 m̄ Emb.
adde Epactas 26 + CL

a Dec. 6 — Apr. 17, dies 133
aufer mensem Emboli-
mum, hic immediate an-
te mensem Paschalem in-
sertum 30

103
aufer præterea 3 mens. Pl. 90 & 5 menses Emb.

13
restitue (ut supra) diem 1

XIV^a
adjice (ut supra, ex se-
cundis 60 Sexagesimis) dies 2

Luna XVI^a in die Apr. 17°.

anno Cycli
1°, 17°, a Jan. 1 — Apr. 5, dies 95 6 m̄ Emb.
adde Epactas 7 + CLXXX

a *Dec.* 25 — Apr. 5, dies 102 *NB*
aufer 3 menses Plenos 90 & 6 menses Emb.

12
restitue (ut supra) diem 1

XIII^a *
adjice (ut supra) dies 2

Luna XV^a in die Apr. 5°.

anno

anno Cycli
2°, 18°, a Jan. 1 — Mart. 25, dies 84 6 m̄ Emb.
adde Epactas 18 + CLXXX

a *Dec.* 14 — Mart. 25, dies 102 *NB*
aufer 3 menses Plenos 90 & 6 menses Emb.

12
restitue (ut supra) diem 1

XIII^a *
adjice (ut supra) diem 1

XIV^a in die Mart. 25°.

anno Cycli
* 3°, 19°, a Jan. 1 — Apr. 13, dies 103 6 m̄ Emb.
adde Epactas 29 + CLXXX

a *Dec.* 3 — Apr. 13, dies 132 *NB*
aufer mensem Embolimum, hic immediate ante mensem Paschalem insertum 30

102
aufer præterea 3 mens. Pl. 90 & 6 menses Emb.

12
restitue (ut supra) diem 1

XIII^a *
adjice (ut supra) dies 2

Luna XV^a in die Apr. 13°.

Observationes.

1ª, Ex calculo circa Cycli annum 5, 8, 16, & 19 patet, in illis Cycli eorum Lunaris annis mensem Embolimum dierum XXX, inter Lunam Januarii & Lunam Paschalem intercedere: colliguntur enim dies 133 usque ad mensis Paschalis Lunam XIVam, adeoque, ablatis 14 diebus, ante mensem Paschalem elapsi sunt dies 119, qui faciunt tres menses Plenos dierum XXX, & unum Cavum dierum XXIX. In his itaque annis mensem Embolimum reliquerunt eo in loco, in quo in Enneadecaëteride Alexandrinorum positus erat, immediate scilicet ante mensem Paschalem. Vide sequentem §um 69. de anno tamen 19° dubitari potest, ut ex eodem §° 69° patescet.

2ª, Reliqui tres menses Embolimi loco suo moti, & ante Lunam Januarii retrusi sunt; ut ex calculo circa Cycli annum 3, 11, 14, patet; ubi usque ad mensis Paschalis Lunam XIVam, æque ac in annis Communibus, colliguntur tantum dies 103, adeoque, ablatis 14 diebus, relinquuntur tantum dies 89, qui faciunt menses duos Plenos dierum XXX, & unum Cavum dierum XXIX. Vide infra §um 69. An autem hi menses Embolimi per annum præcedentem dispersi fuerint, ut Beda dicit de Cyclo Lunari sui temporis, an vero Lunam Januarii immediate præcesserint, ex hoc calculo non constat, posterius tamen probabile videtur. Vide Diss. nostram de Cyclo Lunari Dionysii & Bedæ §° 44, 45.

3ª, Notandum, quod in tribus ultimis Cycli annis ex calculo, & quidem ex Epactis in illo calculo adhibitis, sequatur Lunam Januarii nasci anno 17° in die Dec. 25; anno 18° in die Dec. 14, & anno 19° in die Dec. 3°, ac proinde Lunam XIVam Nicænam uno die loco suo moveri, cum (seposito calculo Sexagesimali quo ultra unum illum diem Regularem, etiam alter dies, vel duo dies inveniuntur) in illo die, in quam Luna XIVª Nicæna cadit, semper prodatur Luna XIIIª. Hujus rei causam esse, quod Saltus Lunæ, qui anno Cycli 16° inserendus erat, differatur in calculo & Epactis usque ad annum 19um, clarum est. Probabile autem mihi videtur hoc tantum fieri in Epactis facilioris calculi gratia, non autem revera nativitatem Lunæ Januarii, & Lunam XIVam Nicænam loco moveri, sed illud irregulare quod ex calculo oritur, additione unius diei corrigi & in integrum restitui. Vide infra §um 68, 69.

4ª, Luna Januarii in hoc calculo semper Plena supponitur, Luna Februarii vero Cava, Luna vero Martii Plena: & hæ tres Lunæ semper Lunam Paschalem præcedunt: nam in calculo semper auferuntur, & simul faciunt dies 89. Vide infra §um 69.

LXVIII.

LXVIII.

Cycli Lunaris Epactæ & Neomeniæ primæ, quæ in illorum calculo supponuntur.

anno decemn.	Cycli Lunar.	Lunatio 1ª Pl.	Epactæ	Ætas Lunæ Kal. Jan.	
4	1	Dec. 21	XI	XII	
5	2	— 10	XXII	XXIII	
* 6	3	— 29	III	IV	
7	4	— 18	XIV	XV	
* 8	5	— 7	XXV	XXVI	
9	6	— 26	VI	VII	
10	7	— 15	XVII	XVIII	
* 11	8	— 4	XXVIII	XXIX	
12	9	— 23	IX	X	
13	10	— 12	XX	XXI	
* 14	11	— 31	I	II	
15	12	— 20	XII	XIII	
16	13	— 9	XXIII	XXIV	
* 17	14	— 28	IV	V	
18	15	— 17	XV	XVI	
* 19 S.	16	— 6	XXVI	XXVII	
1	17	— 25	VII	VIII	ob saltum Lunæ dilatum, ob facilitatem calculi.
2	18	— 14	XVIII	XIX	
* 3	19 S.	— 3	XXIX	XXX	
			affixæ Dec. 31.	Fundamentum Lunæ.	

Si Saltus Lunæ etiam in Cyclo Lunari, anno 16° inseratur, tum foret.

* 19 S.	16 S.	— 6	XXVI	XXVII
1	17	— 24	VIII	IX
2	18	— 13	XIX	XX
* 3	19	Jan. 1	XXX	I

Observationes

1ª, Hoc Schema Epactarum, & ætatum Lunæ in Kal. Januariis conferendum cum Schemate Cycli Lunaris, in formam Rotæ dispositi, quod exhibetur in Chronico Paschali, post Præfationem p. 15, in cujus Rotæ interiori zonâ occurrunt plane eædem ætates Lunæ in Kal. Jan., sub nomine θεμελίε τῆς σελήνης, ubi quoque Saltus Lunæ usque ad annum Cycli Lunaris 19um differtur. Vide nostras ad Chronicon Pasch. Observationes §° 27, 28, 144—46.

2ª, Idem Schema conferendum cum Schemate, quod in Computo Isaaci Argyri C. 10°, p. 371 exhibetur, in quo fundamentum Lunæ plane eodem modo occurrit, cum hac tamen differentia, quod ætas Lunæ in Kal. Jan. Binario aucta sit, ob defectum Cycli jam ab eo animadversum.

3ª, Idem Schema conferendum cum methodo ad inveniendam ætatem Lunæ in Kal. Jan, a Beda in Lib. de Natura rerum & temp. ratione C. 57, descripta: qua eædem Epactæ produntur, & tacite cautela circa annum Cycli Lunaris 17, 18 & 19 adhibetur, ut vera ætas Lunæ in Kal. Jan. exhibeatur. Vide nostras Observationes de Cyclo Lunari Dionysii & Bedæ §° 45.

4ª, Probabile admodum mihi videtur illos Computistas in indagatione Epactarum, facilioris calculi gratia, uniformiter processisse usque ad annum Cycli 19um inclusive, multiplicando annum Cycli datum per XI: sed tamen semper meminisse anno Cycli 16° inserendum saltum Lunæ, & aliqua cautela remedium attulisse, ut vera in illis annis Luna XIVª Pasch. prodiret; adeoque illos Neomenias primas, & Lunas XIV revera loco suo non movisse. Vide infra §um 69.

LXIX,

LXIX.

Cycli Lunaris Neomeniæ ad Paſchalem uſque.

anno decemn.	Cycli Lunar.	Lunatio 1ª P.		Lunatio 2ª C.	Lunatio 3ª P.		Lunatio 4ª	
4	1	Dec. 21	*	Jan. 20	Feb. 18	*	Mart. 20	
5	2	— 10	*	— 9	— 7	*	— 9	
* 6	3	— 29	*	— 28	— 26	*	— 28	
7	4	— 18	*	— 17	— 15	*	— 17	
* 8	5	— 7	*	— 6	— 4	*	— 6	* Apr. 5.
9	6	— 26	*	— 25	— 23	*	— 25	
10	7	— 15	*	— 14	— 12	*	— 14	
* 11	8	— 4	*	— 3	— 1	*	— 3	* Apr. 2.
12	9	— 23	*	— 22	— 20	*	— 22	
13	10	— 12	*	— 11	— 9	*	— 11	
* 14	11	— 31	*	— 30	— 28	*	— 30	
15	12	— 20	*	— 19	— 17	*	— 19	
16	13	— 9	*	— 8	— 6	*	— 8	
* 17	14	— 28	*	— 27	— 25	*	— 27	
18	15	— 17	*	— 16	— 14	*	— 16	
* 19 S.	16	— 6	*	— 5	— 3	*	— 5	* Apr. 4.
1	17	— 25	*	— 24	— 22	*	— 24	
2	18	— 14	*	— 13	— 11	*	— 13	
* 3	19 S.	— 3	*	— 2	Jan. 31	*	— 2	* Apr. 1.

Vel potius hoc modo:

* 19 S.	16 S.	— 6	*	— 5	— 3	*	— 5	* Apr. 4.
1	17	— 24	*	— 23	— 21	*	— 23	
2	18	— 13	*	— 12	— 10	*	— 12	
* 3	19	Jan. 1	*	— 31	Mart. 1	*	— 31	

Obſervationes.

1ª, Hoc Schema omnino conferendum cum Schematibus, quæ exhibui in Obſervationibus noſtris de Cyclo Lunari Dion. & Bedæ §º 44.

Vel denique anno 3, 19, hoc modo:

* 3	19	Dec. 2	*	Jan. 1	Jan. 30	*	Mart. 1	* Mar. 31.

L X X.

Obſervationes novæ ad Cyclum Lunæ exhibitum ſupra §° 55.

1ª, Cyclus Lunæ πενταπλούνλων & ἐξαπλούντων, quem ſupra §° 55 deſcripſi, hauſtus eſt ex iis, quæ Maximus dixerat P. 1ª, C. 11, 12, & 16, & ex Tabellis, quas exhibuerat P. 2ª, C. 1, & deſcripſerat ſive explicaverat, ibidem C. 3, & 4.

2ª, Ab illo Cyclo Lunæ probe diſtinguendus Cyclus ille Lunaris, qui in illorum calculo adhibetur & ſupponitur, quique cognoſci poteſt ex iis, quæ ſupra §° 66—69 vidimus.

3ª, Illorum ætas Lunæ in illo die, in quem Luna XIVª Nicæna cadit, non proditur per Cyclum Lunæ, §° 55 exhibitum, niſi in anno 12, 13, 14, 15, 18, ſed per calculum illorum ſexageſimalem invenitur, ut ſupra §° 66 & 67 vidimus.

4ª, Cyclus Lunæ illorum §° 55. exhibitus, habet Saltum Lunæ anno 11° inſertum, & per conſequens habet in anno 12°, 13°, 14°, 15°, 16° Epactas & ætatem Lunæ in Kal. Jan. unitate majores. Neomeniasque Lunarum Januarii in illis annis uno die retrudit. Cyclus vero ille Lunaris, qui in eorum calculo adhibetur & ſupponitur, non habet Saltum Lunæ in anno Cycli 11°, ſed, ſi Epactæ ſpectentur, quæ continua ſerie procedunt, demum anno Cycli 19°, ut ſupra §° 68 & 69 vidimus.

5ª, Hinc concludimus, illos Cyclum Lunarem, quem in calculo adhibuerunt, non primum conſtituiſſe, ſed ab aliis jam antea conſtitutum inveniſſe: Cyclum vero Lunæ, cum Saltu Lunæ in anno 11°, §° 55 exhibitum, primum fabricaſſe.

6ª, Per hanc hujus Cycli fabricam nihil, quantum hactenus video, obtinuere aliud, quam ut defectum aliquem Cycli decemnovalis indicarent, & ut Cyclus ita diſpoſitus in quinque tantum annis proderet ex ſe Lunam XVam in die termini, in anno ſcilicet 12, 13, 14, 15, & 16.

L X X I.

De Computo illorum ſexageſimali.

Cyclus Lunaris decemnovalis jam ante aliquot annos προήγησιν fecerat unius diei; ut patet ex iis, quæ Beveregius dicit in Inſtitut. Chronol. L. 2. C. 4.

Illos

Illos προήγησιν quandam, & quidem circiter unius diei, animadvertisse, ex hoc eorum calculo sexagesimali videtur colligi posse.

Hinc non tantum pro unoquoque anno Cycli sumebant sexagesimas quinque diei partes, dum numerum anni dati quinquies multiplicabant, sed præterea semper huic producto addebant triginta plus minus sexagesimas, unde jam anno Cycli eorum 5° & deinceps dies unus, & in anno 16° dies duo conflantur. & indicatur Neomeniam Paschalem, cæterasque Neomenias ad præcedentem diem in anno Solari civili retrocessisse.

Cur autem in quatuor primis Cycli Lunaris annis nulla retrocessio Neomeniarum conspiciatur, ejus rei rationem non percipio.

LXXII.

De Computo Lunari.

Modus primus a Maximo propositus Computi P. 3ª C. 8.

1°,

Regula.

Sumimus Lunæ Epactas
Et præsentis Ægyptiaci mensis quotam,
Et dimidium mensium a Thoth,
Et unam Catholicam.

Si horum summa collecta sit XXX, aut infra XXX, totidem dies Luna habebit.

Si vero sit ultra XXX, ablatis XXX, reliquum exprimet ætatem Lunæ.

2°,

Consectarium primum.

Hic Cyclus Lunæ init non a mense Paschali, sed a mense Lunari qui in mense Thoth terminatur.

Quia sumitur dimidium mensium *a Thoth.*

3°, *Con-*

3°,

Consectarium 2^{um}.

In primo hujus Cycli Lunæ anno in mensis Thoth diem 1^{um} incurrit Luna 2^{a}, & Lunatio prima cadit in Epagomenam 5^{am}, Aug. die 28°.

Quia sumitur Catholica una.

4°,

Consectarium 3^{um}.

Lunationes primæ annorum hujus Cycli sunt plenæ, dierum XXX.

Quia sumitur *dimidium* mensium a Thoth. & dicitur, si summa collecta sit XXX, aut infra XXX, totidem dies Lunam habere.

5°,

Monitum.

Hæc Methodus Alexandrinorum propria est; quam fusi explicamus in Dissertatione de Alexandrinorum Computo Lunari.

LXXIII.

De Computo Lunari.

Modus secundus, propositus a S. Maximo Computi P. 3ª C. 8.

1°,

Methodus ad inveniendum Epactas Lunæ, dato quocumque anno a Diocletiano.

Annos a Diocletiano, uno minus capimus, vel potius, ab annis a Diocletiano (datis) unum dementes, vel,

Annos a Diocletiano datos) unitate minuentes, Partimur per XIX; & quod reliquum est capimus, & si unus annus relictus fuerit, ei adjicimus dies X, si vero duo anni, XX, si autem tres, nihil. quemadmodum etiam, si sex, nihil, aut si novem, aut si duodecim, aut simpliciter quilibet ternarius, adeoque si 15, & 18, nihil. iterum si quatuor, X, & si quinque, XX, & sic porro, si septem, decem, tredecim, & sexdecim, X.

NB. Nihil monet Maximus, quid faciendum, *si undecim, quatuordecim, & septendecim relinquuntur.* nempe *tum* non adjiciendos, sed *demendos esse X dies.*

2°, *Juxta*

2°,

Observatio.

Juxta hanc Methodum, cujus artificium cognoscitur, ex collatione sequentis Cap. 10mi, *inveniuntur.*

anno a Diocletiano						Epactæ			Lunæ
1	20	39	58	&c.		o	+	o	o
2	21	40	59	&c.		I	+	X	XI
3	22	41	60	&c.		II	+	XX	XXII
4	23	42	61	&c.	*	III	+	o	III
5	24	43	62	&c.		IV	+	X	XIV
6	25	44	63	&c.		V	+	XX	XXV
7	26	45	64	&c.	*	VI	+	o	VI
8	27	46	65	&c.		VII	+	X	XVII
9	28	47	66	&c.		VIII	+	XX	XXVIII
10	29	48	67	&c.	*	IX	+	o	IX
11	30	49	68	&c.		X	+	X	XX
12	31	50	69	&c.		XI	÷	X	I
13	32	51	70	&c.	*	XII	+	o	XII
14	33	52	71	&c.		XIII	+	X	XXIII
15	34	53	72	&c.		XIV	÷	X	IV
16	35	54	73	&c.	*	XV	+	o	XV
17	36	55	74	&c.		XVI	+	X	XXVI
18	37	56	75	&c.		XVII	÷	X	VII
19	38	57	76	&c.	*	XVIII	+	o	XVIII
						Numeri qui relinquuntur si anni a Diocl. uno dempto dividantur per XIX.		Numeri adjiciendi.	

3°, *Con-*

3°,

Consectarium.

Ergo annus a Diocletiano 1us concurrit cum anno Cycli Lunæ 1°.

Quia ante divisionem per XIX, ab anno a Diocletiano dato unitas demitur.

4°,

Methodus ad inveniendum quota Luna sit in mensis Ægyptiaci die dato in anno a Diocletiano dato.

Sumimus has hoc modo inventas Epactas, & quotam mensis Ægyptiaci datam, & dimidium mensium a Thoth, & Catholicam unam.

Atque hæc, in unam summam collecta, dividimus per XXX.

5°,

Observatio.

Hæc Methodus ad inveniendam quotam Lunæ, plane convenit cum primo modo, quem eodem Capite Maximus jam proposuerat.

Sed hic expresse ad Æram Diocletianæam applicatur.

Vide Consectaria in Observ. ad Computum Lunarem a Maximo primo modo propositum.

Unde patet annum Diocletiani 1um non tantum concurrere sed & pari passu ambulare cum anno Cycli Lunæ 1°, hoc tantum excepto, quod prima primi anni, in Cyclo Lunæ, Lunatio uno die prævertat primum diem mensis Thoth in anno Diocletiani primo, ut patet ex Catholica una, quæ adjicienda est.

L X X I V.

De Computo Lunari.

Modus tertius, a S. Maximo propositus Computi P. 3a C. 8.

1°,

Methodus inveniendi quotam Lunæ in mensis Romani die dato.

Capimus Epactas Lunæ,

Et pro unoquoque mense Romano, a Septembri incipientes usque ad eum, cujus dies datus est (exclusive) *unum diem*

Et quotam mensis Romani datam,

Et duas Catholicas.

Et hæc in unam summam collecta dividimus per XXX.

2°, Ob-

2°,

Observatio 1ª.

Hæc Methodus ſolummodo ad uſus Paſchales inventa eſt. Procedit enim tantum in menſis Martii & Aprilis diebus datis.

3°,

Observatio 2ª.

Hic Computus revera peragitur per Epactas Lunares menſtruas Martii & Aprilis, ſive per ætatem Lunæ in ultimo die Februarii & Martii, in Cycli Lunæ anno primo. Epactæ autem menſtruæ Martii ſunt VIII, & Aprilis IX, in Cyclo decemnovali anno Cycli 1°, ut ex Computo Heraclii & Maximi patet.

Quia autem numerus menſium a Septembri incluſive uſque ad Martium excluſive, eſt tantum VI, & a Septembri incluſive uſque ad Aprilem excluſive, eſt tantum VII.

Hinc in utroque caſu quando Martii, & quando Aprilis dies datus eſt, Binarius deëſt; & hinc illæ Catholicæ duæ, quæ ad numerum menſium adjectæ, reddunt VIII Epactas menſtruas, ſeu προσθέτας pro Martio, & IX pro Aprili.

4°,

Observatio 3ª.

Epactæ annuæ, in hoc Computo adhibitæ, ſunt Epactæ ſimplices Cyclo decemnovali propriæ

o	pro Cycli anno 1°
XI	 2°
XXII	 3°
III	 4°.

& ſic porro.

5°,

Conſectarium 1um.

Hic Computus erat Græcorum, qui Cyclum Lunæ Alexandrinorum receperant, & ad annum a Septembri ineuntem, ac menſes Romanos accommodarunt.

 6°, *Con-*

6°,

Consectarium 2um.

Hi Computistæ annos Cycli Lunæ non a menſe Paſchali, ſed a Neomenia Kalendis Septembr. proxima ordiebantur.

Quia numerum menſium ineunt, a Septembri incipientes.

7°,

Consectarium 3um.

Græci Cyclum decemnovalem ab Alexandrinis accipientes, receperunt Alexandrinorum Lunas XIVas Paſchales.

8°,

Consectarium 4um.

Lunatio anni in hoc Cyclo primi, ſeptima, quæ in Martio terminatur, Plena eſt, dierum XXX.

Naſcitur enim Februarii die 21°, quia Februarii die 28° VIIIa eſt, & Martii die 22° extinguitur, quia Luna Paſchalis naſcitur Martii die 23, utpote habens Lunam XIV Paſchalem Aprilis die 5°, quod & inde patet, quia in die Martii IXa eſt. Vide ſupra §° 3.

Idem probatur ex calculo,

Quæritur quota Luna ſit in Martii die 1°, & in Aprilis die 1°, in anno Cycli primo, qui habet Epactas nullas.

Epactæ	0	0
Numerus menſium .	6 . . .	7
Catholicæ	2	2
Quota menſis	1	1
Luna	IXa	Xa

Luna Xa Aprilis die 1° dat Lunam Iam in Martii die 23°.

Et Luna IXa in Martii die 1° dat Lunam XXXam in Martii 22°.

Hinc ſequitur

1°, Lunationem 1am anno Cycli 1° eſſe Plenam, Lunationem 2am vero

vero Cavam, & ſic porro alternando. Adeoque Lunationem 8^am^, quæ Paſchalis eſt, eſſe Cavam.

2°, In Kalendis Septembris anno Cycli 1° eſſe Lunam V^am^. Adeoque Lunationem primam anno Cycli 1° inire Auguſti die 28°.

Idem obtinet in reliquis annis Communibus.

De anno Cycli 9°. Vide Diſſ. de Computo Lunari Alexandrinorum.

9°.

Conſectarium 5^um^.

Lunationem octavam in annis Embolimæis non eſſe Cavam, ut in annis Communibus, ſed Plenam.

Exempli gratia.

Anno Cycli 3°, qui Embolimæus eſt, Lunatio prima init Auguſti die 6°, eſtque Plena. & Lunatio ſeptima, quæ itidem Plena eſt, exit Februarii die 28°, & Lunatio octava exit Martii 30° die, adeoque etiam Plena.

Hoc ex calculo patet.

Quæratur quota Luna ſit in Martii die 1° & in Aprilis die 1°, anno Cycli 3°, qui habet Epactas XXII.

Epactæ . . .		22 . . .	22	
Numerus menſium . .		6 . . .	7	
Catholicæ		2	2	
Quota menſis . . .		1 . . .	1	
	Luna	XXXI . .	XXXII	
aufer		XXX . .	XXX	juxta Regulam
	Luna	I^a^ . . .	II^a^	vide §° 1.

Luna II^a^ in Aprilis die 1° dat Lunam I^am^ Martii die 31°, quod & Luna XIV^a^ Paſchalis requirit, quæ anno Cycli 3° cadit in Aprilis diem 13^um^.

Luna I^a^ in Martii die 1° dat Lunam XXX^am^ in Martii die 30°.

Idem patet in reliquis annis Embolimæis.

Hinc ſequitur

1°, Lunas Embolimæas eundem ſitum in hoc Cyclo habere, quem

 habent

habent in Enneadecaëteride Alexandrinorum, hoc eſt, menſem Paſchalem immediate præcedere.

2°, Hujus Cycli conſtructores omnes Neomenias retinuiſſe in iis diebus, quibus ab Alexandrinis affixæ erant.

L X X V.

De Computo Lunari.

Modus quartus, P. 3ª C. 8° a Maximo propoſitus.

1°,

Methodus inveniendi ætatem Lunæ in die dato datis Epactis iſtius anni.

S. Maximus in Computo P. 3ª C. 8° hunc modum quarto loco proponit.

Sumimus Epactas Lunæ, unitate minutas.

Et dies omnes a (Kal.) Januar. (incluſive) uſque ad diem datum (incluſive).

Et horum ſexageſimam quamque partem (καὶ τὰ τέτων ξζ″) (Petav. legit ξξ″).

Et ſummam collectam partimur per XXX.

2°,

Conſectarium.

Hic Computus procedit per ætates Lunæ in Kal. Januariis, a quibus aufert unitatem, ne dies Kal. Januar. bis numeretur.

Ætas autem Lunæ in Kal. Januariis eſt in Cycli, non decemnovalis, ſed Lunaris,

Anno 1°	XII
—— 2°	XXIII
—— 3°	IV
—— 4°	XV
—— 5°	XXVI.

& ſic porro.

3°, Ob-

3°,

Obſervatio.

Hic Computus Lunaris videtur eorum, qui ἑξαπλώσει καὶ πενταπλώσει utebantur. De quo fuſe egimus ſupra §° 65, & ſeqq.

Quia utitur calculo ſexageſimali.

4°,

Obſervatio 2ª.

Videtur tamen, non in totum, ſed ex parte tantum, hic Computus cum eorum Computo convenire.

Quia tantum jubet eorum dierum, qui a Januarii die 1° uſque ad diem datum colliguntur, ſexageſimam quamque partem ſumere, hoc eſt, pro unoquoque horum dierum collectorum unam ſexageſimam. & nihil amplius.

Vide ſupra §° 65, &c.

5°,

Obſervatio 3ª.

Jubet autem pro unoquoque horum dierum, a Januarii die 1° uſque ad diem datum collectorum, unam ſexageſimam ſumere eum in finem, ut ex illis ſexageſimis, per 60 diviſis, colligatur unus dies, ad dies collectos adjiciendus, ut diviſio per XXX abſque errore peragi poſſit.

Quod explico ſupra §° 66. Obſerv. 4ª. & §° 67, in initio.

6°,

Obſervatio 4ª.

Hinc patet hunc Computi Lunaris modum ſolummodo ad uſus Paſchales, & quidem in ſpecie ad Lunas XIVas Paſchales, quæ vel in Martium vel in Aprilem incurrunt, explorandas inventum eſſe.

Non enim procederet, ſi dies a Jan. 1° uſque ad diem datum collecti, & totidem ſexageſimæ, ad numerum 120, & ultra aſſurgerent. Tum enim ex ſexageſimis 120 colligerentur duo dies, & error in calculo oriretur.

7°, *Exem-*

7°,

Exemplum.

Quæratur ætas Lunæ in Aprilis die 2°, in anno Cycli Lunaris 1°, cujus Epactæ, unitate minutæ, sunt XI.

Epactæ, unitate minutæ . . .	11
a Jan. 1° ad Apr. 2um sunt dies . . .	92
Sexagesimæ 92, ex quibus dies . .	1
	104

divide per 30 / 3

Reliquum 14a Luna.

8°,

Alterum Exemplum.

Quæratur ætas Lunæ in April. die 18°, in anno Cycli Lunaris 5°, cujus Epactæ, unitate minutæ, sunt XXV.

Epactæ, unitate minutæ	25
a Jan. 1° ad Apr. 18um sunt dies . .	108
Sexagesimæ 108, ex quibus dies . .	1
	134

divide per 30 / 4

Reliquum 14a Luna.

9°,

Tertium Exemplum.

Quæratur ætas Lunæ in Aprilis die 30°, in anno Cycli Lunaris 5°, cujus Epactæ, unitate minutæ, sunt XXV.

Epactæ, unitate minutæ . . .	25
a Jan. 1° ad Apr. 30um sunt dies . .	120
Sexagesimæ 120, ex quibus dies . .	2
	147

divide per 30 / 4

Reliquum 27a Luna.

Erroneè, inquam. Nam si in Aprilis diem 18um cadit Luna XIVa, (ut supra N° 8° vidimus) in diem Aprilis 30um cadere debet Luna XXVIa, non autem XXVIIa. Quo confirmatur id, quod supra N° 6° diximus.

LXXVI.

LXXVI.

De Computo Lunari.

Quintus Modus, a S. Maximo propositus, Computi Parte 3ª C. 8.

1°,

Methodus ad inveniendum ætatem Lunæ in die dato, datis Epactis istius anni.

Sumimus Epactas Lunæ,
Et dimidium mensium ab Aprili usque ad mensem datum.
Et tricesimos primos quosque dies,
Et quotam mensis dati,
Et summam collectam partimur per XXX.

2°,

Consectarium.

Hic Computus procedit, non per Epactas simplices, sed compositas ex simplicibus & Catholicis, sive per ætates Lunæ in Martii die 31°, quales Epactæ Maximi sunt.

3°,

Monitum.

Hujus Computi Lunaris experimentum cepi, inquirendo ætatem Lunæ in quotis mensium Septembris & Octobris, quæ in Maximi Tabella ad dextram, & in quas semper *mensis Judaici septimi Luna Xª* incidit.

4°,

Alterum Monitum.

Comperi, *dimidium mensium ab Aprili usque ad mensem datum inclusive* sumendum esse.

 Idque

Idque eum in finem, ut summa totalis per XXX dividi possit.

Inter sex menses Lunares elapsos enim reperiuntur tres Cavi, dierum XXIX. & quidem horum sex mensium 1us, 3us, 5us Cavi sunt.

Adeoque requiritur, ut ab Aprili ad Septemb. datum inclusive, numerentur 6 menses, ejusque dimidium fiat 3.

5°,

Tertium Monitum.

Tricesimos primos quosque jubet sumere dies, illorum scilicet mensium, qui ab Aprili ad mensem datum exclusive, 31 dierum sunt.

Adeoque ab Aprili usque ad Septemb. exclusive, vel usque ad Octobrem exclusive, colliguntur trigesimi primi dies semper 3. Ex mense scilicet Majo, Julio, & Augusto, qui in hoc spatio soli 31 dies habent.

6°,

Observatio.

Quando Luna Xa septimi mensis Judaici cadit in mensem Septemb., tum Epactæ & quota Septembris, simul sumptæ, semper faciunt præcise dies 34.

Adeoque semper requiruntur dies 6, qui illis 34 adjecti, faciant 40, qui per 30 divisi, relinquant 10, seu Lunam Xam septimi mensis Judaici.

Hi 6 dies autem conflantur ex duobus Ternariis, de quibus supra N° 4° & 5° egimus.

Nota, quod ab Aprilis die 1° usque ad Augusti diem 31um, numerentur dies 153.

Ab his demuntur duo ternarii (mox restituendi) & remanent dies 147.

Dies autem illi 147 faciunt præcise quinque menses priores annorum in Maximi Cyclo Lunæ, quorum 1us, 3us, & 5us sunt Cavi. 2us autem, & 4us Pleni.

Restat itaque mensis, in Maximi Cyclo Lunæ. 6us, plenus dierum 30, & præterea septimi mensis Xa Luna, seu dies 10. Qui simul sumti faciunt dies 40.

Hi autem dies 40 conflantur ex Epactis Lunæ, una cum quotis mensis Septembris, quæ simul sumptæ semper sunt 34, & ex illis duobus ternariis, qui sunt 6.

7°, Al-

7°,

Altera Observatio.

Quando Luna X^a^ septimi mensis Judaici cadit in mensem Octobrem: quod quinquies fit, in Maximi Cyclo Lunæ, anno scilicet 3°, 8°, 11°, 14°, & 19°.

Tum bis, anno scilicet Cycli 3° & 14°, Epactæ & quota mensis Octobris, simul sumtæ, faciunt dies 4. Quibus dies illi 6 adjiciendi, ut fiant 10, seu Luna X^a^ septimi mensis Judaici.

Ter autem, anno scilicet Cycli 8°, 11°, & 19°, Epactæ & quota mensis Octobris, simul sumtæ, faciunt dies 34, quibus illi dies 6 adjiciendi, ut fiant 40. & ablatis 30, remaneant 10, seu Luna X^a^ septimi mensis Judaici.

Ratio autem, quare in tribus hisce Cycli annis, Epactæ & quota mensis Octobris faciant dies 34, hæc est, quod Epactæ horum trium annorum, seu ætas Lunæ in Martii die 31°, non sit ætas Lunæ mensis Paschalis, sed ætas Lunæ mensis Embolimæi, qui anni in Maximi Cyclo 7^mi^, 10^mi^, & 18^vi^ tertiusdecimus mensis est, & plenus dierum 30. Atque hinc est, quod in tribus hisce annis 8°, 11° & 19°, revera colligantur 7 menses, nempe 6 menses priores in Maximi Cyclo Lunæ, qui faciunt ter 59, hoc est, 177, & mensis ille præcedentis anni Embolimæus, dierum 30, & septimi in Maximi Cyclo dies 10. Nam ab Aprilis die 1° usque ad Septembris diem 30^um^, numerantur dies 183. a quibus si demantur illi dies 6, (mox restituendi) remanent dies 177, pro sex mensibus prioribus in Maximi Cyclo. Restat hic mensis ille Embolimæus, dierum 30, & septimi in Maximi Cyclo mensis dies 10, simul 40, qui ex dictis 34 & illis 6 conflantur, ut diximus.

8°,

Exemplum.

Quæratur ætas Lunæ in Septemb. die 25°, in anno Cycli 1°, cujus Epactæ IX.

Epactæ	9
dimidium ſex menſium ab Aprili ad Sept. incluſive .	3
Trigeſimi primi dies trium menſium, Maji, Julii, & Auguſti	3
Quota menſis Septemb.	25
	40

divide per 30 / 1
Reliquum 10ª Luna ſeptimi menſis Judaici in Septembris die 25°.

9°,

Alterum Exemplum.

Quæratur ætas Lunæ in Septembris die 14°, anno Cycli 2°, cujus Epactæ XX.

Epactæ	20
dimidium 6 menſium ab Apr. ad Sept. incluſive .	3
Triceſimi primi dies trium menſium	3
Quota menſis Septembris	14
	40

divide per 30 /
Reliquum 10ª Luna.

10°,

Tertium Exemplum.

Quæratur ætas Lunæ in Octobris die 3°, anno Cycli 3°, cujus Epacta I.

Epacta	1
dimidium 7 menſium ab Aprili ad Octob. incluſive	3
Triceſimi primi dies trium menſium Maji, Julii, & Auguſti	3
Quota menſis Octobris	3
	10ª Luna.

11°, *Quar-*

11°,

Quartum Exemplum.

Quæratur ætas Lunæ in Octobris die 8°, anno Cycli 8°, cujus Epactæ XXVI.

Epactæ	26
dimidium 7 mensium ab Aprili ad Oct. inclusive .	3
Tricesimi primi dies trium mensium . . .	3
Quota mensis Octobris	8
	40
divide per 30	
Reliquum	10ª Luna.

12°,

Admonitio.

Hujus Computi Lunaris alterum experimentum cepi, inquirendo ætatem Lunæ in quotis mensium Februarii & Januarii, in Maximi Tabella ad sinistram, in quas *introitus jejuniorum* incidit.

Et quidem in Cycli annis, mensem Embolimum non habentibus, in undecimi mensis Judaici Lunam XVII. in solo autem anno 19°, in Lunam XVI.

In Cycli vero annis, mensem Embolimæum habentibus, in mensis Judaici duodecimi Lunam XVIII. Numeratione a mense Paschali instituta.

13°,

Observatio.

Ab Aprili ad Januarium inclusive, sunt menses 10, quorum dimidium 5.

Ab Aprili ad Februarium inclusive, sunt menses 11, quorum dimidium itidem 5.

14°,

Observatio.

Inter menses ab Aprili ad Januarium exclusive, sunt menses 5 dierum 31.

Inter menſes ab Aprili ad Februarium excluſive, ſunt menſes 6, dierum 31.

15°,

Obſervatio.

Quando *introitus jejuniorum* cadit in Januarium, & in menſem Judaicum XI^um, ejusque Lunam XVII^am, quod quinquies fit, in Cycli anno 1°, 4°, 9°, 12°, 15°.

Tum Epactæ & quota menſis Januarii, ſimul ſumptæ, faciunt ſemper dies 37. Et dimidium 10 menſium, una cum trigeſimis primis 5 menſium, faciunt dies 10. 37 + 10 autem faciunt 47. qui per 30 diviſi, relinquunt 17, ut oportet.

Nota, quod ab Aprilis die 1° ad Decembris diem 31^um, numerentur dies 275. ab his ſi demantur dies illi 10 (mox reſtituendi) remanent dies 265. Totidem dies autem conficiunt 9 priores in Maximi Cyclo menſes, quorum 1^us Cavus, 2^us Plenus, & ſic porro alternando.

Ad 9 menſes, qui faciunt dies	265		
adde 10^um menſem dierum	30	Epactæ & quota Jan.	37
& 11^mi menſis dies . .	17	illi dies	10
	47		47

16°,

Exemplum.

Quæratur ætas Lunæ in Januarii die 28°, anno Cycli 1°, cujus Epactæ IX.

Epactæ	9
dimidium 10 menſium, ab Aprili ad Januarium incluſive	5
Triceſimi primi dies quinque menſium, Maji, Julii, Auguſti, Octob., & Decemb.	5
Quota menſis Januarii	28
	47
divide per 30	
	17^a Luna undecimi menſis.

& ſic in reliquis quatuor Cycli annis.

17°, *Ob-*

17°,

Observatio.

Quando *introitus jejuniorum* cadit in Februarium, & in menſem Judaicum XIum, ejusque Lunam XVIIam, & ſemel in Lunam XVIam. Quod fit ſepties, anno Cycli 3°, 6°, 8°, 11°, 14°, 17°, in ſolo anno 19°, in Lunam XVIam.

Tum in anno Cycli 3°, 6°, 14°, 17° Epactæ & quota menſis Februarii, ſimul ſumtæ, faciunt 6. & dimidium 11 menſium, una cum tricesimis primis 6 menſium, faciunt 11. 6 + 11 autem ſunt 17. ut oportet.

Sed in anno Cycli 8°, 11°, Epactæ & quota Februarii faciunt 36. in anno autem 19° faciunt 35. quibus ſi addantur illi dicti dies 11, fiunt ſimul dies 47, in Cycli anno 8° & 11°. dies vero 46, in anno Cycli 19°. unde, ſi demantur dies 30, remanent 17, in anno 8° & 11°, 16 autem in anno 19° ut oportet. Quod autem in tribus hiſce Cycli annis, 8°, 11° & 19°, menſis dierum 30 ultra debitum colligatur: hoc inde eſt, quia horum trium annorum Epactæ, ſeu ætas Lunæ in Martii die 31°, non eſt ætas Lunæ menſis Paſchalis, ſed menſis Embolimæi, qui præcedentium annorum, 7mi, 10mi, & 18vi, tertius decimus anni menſis eſt. Confer ſupra N° 7°.

18°,

Exemplum.

Quæratur ætas Lunæ, in die Februarii 5°, anno Cycli 3°, cujus Epacta I.

Epacta	1
dimidium XI menſium	5
31mi dies ſex menſium	6
Quota menſis Februarii	5
	17a Luna undecimi menſis.

& ſic in reliquis tribus Cycli annis.

19°, Al-

19°,

Alterum Exemplum.

Quæratur ætas Lunæ in Februarii die 10°, anno Cycli 8°, cujus Epactæ XXVI.

Epactæ	26
dimidium XI mensium	5
31mi dies sex mensium	6
Quota mensis Februarii	10
	47

divide per 30
Reliquum 17a Luna undecimi mensis.

& sic quoque in Cycli anno 11°.

20°,

Tertium Exemplum.

Quæratur ætas Lunæ in Februarii die 8°, anno Cycli 19°, cujus Epactæ XXVII.

Epactæ	27
dimidium XI mensium	5
31mi dies sex mensium	6
Quota mensis Februarii	8
	46

divide per 30
Reliquum 16a Luna undecimi mensis.

21°,

Observatio.

Quando *introitus jejuniorum* cadit in Februarium, & in mensem Judaicum XIIum, ejusque Lunam XVIIIam, quod fit in septem Cycli annis, qui mensem Embolimum habent, ut tertium decimum anni in Cyclo

clo mensem, in anno scilicet Cycli 2°, 5°, 7°, 10°, 13°, 16°, & 18°.

Tum in his septem annis computus fallit, & uno die in defectu peccat, si summam collectam per 30 (ut Maximus jubet) diviseris, & proditur non Luna XVIII^a, sed XVII^a duodecimi mensis, quod erroneum est.

In his enim septem annis Epactæ & quota mensis Februarii, simul sumtæ, faciunt 36. Quibus si addideris dimidium XI mensium, una cum 31^mis diebus sex mensium, qui simul faciunt 11, prodibit summa dierum 47. a qua si demas mensem plenum dierum 30, remanebunt dies 17 erronëe. Sin vero dempseris mensem cavum dierum 29, remanebunt dies 18, ut oportet. Adeoque in his septem annis, summa, non per XXX, sed per XXIX dividenda.

Nota quod ab April. die 1° ad Januarii diem 31^um numerentur dies 306, seu 295 + 11

10 menses Lunares faciunt dies 295.			
11^us mensis dierum	29	Epactæ & quota	36
12^mi mensis dies . .	18	illi dies : . .	11
	47		47
a qua demendus 11^us mensis dierum	29		29
	18		18

22°,

Exemplum.

Quæratur ætas Lunæ in Februarii die 16°, anno Cycli 2°, cujus Epactæ XX.

Epactæ	20
dimidium XI mensium	5
31^mi dies sex mensium	6
Quota mensis Februarii	16
	47

divide, non per 30, sed per 29

Reliquum 18^a Luna duodecimi mensis

& sic in reliquis sex Cycli annis.

23°, Co-

23°,

Corollarium.

An etiam aliis in locis ſumma, non per XXX, ſed per XXIX ſit dividenda, dicere non habeo, quia experimenta non cepi.

24°,

Monitum.

Cum ſupra dictis conferenda Tabella, a me conſtructa, quam propoſui ſupra §° 14°.

LXXVII.

De Computo Lunari.

Modus ſextus, a S. Maximo propoſitus Computi Parte 3ª C. 8.

1°,

Methodus inveniendi ætatem Lunæ in die dato, dato anno Cycli Lunæ.

Annum Lunæ undecuplamus,
Et ſumimus dies omnes a (Kal.) Januariis uſque ad diem datum,
Καὶ τὰ τȣ́των ξξ″, hoc eſt, *& horum ſexageſimam quamque partem,*
Treſque ΚΑΘΟΛΙΚΩΣ *auferentes,*
Reliquum partimur per XXX.

2°,

Monitum.

Hæc Methodus quo ad rem ipſam convenit cum modo quarto, de quo egimus ſupra §° 75. & quæ ibi dicta ſunt, hic conferenda.

Hoc tantum hæc Methodus ſingulare habet, quod tacite vel implicite Epactas Lunæ inquirat, per anni Lunæ undecuplationem, & trium Catholicarum ab illo producto ablationem. Quod hic explicandum.

3°, Ob-

3°,

Observatio.

Per annum Lunæ, quem *undecuplare* jubet, intelligit annum Lunæ Cycli, non Lunaris, sed decemnovalis.

4°,

Altera Observatio.

Trium Catholicarum ablatio inservit, ut oriantur implicite Epactæ anni Cycli Lunaris, qui anno Cycli decemnovalis *undecuplato* respondet.

Implicite dico, quia ordinario ab illo Reliquo prius demendi sunt omnes tricenarii.

5°,

Tertia Observatio.

Annorum Cycli decemnovalis & annorum Cycli Lunaris concursus ita se habet. Et Cycli Lunaris Epactæ, diei Decembris 31° affixæ, hæ sunt, si nempe in Cycli Lunaris anno 16^to inseratur Saltus Lunæ.

Cycli decemn.			Cycli Lun.	Cycli Lunaris Epactæ
annus	1.	est	annus 17.	VIII
——	2.	——	—— 18.	XIX
——	3.	——	—— 19.	XXX
——	4.	——	—— 1.	XI
——	5.	——	—— 2.	XXII
——	6.	——	—— 3.	III
——	7.	——	—— 4.	XIV
——	8.	——	—— 5.	XXV
——	9.	——	—— 6.	VI

& sic porro.

 6°, *Exem-*

6°,

Exempla.

1um, Detur Cycli decemnovalis annus 1us (cui respondet Cycli Lunaris annus 17us) & quærantur hujus anni Cycli Lunaris Epactæ.

annum 1 undecupla, fiunt	11
aufer tres Catholicas	3
anni Cycli Lunaris 17mi Epactæ	8

2um, Detur Cycli decemnovalis annus 4us (cui respondet Cycli Lunaris annus 1us) & quærantur hujus anni Cycli Lunaris Epactæ.

annum 4 undecupla, fiunt . . . ,	44
aufer tres Catholicas	3
	41
divide per 30	1
anni Cycli Lunaris 1mi Epactæ	11

3um, Detur Cycli decemnovalis annus 8us (cui respondet Cycli Lunaris annus 5us) & quærantur hujus anni Cycli Lunaris Epactæ.

annum 8um undecupla, fiunt . . .	88
aufer tres Catholicas	3
	85
divide per 30	2
anni Cycli Lunaris 5ti Epactæ	25

7°,

Calculi hujus fundamentum.

Nota, quod Cycli decemnovalis anni ternario majores sint, quam Cycli Lunaris anni. Quod etiam verum est de tribus prioribus Cycli decemnovalis annis, 1°, 2°, & 3°. Si enim his adjiciatur integer Cyclus XIX annorum: erit XIX + 1. ternario major quam 17. & XIX + 2. ternario major quam 18. & denique XIX + 3. ternario major quam 19.

Hæc autem est causa, propter quam semper tres Catholicæ auferantur.

8°, *Exem-*

8°,

Exemplum totius Computi.

Quæratur ætas Lunæ in Aprilis die 18° in anno Cycli decemnovalis 8° (cui respondet annus Cycli Lunaris 5us.)

annum Cycli 8um undecupla, fiunt	88
a Jan. 1 ad Apr. 18 sunt . .	108
Sexagesimæ 108, ex quibus dies . . .	1
	197
aufer tres Catholicas . . .	3
	194
divide per 30	6
Reliquum	14a Luna

in Aprilis die 18°;
anno Cycli decemnovalis 8°;
& anno Cycli Lunaris 5°.

LXXVIII.

De Computo Lunari.

Modus septimus, a S. Maximo propositus Computi P. 3a C. 8.

1°,

Methodus inveniendi ætatem Lunæ in die dato.

Sumimus Epactas Lunæ, & adhibemus eas,
In Januario & Februario integras,
In Martio autem unitate minutas,
In Aprili vero & sequentibus mensibus integras;
Una assumentes unam aliam pro singulo mense usque ad mensem datum; duo vero solum pro Augusto,
Et quotam mensis datam,
Et summam collectam partimur per XXX.

2°,

Monitum.

Hic Computus procedit per Maximi Epactas, ſeu per ætatem Lunæ in Martii die 31°. Quia menſes numerat incipiendo ab Aprili, ordine progreſſivo.

Conferendus hic omnino modus quintus, & conſideranda quæ ad modi quinti explicationem diximus, nec non experimenta quæ ibi cepimus.

Dies enim una quæ hic aſſumitur pro ſingulo menſe, ab Aprili uſque ad menſem datum excluſive, & duo ſolum pro Auguſto, reſpondent dimidio menſium ab Aprili ad menſem datum incluſive, una cum triceſimis primis diebus menſium ab Aprili ad menſem datum excluſive, ſimul ſumtis.

3°,

Experimentum 1um.

Quæratur ætas Lunæ in quotis menſium Septemb. & Octob. in Maximi Tabella ad dextram, in quas Luna Xa menſis ſeptimi, a menſe Paſchali numerati, incidit.

a. Quando de quota menſis Septemb. quæſtio eſt. Tum Epactæ & quota menſis Septembris, ſimul ſumptæ, faciunt ſemper 34, ut etiam in modo quinto vidimus. Ab Aprili ad Septemb. excluſive, elapſi ſunt menſes quinque, & inter hos eſt Auguſtus, adeoque hic aſſumendi dies 6. Totidem autem dies dant dimidium menſium ab Aprili ad Septemb. incluſive, una cum trigeſimis primis diebus menſium dierum 31, ab Aprili ad Septemb. excluſive, nempe 6, ut in quinto modo vidimus. Adeoque hoc in caſu hic Computus procedit.

b. Quando autem de quota menſis Auguſti quæſtio eſt, tum Epactæ & quota menſis Octob., ſimul ſumtæ, faciunt duobus in annis 4, tribus vero in annis 34. ut etiam in quinto modo vidimus. Ab Aprili ad Octobrem excluſive, elapſi ſunt menſes ſex, & inter hos eſt menſis Auguſtus, adeoque hic aſſumendi dies 7. Dimidium autem menſium, una cum 31mis diebus, in quinto modo, faciunt tantum dies 6. Adeoque hoc in caſu hic Computus non procedit, ſed ſumma collecta uno die in exceſſu peccat: colligit enim 4 + 7, hoc eſt 11, vel 34 + 7, hoc eſt + 41.

4°, *Ex-*

4°,

Experimentum 2um.

Quæratur ætas Lunæ in quotis menſium Januarii & Februarii, in Maximi Tabella ad ſiniſtram, quæ cadunt in menſem, a menſe Paſchali numeratum, undecimum, ejusque Lunam XVIIam, & in ſolo anno Cycli 19°, in Lunam XVIam.

α. Quando de quota menſis Januarii quæſtio eſt, tum Epactæ & quota menſis Januarii, ſimul ſumtæ, faciunt ſemper dies 37. Ab Aprili ad Januarium excluſive, elapſi ſunt menſes novem, & inter hos eſt menſis Auguſtus, adeoque hic aſſumendi dies 10. Totidem autem dies dant dimidium menſium una cum 31mis diebus, in quinto modo, nempe 10. Adeoque hoc in caſu hic Computus procedit.

β. Quando de quota menſis Februarii quæſtio eſt, tum Epactæ & quota Februarii menſis, ſimul ſumtæ, faciunt 6, in anno Cycli 3°, 6°, 14°, 17°. 36, in anno Cycli 8°, 11°. 35 autem, in ſolo anno Cycli 19o. Ut etiam in quinto modo vidimus. Ab Aprili ad Februarium excluſive, elapſi ſunt menſes decem, & inter hos eſt menſis Auguſtus, adeoque hic aſſumendi dies 11. Totidem autem dies dant dimidium menſium, una cum 31mis diebus, in quinto modo, nempe 11. Adeoque hoc in caſu hic Computus procedit.

5°,

Experimentum 3um.

Quæratur ætas Lunæ in quotis menſis Februarii, in Maximi Tabella ad ſiniſtram, quæ cadunt in menſem, a menſe Paſchali dinumeratum, duodecimum, ejusque Lunam XVIII. Quod fit in annis Cycli, menſem Embolimum habentibus, 2°, 5°, 7°, 10°, 13°, 16°, & 18°.

Quia hic de quota Februarii menſis quæſtio eſt: Epactæ & quota Februarii menſis, ſimul ſumptæ, faciunt hic ſemper 36, ut etiam in quinto modo vidimus. Ab Aprili ad Februarium excluſive, elapſi ſunt menſes decem, & inter hos eſt menſis Auguſtus, adeoque hic aſſumendi dies 11. Totidem autem dies dant dimidium menſium, una cum 31mis diebus, in quinto modo, nempe dies 11. Adeoque hoc in caſu hic Computus (æque ac in quinto modo) non procedit, ſed ſumma collecta uno die in defectu peccat: colligit enim 36 + 11, hoc eſt 47, cum deberet colligere 48, ut demptis 30, remaneret, ut oportet, 18a Luna.

6°, *Ex-*

6°,

Experimentum 4um.

Quæratur ætas Lunæ in quotis menſis Martii, in Tabella Maximi ad dextram, quæ cadunt in Lunam XIVam Paſchalem. Quod fit in annis Cycli ſeptem.

Notandum, quod in hoc Computo, illæ menſis Martii quotæ incidant in anni ab Aprili incipientis menſem duodecimum: adeoque hic adhibendas eſſe Epactas, non anni Cycli 2di, 5ti, 7mi, 10mi &c. ſed anni Cycli 1mi, 4ti, 6ti, 9ni, &c.

Hoc in caſu, Epactæ unitate minutæ, & quota Martii menſis, ſimul ſumtæ, ſemper faciunt 33. Ab Aprili uſque ad Martium excluſive, elapſi ſunt menſes undecim, & inter hos eſt menſis Auguſtus, adeoque hic aſſumendi dies 12. Dimidium autem duodecim menſium ab Aprili uſque ad Martium incluſive, una cum triceſimis primis ſex menſium dierum 31, dant, juxta quinti modi computum, etiam dies 12. Adeoque hoc in caſu hic Computus (æque ac quinti modi Computus) non procedit, ſed uno die in exceſſu ſumma collecta peccat: colligit enim 33 + 12, hoc eſt 45, cum deberet colligere 44, ut, demptis 30, remaneret 14a Luna, ut oportet.

Cauſa autem erroris in hoc Computo eſt intercurrens menſis Februarius dierum 28. Adeoque hic Epactis binario minutis, uti debuiſſet.

LXXIX.

De Computo Lunari.

Modus octavus, a S. Maximo propoſitus Computi P. 3a C. 8.

1°,

Methodus inveniendi ætatem Lunæ in die dato, datis Epactis iſtius anni.

Sumimus Epactas Lunæ,
Et dies a Kalendis Aprilis uſque ad menſem datum (excluſive)
Et quotam menſis (datam)
Summam partimur per 29½.

2°, *Ob-*

2°,

Observatio.

Hæc eſt ipſa Maximi methodus, quam Computi Parte 1ª C. 28. propoſuerat.

L X X X.

Ad Temporum putationem et summam, *quæ Computo Maximi ſubjungitur, ad finem Partis* 3ª.

Partis 3ª Capiti 11° ſubjungitur brevis Chronologia ſeu potius Canon Chronicus, ab Adamo uſque ad Conſtantinum & Romanum.

Quæ inſcribitur Χρόνων ἀρίθμησις καὶ ὁμάς, hoc eſt, *Temporum numeratio*, *& ſumma*; quia hæc Chronologia diſponitur per annos expanſos & collectos, hoc eſt, quia & anni vitæ vel Imperii ſingulorum numerantur & proponuntur, & deinde per continuatam additionem in ſummam colliguntur.

Quæritur an ſit Maximi Opus?

Rationes dubitandi ſunt:

1ª, Quod ex abrupto ſubjungatur; & quod Maximus in toto ſuo Computo Paſchali nullibi moneat, ſe talem temporum putationem ſubjuncturum, neque ad eam ullibi provocet.

2ª, Quod hæc temporum putatio ſe extendat uſque ad initium Imperii Conſtantini & Romani, anno Mundi 6413°, & quod Maximus hunc Computum Paſchalem ſcripſerit anno XXXI° Imperii Heraclii, anno Mundi 6133°.

Rationes Maximo adjudicandi ſunt:

1ª, Quod in MS° Vaticano, ex quo Petavius hunc Computum Maximi Paſchalem edidit, illi ſubjungebatur, ut ipſius.

2ª, Quod omnibus Temporum Notis in Computo Paſchali a Maximo memoratis, ejuſque computandi rationi apprime conveniat.

Reſponſio ad rationes dubitandi eſt.

Ad 1am, Quod illa tanti non ſit, ut propterea Maximo abjudicetur, præſertim, quia præcedentis operis ſcopus non erat temporum rationem,

ſed Cyclos Paſchales, eorumque uſum explicare: quia autem Æram Mundi, ſuo tempore receptam, hinc inde Cyclis Paſchalibus illigarat, voluit in fine adjicere brevem temporum putationem, per annos expanſos, & collectos, ab Adam uſque ad ſuam ætatem.

Ad 2am, Quod ea, quæ ætatem Maximi excedunt, a poſteriori manu ſint addita, qui hoc opus Maximi in ſuos forte uſus deſcribens, hanc temporum putationem ulterius ad ſuam ætatem continuavit. Quod in hujusmodi temporum putationibus plane inſolens non eſt: plura enim exempla continuationum in antiquis Chronicis, & Chronologiis ſuppetunt. Rationes præcipuæ, quæ hanc conjecturam admodum probabilem reddunt, ſunt: Prima quod in ea parte, quam conjicio Continuatoris, unius vel plurium, eſſe, non tantum anni completi Imperatorum numerentur, ſed etiam menſes, quibus ultra annos completos regnarunt, quandoque adjiciantur; cujus rei nullum veſtigium in prima parte ab Adamo ad Heraclium. Secunda, quod enumerationem Periodorum, 532 annorum, jam elapſorum, a Maximo factam, & huic temporum putationi in fine adjectam, reliquerit intactam; cum tamen tempore Conſtantini & Romani anno Mundi 6413°, non XI tantum, ſed XII Periodi tales jam elapſæ eſſent. Tertia, quod in ultima parte anni tantum expanſi, non itidem collecti compareant. Quarta, quod in *Explicatione ſubjectorum Capitum &c.* quæ temporum putationi & ſummæ ſubjungitur p. 357. reperiantur varia notabilia hiſtorica, quæ ab Adamo uſque ad ætatem Maximi contigerunt, nihil autem quod ætatem Maximi excedit; ita ut Continuatoris manus huc non acceſſerit.

Obſervationes variæ.

1a, Ab anno Mundi 5501°, Auguſti 43° in quo collocat Incarnationem Chriſti, uſque ad annum Mundi 5777um, Diocletiani 1um numerantur tantum (terminis incluſis) anni 277.

2a, Ab anno Mundi 5777°, Diocletiani 1° uſque ad annum Mundi 6133um, Heraclii 31um, numerat tantum annos 357.

3a, Ab anno Mundi 5501°, Chriſti 1°, uſque ad annum Mundi 6133um, Heraclii 31um, per continuatam ſeriem Imperatorum, & annos regni ſingulorum expanſos & collectos, numerat tantum annos 633.

4a, Adeoque in Æra Mundana Maximi nulla talis X annorum mutilatio apparet, qualem ſtatuit Pagi in Diſſ. de Periodo Græco-Romana.

5a, Adeoque annus Incarnationis juxta Chronologiam Maximi connectitur

nectitur cum anno Æræ Vulgaris 9° ; nam annus Heraclii 31us a seq. Januario concurrit cum anno Æræ Vulg. 641, a quo, si auferas annos 632, pervenies ad annum Æræ Vulgaris 9um concurrentem cum anno Incarnationis, juxta Maximum, 1°.

6a, Periodos 532 annorum facit continuata serie decurrere ab anno ab Adam 1°, & Xam facit desinere anno ab Adam 5320°, atque XIam, anno ab Adam 5852°, unde confirmatur id, quod Observatione 4a jam notavi.

LXXXI.

Ad EXPLICATIONEM SUBJECTORUM CAPITUM QUANDO ET SUB QUO UNUMQUODQUE CONTIGIT.

Post *temporum putationem & summam* subjungitur δήλωσις, *Indicatio quorundam* κεφαλαίων, *Capitum*, (hoc est, Rerum in Historia notabilium, quæ in temporum putatione Epochas illustriores faciunt, unde tanquam a Capite annorum numeratio deducitur, & temporis designatio fieri solet) *quando*, hoc est, quoto a Mundo condito anno, *& sub quo*, hoc est, quoto hujus vel illius vitæ, vel regni anno, *unumquodque contigit*.

Hæc δήλωσις Capitum historicorum, cum præcedenti Chronologia, seu temporum putatione & summa ab Adam, & cum omnibus characteribus temporis & Epochis, in Computo Paschali a Maximo memoratis, exacte convenit.

Et, quod jam §° præcedente monui, ad ætatem Maximi usque deducitur, sed eam non excedit.

Unde nullus dubito, quin hæc δήλωσις κεφαλαίων historicorum, æque ac præcedens χρόνων ἀρίθμησις καὶ ὁμὰς (licet a posteriori manu continuata) sit ipsius Maximi opus.

Insigniora Capita historica, a Maximo indicata, nunc notanda sunt sequentia.

1um, *In anno 2° Imperii Augusti Cæsaris Indictiones cœperunt* ψηφίζεσθαι; *erat autem annorum ab Adam* 5460us. Confer Part. 1a Cap. 33um. Ergo anno Mundi 5460°, Augusti 2°, Indictio Ia.

 Ergo

Ergo anno Mundi 5501°, Augusti 43°, Indictio XII°.

Loquitur hic de Indictionibus, quarum cursus & usus suo tempore obtinebat, ut res ipsa clamat.

2^{um}, *In anno 43° ipsius* (Augusti) γεννᾶται *nascitur Christus: erat autem annorum ab Adam* 5501^{us}. Confer Part. 1^{a} Cap. 32, 33, & 34.

3^{um}, *In anno 15° Imperii Tiberii in Jordane baptizatur: erat autem annorum ab Adam* 5530^{us}. Confer l. c.

Ergo baptizatus est Christus anno ætatis suæ 29° modo completo, vel mox complendo. Natus enim anno ab Adam 5501 exeunte, mensis Decemb. die 25°.

4^{um}, *In anno 19° ipsius* (Tiberii) *ad salutarem Passionem venit: erat autem annorum ab Adam* 5534^{us}. Confer l. c.

Ergo passus est anno vitæ suæ 32° completo, & 33° jam currente, & paucis mensibus in illo anno 33° elapsis.

O B-

OBSERVATIONES
IN
CHRONICON PASCHALE.

I.

De Auctore hujus Chronici.

QUis fuerit Auctor hujus Chronici ignoratur. De eo agit Carolus Du Fresne, D. Du Cange in Præfatione ad hoc Chronicon, §° 5, 6, 7, 8. In editione Paris. 1688. qua usus sum.

I I.

An sit unius Auctoris.

Du Fresne putat hoc Chronicon non ab uno eodemque Auctore esse elaboratum, sed primum Auctorem illud tantum perduxisse usque *ad annum Constantii* 17^um^, Christi 354^um^; p. 292: & deinde ab altero esse continuatum & interpolatum, atque ad annum Heraclii 20^um^ (& forte ad Heraclii 31^um^, nam in fine mutilum est) esse productum. *Id docemur* (inquit in Præfatione ad hoc Chronicon, §° 10.) *præsertim ex doctissimi Holstenii observationibus, quas Codici suo Chronici Alexandrini edito subinde affixerat, hisce ad prædictum annum Constantii, post hæc verba,* εἰδῶν Αὐγούστου, *adscriptis:* Hic desiit Auctor Chronici Paschalis, caetera sunt continuatoris.

Vellem, addidisset, quo fundamento hæc Holstenii observatio vel conjectura nitatur: nam in ipso opere, ad illum Constantii annum, p. 292, nullum indicium apparet, ibi primum Auctorem desinere, & Continuatorem incipere.

Fateor, ex iis, quæ Du Fresne ibidem addit, concludi posse, Holstenium habuisse Codicem MS. hujus Chronici, in quo hoc Chronicon tantum ad istum Constantii annum perducebatur, & in quo varia aberant, quæ in editione hujus Chronici Raderiana inserta reperiebantur, atque inde eum conjecisse primum hujus Chronici Auctorem in illo Constantii anno desiisse, ac cætera esse Continuatoris.

Sed an hoc fundamento hæc conjectura satis firmiter nitatur, judicent eruditi.

Potuit enim descriptor defatigatus ibi desinere, vel mutilo exemplari usus esse: & in describendo quædam, ut Compendium scriptionis faceret, vel aliam ob causam, omittere.

Facile tamen concesserim, hoc Chronicon, quale illud nunc habemus, non ab una eademque manu esse profectum: cujus rei indicia mihi visus sum deprehendisse, quæ in sequentibus producam.

Sed aliud est Chronicon, imprimis Paschale, continuare, quam illud insertis quibusdam observationibus, & factis historicis augere & interpolare.

III.

De ætate primi Auctoris sententia Caroli Du Fresne.

Inde ergo (inquit) *colligitur* (ex illa scilicet Holstenii observatione) *primum Auctorem Paschalii vixisse circa tempora Constantii, quibus adhuc vigebant de Paschalis Festivitatis die controversiæ.*

Haud firmiter, meo judicio, hoc colligitur: præsertim, cum in toto opere nullum indicium illarum controversiarum quæ tunc temporis vigebant: ne dicam tum statuendum fore, illam Æram Mundi, quæ ab Adam ad Constantini M. annum XXum, quo Concilium Nicænum celebratum est, computat annos 5834, jam tum, saltem apud Chronographos, obtinuisse.

IV. *De*

IV.

De ætate Continuatoris sententia Caroli du Fresne.

Quæ (sic pergit) *de Paschalis Festivitatis die controversiæ, cum recruduissent sub Heraclio, ut infra observamus* (§° XXIX) *occasionem alteri præbuerint, Paschale istud Chronicon pridem conscriptum, Scriptoris insistendo computisticæ rationi, ad sua usque tempora perducendi, atque adeo priorem hanc Editionem subinde interpolandi, dum sua vel aliena intermiscet.*

Et paulo post: *Quin porro Continuator Chronici sub Heraclio vixerit, negari fere non potest: Tum quod Libri titulus in Codice Vaticano, ac in Codd. Bibliothecæ Regis Catholici, illud in annum XX Heraclii, vel certe in illius tempora desinere innuat: Tum quod, quæ de eo Augusto, ejusque gestis narrantur, ac denique exscriptæ prolixiores Epistolæ ad Persarum Regem, vel Toparchas, atque adeo descriptorum in Actis Publicis ejus Imperii & Filii Constantini annorum, accurata notatio, & quod ipsum Heraclium, ἡμῶν βασιλέα vocet, id suadeat omnino.*

Prima hæc ratio non admodum magni momenti est: sed altera admodum probabilis, si non decisiva est.

Fallitur autem in eo, dum dicit Continuatorem insistere computisticæ rationi primi Auctoris, sub Constantio viventis: nam illa computistica ratio, quæ per primam Operis partem imprimis regnat, propria est illius Auctoris, qui sub Heraclio vixit; ut ex Præfatione Chronographi patet.

Adde his duabus rationibus hanc 3^am^, quod Auctor omnium præcedentium Imperatorum annos expansos & collectos exhibet, Heraclii autem non item; unde recte colligitur eum Heraclio adhuc vivente & regnante scripsisse, cur enim alias p. 383. non æque ac semper in præcedentibus scripsisset, imperavit Heraclius annos 31, colliguntur anni 6150.

V.

Ad Præfat. Auctoris Chronico Paschali præmissam, p. 1—18.

Hac Præfatione agit de Paschate, & Computo Paschali, & iis, quæ eo pertinent: estque introductio quasi ad Πασχάλιον, seu Chronicon Paschale.

Continet hæc Præfatio varias partes de quibus in sequentibus distincte agam.

VI. *Ad*

V I.

Ad 1^am Præfationis partem.

In 1^a Præfationis parte, quæ ſe extendit a pag. 1^a — 7^am, oſtendit, imprimis ex Patrum teſtimoniis & ratiociniis,

1°, Quod Judæi, uſque ad excidium Hieroſolymitanum, in Computo Paſchali non erraverint, ſed Lunam XIV^am primi menſis recte ſtatuerint, ac Paſcha legale ſuo tempore celebraverint.

Hoc probat

a. Fuſe ex ſcripto *Petri Epiſcopi Alexandrini & Martyris*, qui anno 300 Theonæ in Epiſcopatu Alexandrino ſucceſſit, & anno Chriſti 311 Martyrium ſubiit: teſte Cave p. 80.

b. Breviter ex *Athanaſii Epiſcopi Alexandrini* Epiſtola ad Epiphanium Epiſcopum p. 4^a.

Deinde ſic concludit: *Quod igitur uſque ad Dominicam Paſſionem, imo vero & ad ultimum excidium Hieroſolymorum, quod contigit ſub Veſpaſiano Romanorum Imperatore, abſque errore ſtatuens XIV^am primi menſis Lunæ Iſraëliticus populus Legale celebrabat Paſcha, per ea breviter demonſtratum eſt.*

2°, Quod Chriſtus eo anno & tempore, quo paſſus eſt, Legale & Typicum Paſcha non celebraverit, & agnum Paſchalem cum diſcipulis non comederit; ſed quod ipſe, ut verus agnus Paſchalis, paſſus, & pro nobis immolatus ſit; in umbratilis Paſchatis Feſtivitate, in die Paraſceves, ipſa XIV^a primi menſis Lunæ; quo die Judæi erant manducaturi Paſcha ad veſperam.

Hoc probat

a. Ex Teſtimonio S. Scripturæ. ex Johannis Evangelio C. 18: 28. C. 19: 14, & 31. & ex dicto Pauli 1 Cor. 5: 7. Ex quibus ita argumentatur: *Si populus (Iſraëliticus) iſtis temporibus, abſque errore ſtatuens XIV^am primi menſis Lunæ, Legale celebravit Paſcha, ipſo autem Paſchatis die, ſeu XIV^a primi menſis, cum Paraſceve eſſet, crucifixerunt Chriſtum Judæi, & tunc Paſcha manducaverunt, juxta Evangelia & SS. Patrum doctrinam evidens eſt, quod non comedit Legalem agnum in iſto die Dominus, ſed ipſe paſſus ſit, ut verus agnus.*

b. Ex Teſtimoniis Patrum: de quibus dicit πολλῆς ἡ ἔσης τῆς περὶ

τέτε

τούτου σὺν ἀποδείξει μαρτυρίας τῶν ἁγίων τῆς Ἐκκλησίας διδασκάλων, ΟΛΙΓΑΣ ΦΩΝΑΣ ΑΥΤΩΝ ΕΝΤΑΥΘΕΝ ΠΑΡΟΙΣΟΜΕΝ, ἐν αἷς σαφῶς λέγουσι, ὅτι ἐν ᾧ καιρῷ ἔπαθεν ὁ κύριος τὸν νομικὸν οὐκ ἔφαγεν ἀμνόν. Verba, quæ lineâ ſubducuntur, ita vertit interpres, *quæ paucis verbis dixere hic conſulto omittimus*, contra mentem, ut mihi videtur, Auctoris, cum potius hoc velit, ſe ex multis teſtimoniis Eccleſiæ Doctorum, qui hoc teſtati ſunt σὺν ἀποδείξει, tantum paucos teſtes velle adducere, & eorum teſtimonia, absque eorum fuſiori ἀποδείξει, breviter proponere, in quibus perſpicue dicunt, quod &c. Teſtimonia autem adducit.

1°, Ex *Hippolyti Martyris, portus prope Romam Epiſcopi*, ſcripto adverſus omnes hæreſes: & ex ejus Libro 1° ſcripti de S. Paſchate.

2°, Ex *Apollinarii Hierapoleos Epiſcopi*, qui Apoſtolicis temporibus prope fuit, *Libro de Paſchate*, ἐν τῷ περὶ τοῦ Πάσχα λόγῳ. ex quo duo loca adducit.

3°, Ex *Clementis Alexandrini ſermone* (λόγῳ) *de Paſchate.*

Deinde ſic concludit, *quod igitur eo, quo paſſus eſt tempore Dominus & Salvator noſter, legalem & umbratilem agnum non comederit, ſed, ut verus agnus pro nobis mactatus ſit in die Paraſceves, XIV*[a] *primi menſis Lunæ*, (non tantum ex Evangelio, ſed) *etiam per hæc* (patrum teſtimonia) *manifeſtum factum eſt.*

VII.

Obſervationes quædam ad præcedentem §[um] *&* 1[am] *Præfationis partem.*

1[a], Quia primum in hac Præfatione teſtimonium erat Petri Alexandrini Epiſcopi & Martyris, ex ejus ſcripto de Paſchate: Hinc quidam inconſideranter totam hanc Præfationem ipſi adſcripſerunt, ac ſi eſſet Petri Alexandrini Epiſcopi & Martyris diatriba de Paſchate: quod etiam monet Petavius, qui primus hanc Præfationem vulgavit Græce, in Uranologio p. 396, ubi incipit ab his verbis εἴτε οὖν σφαλλόμενοι Ἰουδαῖοι &c., & deſinit in illis verbis ἐκκείσθω λοιπὸν καὶ ἡ ἔκθεσις τῆς κατὰ φύσιν ιθ' ἐτηρίδος τῆς σελήνης; quæ in editione Pariſiana in fine p. 14 reperiuntur, quanquam illa Rota, quæ p. 13. in editione Pariſina exhibetur, quæque Cyclum Solis exhibet, in editione Petavii non inveniatur. Petavius autem illud ſcriptum, quod edebat, & quod ab Andrea Schotto,

una cum Andreæ Cretenſis Computo, ex Bibliotheca Vaticana deſcriptum, acceperat, vocat *Anonymi cujusdam diatribam de Paſchate*; ignorans illud eſſe Auctoris Chronici Paſchalis.

2ª, In Editione Pariſiana hæc Præfatio non tantum in fine, de quo poſtea, ſed etiam in initio auctior eſt, quam in Petaviana: nam illa verba, a quibus Petaviana editio incipit, inveniuntur demum p. 3ª in initio. Præterea in editione Pariſiana illud augmentum, quo in initio hæc præfatio augetur, duobus in locis mutilum eſt, ut inſpicienti patet: in primo loco pauca verba videntur deëſſe, quæ tamen ſenſum vix turbant, in altero loco plura videntur deëſſe, & ea quæ deſunt ſenſum & ſcopum magis turbant. Si conjecturæ locus ſit, ego rem ſic conciperem. Primam nempe hujus præfationis partem p. 1 & 2. uſque ad illa verba excluſive καὶ ἐν τούτῳ τῷ ῥητὸν λέγων διζομένην εἰς ον ἡμέραν τοῦ &c, non Petri Alexandrini verba, ſed ipſius Auctoris verba continere, in quibus 1° agit de conſtitutione & definitione primi menſis, & adductis verbis Dei ex Gen. 1. ita concludit ἐξέφανε (hoc eſt, *patefecit*, ſcilicet *Deus creator his verbis*, in quibus tempus vernum determinatur) τὸν παρ' Ἑβραίοις νομοθετηθέντα πρῶτον μῆνα. 2° Deinde monet hunc menſem a Judæis obſervatum fuiſſe uſque ad excidium Hieroſolymitanum: poſtea autem ab iisdem non curatum: a Chriſtianis vero ejus obſervantiam ſincere receptam fuiſſe, dum ſic pergit, ὃν (ſcilicet μῆνα) ἔγνωμεν πεφυλαγμένον παρὰ Ἰουδαίοις μέχρι τῆς ἁλώσεως Ἱερουσαλὴμ, διὰ τὸ μάλιστα Ἑβραίοις οὕτω παραδεδωκέναι: Μετὰ δὲ τὴν ἅλωσιν λεληρημένον κατά τινα καὶ ἐν τούτῳ πόρωσιν: ὅνπερ ἡμεῖς ἐνθέσμως καὶ εἰλικρινῶς ἐπιτηροῦντες παρελάβομεν.

Sequentem autem partem ab illis verbis, καὶ ἐν τούτῳ τῷ . . . ῥητὸν λέγων, &c. uſque ad illa verba p. 3, εἴτε οὖν σφαλλόμενοι Ἰουδαῖοι &c. continere teſtimonia duo ex Epiſtola Athanaſii Alexandrini Epiſcopi ad Epiphanium Epiſcopum, ab Auctore eum in finem adducta, ut probaret, quod modo dixerat, Judæos obſervationem primi menſis, poſt excidium Hieroſolymitanum, neglexiſſe, propter quandam, etiam hac in re, obdurationem cordis; cum e contra Chriſtiani eum menſem recte cuſtodire receperint. Fundamentum hujus conjecturæ eſt, quod Auctor eandem Athanaſii Epiſtolam p. 4. iterum allegans, dicat καὶ Ἀθανάσιος δὲ ὁ μέγας τῆς Ἀλεξανδρέων Ἐκκλησίας φωστὴρ ΕΝ ΤΗ ΜΝΗΜΟΝΕΥΘΕΙΣΗ πρὸς Ἐπιφάνιον ἐπίσκοπον ἐπιστολῇ &c. Unde patet Auctorem etiam antea in præcedentibus hujus Epiſtolæ meminiſſe, eamque allegaſſe.

Ulteriorem vero partem ab illis verbis, εἴτε οὖν σφαλλόμενοι Ἰουδαῖοι, &c. uſque

usque ad illa verba, p. 4ª, καὶ Ἀθανάσιος δὲ &c. continere verba Petri Alexandrini Episcopi & Martyris, ab Auctore adducta ad probandum quod dixerat, nempe mensem primum apud Judæos usque ad excidium Hierosolymitanum recte servatum esse: Fundamentum hujus conjecturæ est, quod in editione Petaviana, hæc verba immediate sequuntur hanc superscriptionem Πέτρου Ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας καὶ Μάρτυρος, ὅτι ἀπλανῶς ἔπραξαν Ἑβραῖοι τὴν ιδʹ τοῦ αʹ μηνὸς τῆς σελήνης ἕως τῆς ἁλώσεως τῶν Ἱεροσολύμων. unde videtur sequi descriptorem istius MS[ti], ex quo editio Petaviana prodiit, hæc ita in Codice Bibliothecæ Vaticanæ reperiisse: ac proinde præcedentia non pertinere ad testimonium ex Petro Alexandrino adductum. Car. Du Fresne autem qui editionem Parisinam nobis dedit, Codicem Vaticanum ipse non vidit, sed ea, quæ in Petaviana deërant, ab aliis descripta accepit, & quia putavit hanc superscriptionem editionis Petavianæ, totius Præfationis superscriptionem esse, eandem loco movit & initio posuit; hæc mea conjectura est, de qua ipsius Codicis Vaticani inspectio testari poterit.

3ª, Allegans locum Joh. C. 19: 14, verba sic citat, ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη, & hæc addit: καθὼς τὰ ἀκριβῆ Βιβλία περιέχει, αὐτό τε τὸ ἰδιόχειρον τοῦ Εὐαγγελιστοῦ, ὅπερ μέχρι τοῦ νῦν πεφύλακται χάριτι Θεοῦ ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγιωτάτῃ Ἐκκλησίᾳ, καὶ ὑπὸ τῶν πιστῶν ἐκεῖσε προσκυνεῖται. Hæc eadem verba etiam in ipso Chronico repetuntur, p. 219.

VIII.

Observatio specialis ad §um 6um & partem præfationis 1am.

Primarius scopus est in hac 1ª præfationis parte, ostendere legitimam Lunam XIV[am] Paschalem tempore Passionis Christi, incidisse non in diem Jovis, sed in diem veneris:

Adeoque in hoc Chronico debet talis annus Passionis inveniri, in quo Luna XIVª Paschalis incidat in Parasceven seu Feriam VI[am].

Idque juxta Cyclum Lunarem decemnovalem, & progressum Lunarum XIV[arum] apud Christianos receptum.

IX.

Ad 2am præfationis partem.

In 2ª hujus præfationis parte, quæ se extendit a p. 7—13, historice narrat, & exponit.

 A. Qua

A. Qua occaſione Cyclus decemnovalis a patribus Nicænis conſtitutus ſit.

B. Qua occaſione Cyclus magnus Paſchalis inventus vel introductus fuerit.

C. Qua occaſione ad hoc ſuum Πασχάλιον condendum impulſus, & qua methodo illam rem exſecutus fuerit.

1um p. 7—9.
2um p. 9—10.
3um p. 10—13.

X.

Quod 1um *attinet, nempe conſtitutionem Cycli decemnov.*

1°, Dicit Chriſto paſſo in Legalis Paſchatis Feſto, hoc eſt, XIVa primi menſis Lunæ, & reſurgente tertio die, Septimanæ Feria Ia, ſeu Dominica, XVIa primi menſis Lunæ, in qua & manipulus (τὸ δράγμα) a Sacerdote offerri præcipitur, finem accepiſſe Typicum Paſcha, per adventum veri Paſchatis, in Chriſto ſcilicet.

2°, Addit: *Tunc igitur, ceſſato ſeu impleto Typico & umbratili Paſchate, incepit verum Sanctæ Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Paſcha: cujus in memoriam* (ſive *ad recordationem*) *quotannis Dei Eccleſia Sanctum Paſchatis Feſtum celebrat, abſque errore ſervans* (vel *obſervans*) *XIVam primi menſis, in qua Legale* (Paſcha) *celebrare præceptum fuit, poſt aſcenſum* (ἐπίβασιν) *diei in quo vernum Æquinoctium fieri Spiritus S. edocuit.*

3°, Exponit diſſenſionem de Paſchatis die ante Concilium Nicænum, quamquam ſe non admodum clare exprimat. Dicit *quod Eccleſiæ Doctores* τῆς Πάσχα διαφωνίαν οὐκ ἴσχυσαν, **datſe 't verſchil ontrent 't Paeſſchen geen meeſter waren**; quænam autem erat ἡ Πάσχα διαφωνία? *Hæc; an ſcilicet ſi XIVa primi menſis Lunæ inveniretur in die Dominica, in ſequenti Dominica ſanctum ex mortuis reſurrectionis Chriſti Dei noſtri Feſtum agere ſcilicet oporteret; & ſi in ſecunda, aut tertia, aut quarta, aut quinta Feria, aut Paraſceve, aut Sabbato (XIVa primi menſis Lunæ inveniretur, etiam in ſequenti Dominica ſanctum Reſurrectionis Feſtum agere oporteret: an vero, abſque tali dilatione, in quacunque Septimanæ die illa XIVa inveniretur.* Illud καὶ, quod in initio hujus Pericopæ occurrit, idem valet ac *ſed.* Et forte verba quædam ex hac Pericopa exciderunt.

4°, Oſtendit

4°, Oftendit quomodo hæc διαφωνία fub Conftantino M., per patres Nicænos fuerit compofita: & Cyclus decemnovalis conftitutus: tria hic dicit:

Primum, quod Patres Nicæni in Concilio a Conftantino congregati, unanimi confenfu ὅρον ἔθηκαν περὶ τοῦ Πάσχα. *definitionem de Pafchate fecerint ita ut* (ὥστε) *& qui ex Cœle-Syria erant, & omnes omnino, qui orthodoxam fidem fervant, veterem Romanæ & Alexandrinæ Ecclefiæ, & plurimarum* (πλειστῶν) *per totum orbem Ecclefiarum morem fecuti fint, & concorditer omnes in uno eodemque die* (Dominica fcilicet) *Pafcha celebravint.* Videntur itaque antea imprimis ii, qui ex Cœle-Syria erant diffenfiffe. ex mente Auctoris.

Alterum, quod Conftantinus edictis fuis hoc firmaverit, & omnibus injunxerit, ut huic Synodi decreto obedirent, fub pœna excommunicationis. *Quo facto* (inquit) *unusquifque S. Patrum, qui Nicææ convenerant, urbem fuam repetiit.*

Tertium, quod S. Patres (an in Concilio congregati, an poft Concilium, non adeo clare dicit) Cyclum decemnovalem ediderint verba ejus fic fonant: *Pacis autem & concordiæ, Sanctarum Ecclefiarum poft dogmatum* integritatem, *multam curam gerentes* (πολλὴν ποιούμενοι πρόνοιαν) *Sancti & Deiferi Ecclefiæ* Φωστῆρες *& Doctores, fcientes, quod Lunæ menfes non fimiliter omnes calculant, &* λογισάμενοι *ne forte etiam exinde alia quædam diffenfio & turba in Dei Ecclefiis enafceretur circa Sanctum & vivificum Pafcha, & talem diffenfionem* περιαναιρῆσαι *ftudentes, admirandum illum & infignem Cyclum Lunæ decemnovalem* (ἐννεακαιδεκαετηρίδα τῆς σελήνης) *Deo ita infpirante* (θεοπνεύστως) *ediderunt*, (ἐξέθεντο) *oftendentem in unoquoque anno, in quo die duorum menfium, Martii, inquam, aut etiam Aprilis, invenitur quotannis, fecundum Ecclefiafticam Regulam, XIVa primi apud Hebræos menfis Lunæ, in qua Legale Pafcha celebrari præceptum fuit; hæc olim & ab initio* ἀγράφως *quidem,* ἀπλανῶς *autem continentem* (κρατήσαντα) ΕΓΓΡΑΦΩΣ ΚΥΡΩΣΑΝΤΕΣ, *ita ut hæc cognofcentes pietatis alumni, & immobiliter obfervantes, in pace celebrarent fanctum & redemptorium noftrum Pafcha magni Dei & Servatoris Jefu Chrifti.* Supponit hic Author Cyclum decemnovalem jam ante Concilium Nicænum, imo jam ab initio in Ecclefia in ufu & adhibitum fuiffe.

XI.

Observatio specialis ad praecedentem §^{um}.

Hinc confirmatur, quod dixi §° 8°, auctorem in ea esse sententia, Cyclum decemnovalem debere in anno Passionis Christi exhibere Lunam XIV^{am} illo die Veneris, quo Christus passus est.

XII.

Quod 2^{dum} attinet, introductionem scilicet Cycli 532 annorum.

1°, Dicit, illum Cyclum decemnovalem, a S. Patribus editum, omnibus recte sentientibus sufficere; quia, cognita ex illo Cyclo quotannis Luna XIV^{a} in quem diem Martii aut Aprilis, & in quam Septimanæ Feriam illa incidit, & *cognita definitione in Concilio Nicæno facta*, nempe Pascha die Dominica quæ Lunam XIV^{am} sequitur, celebrandum esse, adeoque si incidat illa Luna XIV^{a} in diem Dominicam, in sequenti Dominica Pascha esse celebrandum, aut si incidat in aliam quamcunque Feriam etiam in sequenti Dominicâ esse celebrandum, quivis facile cognoscere potest quotannis in quoto die mensis Martii aut Aprilis Ecclesia salutare Pascha celebrabit.

Auctor hic *Concilio Nicæno tribuit hoc decretum*, non tantum Pascha celebrandum esse die Dominica, sed etiam illud celebrandum Luna XV^{a} usque ad XXI^{am}: quod in versione hujus Pericopæ Latina non apparet; & tamen clare continetur illis verbis, καὶ ἐπιστάμενος τὸν ὅρον τὸν τεθέντα, ὅτι ἐὰν &c. nam p 8 de patribus Nicænis dixerat, ὅρον τε ἔθηκαν συμφώνως ἅπαντες περὶ τοῦ Πάσχα.

2°, Sed addit quosdam edidisse Cyclum quinque Enneadecaëteridum seu XCV annorum, & asseruisse inconsideranter eum in orbem redire, non tantum ratione Lunarum XIV^{arum}, sed etiam ratione Feriarum. Et subjungit simpliciores quosdam, illud credentes, hunc Cyclum XCV annorum, non solum in Libris descripsisse, sed etiam (*NB*) *in Tabulis in pluribus Ecclesiis reposuisse:* Idque gentilibus, Judæis, & hæreticis ludibrio fuisse.

3°, Subjungit, hac occasione, quosdam Catholicorum, justa de causa, excitatos fuisse, ad eorum, qui hunc Cyclum XCV annorum con-

construxerant, sententiam redarguendam, & probandum non hunc Cyclum XCV annorum, sed tantum Periodum DXXXII annorum hoc præstare, ut non tantum Lunæ XIVæ, sed & Feriæ in orbem reducantur. Quo cognito, inquit, *multi Cyclos Paschales DXXXII descripserunt*, (ἀνέγραψαν.)

XIII.

Observationes quædam ad præcedentem §um.

1o, Loquitur hic de quibusdam, qui Cyclum XCV annorum construxerunt: non invenio hoc factum, nisi a Cyrillo Alexandrino, & qui eum continuavit Dionysio exiguo, & denique qui rursus Dionysium continuavit, Isidoro Hispalensi.

2a, Tribuit illis, quod putaverint Cyclum illum XCV annorum, non tantum Lunas XIVas, sed & Ferias in orbem reducere: in quo Auctor fallitur, cum nec Cyrillus, nec Dionysius hoc putaverit, ut ex eorum scriptis patet.

3a, Dicit Cyclos illos XCV annorum etiam in Tabulis in pluribus Ecclesiis repositos fuisse: cujus rei exemplum habemus in Cyclo Dionysiano Ravennatensi, in Tabula lapidea descripto, & in Ecclesia Ravennatensi reposito, quem edidit Henr. Noris.

4a, Non dicit, tunc primum Cyclum 532 annorum inventum fuisse, sed dicit tunc eum *introductum* fuisse, & invaluisse.

XIV.

Observatio specialis ad paragraphum 12um.

Hinc patet Auctorem hujus Præfationis scripsisse post editum a Cyrillo, & deinde a Dionysio Cyclum XCV annorum; Cyrillus autem suum Cyclum XCV annorum edidit circa annum Christi 437, Dionysius vero suum anno 525.

Adeoque qui hanc Præfationem scripsit non vixit sub Constantio Constantini M. Filio, sed multo serius.

XV.

Quod 3tium attinet conſtructionem hujus Παχαλίυ.

1°, Exponit, qua occaſione ad hoc ſuum Παχάλιον condendum fuerit impulſus. p. 10 & 11.

a. Dicit multos quidem deſcripſiſſe & adhibuiſſe Cyclum 532 annorum, ſed miſcuiſſe cum veritate mendacium: quos deinde in duo genera diſtinguit.

Primum genus erat eorum, qui Lunas XIVas non ſervarunt immobiles in iis diebus, in quibus affixæ erant a S. Patribus in Cyclo decemnovali ab illis edito: Sed proprios Cyclos decemnovales conſtruxerunt, contrarios illi, qui ab inſpiratis a Deo Doctoribus editus erat; & ſic Cyclos DXXXII annorum compoſuerunt. *Quibus* (inquit) *quidam adhærentes, & Eccleſiaſticam de ſalutari Paſchate Regulam ignorantes, fruſtra ſæpius turbantur, putantes erronëe celebrari Paſcha in Sancta Dei Eccleſia.* Videtur reſpicere ad Cyclum Victorii, & Romanos, qui illi adhærebant, quique ignorantes illam Regulam Eccleſiaſticam Græcorum, Paſcha celebrandum a Luna XVa ad XXIam, turbabantur ſæpius, putantes Paſcha in Eccleſia Græca erronëe celebrari: & forte etiam reſpicit alios mihi hactenus incognitos. forte etiam ad eos, qui labem Cycli animadvertentes, eum corrigere volebant, & accuratiorem Lunarum XIVarum calculum venditabant, ut undecuplatores, quorum Maximus, & Metrodorus, cujus Photius meminit, aliique nobis incogniti.

Alterum genus erat eorum qui Lunas XIVas quidem ſervabant immobiles, in diebus illis, in quibus affixæ erant in Cyclo decemnovali a præclaris illis Eccleſiæ Doctoribus, & ſic Cyclum 532 annorum ordinabant, & conſentiebant Eccleſiaſticæ de S. Paſchate Regulæ, ſecundum quam Eccleſia vivificum Paſcha celebravit, celebrat, & celebrabit: annos autem apponebant in Cyclo DXXXII annorum, τὺς τε a Mundi creatione, τὺς τε ab Incarnatione Chriſti, τὺς τε ab ejus reſurrectione ex mortuis, ἀσυμφώνυς (non conſonos) divinæ Scripturæ, & Eccleſiaſticæ Regulæ. & rerum naturæ. *Cui*, inquit, *quidam adhærentes, circa Paſchale Feſtum quidem non falluntur, ſed cum Eccleſia Catholica conſentiunt, circa alia autem Feſta, quæ in Eccleſia celebrabantur, maxime errant. Videlicet circa*

Feſtum

Festum		*quod Ecclesia celebrat*
Nativitatis Christi	. . .	*Dec.* 25.
Annunciatio Mariæ	. . .	*Mart.* 25.
Nativ. Joh. Bapt.		*Junii* 24.
Occursus Domini	. . .	*Febr.* 2.

Hos ergo, qui descripserunt (inquit) *hunc ita constructum* (κατασκευασθέντα) *Cyclum* 532 *annorum, sequentes quidam* τ̃ κουφοτέρων, *& veritatem illis* (*esse*) *putantes, valde audacter & proterve reprehendunt sanctas ubique Ecclesias, quæ in dictis diebus memorata Festa celebrant.*

b. Dicit, se propterea hoc opus aggressum esse, ut huic defectui obviam iret:

Quandoquidem (inquit) *non invenimus a quoquam descriptum Paschalem Cyclum* 532 *annorum, per omnia consonum divinæ Scripturæ, ac Festis, quæ inculpate in S. Dei Ecclesia celebrantur, sed cognovimus in uno, vel pluribus, vel etiam in omnibus Festis Sanctæ Dei Ecclesiæ, dissonos, & contrarios esse, & turbas & scandala pietatis alumnis præbere Paschales Cyclos a quibusdam descriptos.*

Necessarium duximus describere Cyclum Paschalem 532 *annorum, per omnia concinentem divinis Scripturis, & absque errore traditis a S. Patribus & recte celebratis Festis in Sanctis ubivis Dei Ecclesiis, tam ad nostram, quam eorum, qui hæc legent utilitatem, atque ad pacem & concordiam Ecclesiarum, &c.*

2°, Exponit quomodo & qua methodo hoc *exsecutus fuerit*, vel, *exsequetur*, & talem Cyclum Paschal., seu tale Paschalion condiderit. p. 12, 13.

a. *Præfigemus* (προτάξομεν) (inquit) *Paschalis vel Festivalis Cycli DXXXII annorum*, τ̃ κτ̃ φύσιν Ὀκτωκαιεικοσαετηρίδα τ̃ ἡλίου (*Cyclum naturalem vigintioctoannalem Solis*) *qui incipiens una cum creatione* (γενέσει) *luminarium* (φωστήρων) *in se ipsum semper revolutus, ostendit in unoquoque anno Epactas Solis,* ἀποκαθιστικὴ τυγχάνουσα (*reducens, vel redire faciens*) *dies* (eosdem scilicet, qui ante XXVIII annos fuerant) *mensis Solaris, & dies hebdomadis, & annos Tetraëteridis Bissextiles.*

b. *Præterea proponemus* (ἔκθεσιν δηλώσομεν) *Cyclum naturalem decemnovalem Lunæ, qui etiam ipse incipiens una cum creatione luminarium, in se ipsum revolutus, ostendit in unoquoque anno, secundum Ecclesiasticam Regulam, XIV*am *primi mensis Lunæ, in qua legale Pascha celebrari præceptum fuit, & quotæ sunt in unoquoque anno Epactæ Lunæ, qui Cyclus decemnovalis reducit vel redire facit dies* (eosdem scilicet, qui ante XIX annos fuerant) *mensis Solaris, & dies mensis Lunaris.*

 c. *De-*

c. *Decursum etiam temporum seu annorum*, τ̃ ἀπὸ ἀρχῆς κτίσεως κόσμου, *faciemus:* hoc est, Canonem Chronologicum, seu æram a Mundo condito construemus.

d. *Methodos etiam trademus, quibus, sumentes annos Mundi, quivis cognoscere poterit, in singulis quæsitis annis*

* *Quotus sit annus Cycli Solis XXVIII annorum.*

* *Quotæ sint Solis Epactæ.*

* *In quam Feriam Septimanæ incidit quilibet cujuslibet mensis dies.*

* *Quotæ vel quot sint Lunæ Epactæ.*

* *In quoto die Martii vel Aprilis invenitur secundum Ecclesiasticam Regulam XIV^a primi mensis Lunæ.*

e. * *His enim omnibus præindicatis perspicue demonstrabimus,*

Quoto Mundi, & Cycli Solis, & Cycli Lunæ anno contigit

Annunciatio Zachariæ facta de Conceptione Johannis Baptistæ,

Annunciatio Virgini Mariæ facta de Conceptione Servatoris J. C.

Baptismus Christi in Jordane a Johanne Baptista peractus,

Crucifixio Christi.

Atque sic porro, incipientes Paschalem Cyclum ab eo anno, in quo vivificam mortem passus in carne pro nobis Christus verus Deus noster resurrexit ex mortuis tertio die, ostendemus (παρασήσομεν,) *in quoto anno Mundi impletus sit primus Paschalis Cyclus DXXXII annorum Ecclesiastici Paschatis; & unde incipit secundus Cyclus sancti & vivifici Paschatis; adponente annos a Mundo condito* φανέντας (hoc est, *elapsos*, die verschenen jyn) *cum multa inquisitione veritatis, qualem veritatis inquisitio requirit.*

Hæc omnia (sic tandem concludit) *cognoscens aliquis, inveniet quod recte & inculpate memorata,* μικρῷ πρόσθεν, *Festa celebrat Sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia.*

X V I.

Observationes quædam ad præcedentem §^um.

1^a, Quod hoc in aliis carpat, quod Lunas XIV^as a S. Patribus constitutas non servaverint immobiles in illis diebus, quibus a S. Patribus affixæ erant:

Adeoque ipse eas immobiliter servat; quod etiam ex toto ejus ratiocinio patet.

Hoc autem probe notandum.

2^a, Quod in aliorum Periodis 532 annorum, hoc carpat, quod tales annos

annos vel a Mundo condito, vel a Christo nato, vel a resurrectione Christi adponebant, qui non consonabant

a. Divinæ Scripturæ, tum ratione historiæ, tum imprimis ratione characterum, qui concernunt tempora & annos Christi, & Paschata tempore Christi celebrata.

b. Ecclesiasticæ Regulæ, dum non prodebant Lunas XIV^as & Festa alia suo & justo tempore.

c. Rerum naturæ, dum tempus & Æram nativitatis Christi non recte statuebant, dum non dabant tot annos vitæ, quot dari oporteret, dum non dabant justum interstitium inter annunciationem Zachariæ de conceptione Joh. Bapt. factam, & ejus nativitatem, & in genere dum Synchronismum cum historiis gentium non observabant.

3^a, De Auctoris Cyclo Solis & Lunæ, & de methodo ad inveniendam ætatem Lunæ, & Feriam in sequentibus agam. Vide

4^a, Hoc tantum nunc observo, ipsum describere Cyclum Solis & Lunæ κτ̀ φύσιν, qui incipiant a luminarium ortu seu creatione: & methodos ab eo traditas procedere, *sumptis annis a Mundo condito.* Adeoque Auctorem hujus Præfationis esse quoque auctorem Æræ Mundanæ, & computisticæ rationis, quæ in hoc Chronico regnat.

XVII.

Observatio specialis 1^a *ad paragraphum* 15^um.

Vixit hujus Præfationis Auctor postquam varii Cycli DXXXII annorum jam invaluerant:

Et in specie postquam Cyclus 1^us, a Christi resurrectione incipiens, jam completus erat, adeoque post annum a Christo nato 565.

XVIII.

Observatio specialis 2^a *ad paragraphum* 15^um.

Hic Cyclus Paschalis debet esse diversus ab omnibus Cyclis Paschalibus 532 annorum, qui hunc præcesserat, & Æra Mundana, ut & Æra nativitatis, vel resurrectionis Christi illi innexa, debet esse diversa a præcedentibus.

Et in specie hic Cyclus Paschalis, cum Æris illi connexis, debet ita esse comparatus ex scopo authoris, ut concinat divinis Scripturis & Festis in Ecclesia celebratis.

X I X.

Quæritur quid Feſtis, quæ ſtatis diebus in Eccleſia affixa erant commune ſit cum Cyclo Paſchali.

Reſpondetur primo Feſtum Nativitatis Chriſti, affixum diei Dec. 25, præſupponere Feſtum nativitatis Joh. Bapt., ante 6 menſes, affixum diei Junii 24, & Feſtum annunciationis Mariæ, ſeu conceptionis Chriſti, ante 9 menſes, affixum diei Mart. 25. & iterum Feſtum annunciationis Mariæ ſeu conceptionis Chriſti, affixum diei 25 Martii præſupponere 6 menſes uſque ad conceptionem Joh. Baptiſtæ, & aliquot dies amplius uſque ad annunciationem Zachariæ factam de conceptione Joh. Bapt., quam annunciationem ſtatuebant factam in ſeptimo ſecundum Hebræos menſe, in Feſto Judaico: Sex autem menſes, retro numerati a die Martii 25, ducunt ad diem Sept. 25, qui erit dies conceptionis Joh. Baptiſtæ: ab illo die Sept. 25, debent iterum retro numerari uſque ad initium primi ſecundum Judæos menſis, ſex menſes plenos, & aliquot dies in menſe ſeptimo effluxos uſque ad illum in quo annunciatio Zachariæ facta eſt. Adeoque debet talis annus nativitatis Chriſti conſtitui, qui in anno præcedenti talem XIV^am^ primi menſis exhibet, quæ tale interſtitium temporis relinquit uſque ad Sept. 25. Confer §^um^ 107, unde patet, diem concept. Joh. Bapt. eſſe Sept. 24.

Reſpondetur ſecundo illos ſtatuiſſe reſurrectionem Chriſti factam die 25 Martii, quæ juxta auctorem incidit in Lunam XVI^am^: Vide §^um^ 8^um^. Debebat itaque annus crucifixionis habere Lunam XIV^am^ die Veneris in die Martii 23. Annus autem crucifixionis determinabat annum Baptiſmatis Chriſti per Paſchata intermedia, & annus Baptiſmatis determinabat annum Nativitatis Chriſti.

An autem Auctor his requiſitis ſatisfaciat, & quomodo, in ſequentibus videbimus.

X X.

Ad 3^am^ præfationis partem.

Tertia hujus præfationis pars exhibet

A. Cyclum Solis XXVIII annorum, in formam Rotæ diſpoſitum, cum explicatione illi inſcripta, p. 13, & monito illi addito p. 14.

B. Cyclum Lunæ decemnovalem, itidem in formam Rotæ diſpoſitum, cum explicatione illi inſcripta. p. 15.

XXI.

Schema Cycli Solis, qui describitur in Præfatione p. 13.

	anno Cycli Solis		
	1	II	VI
	2	III	VII
	3	IV	I
B.	4	VI	III
	5	VII	IV
	6	I	V
	7	II	VI
B.	8	IV	I
	9	V	II
	10	VI	III
	11	VII	IV
B.	12	II	VI
	13	III	VII
	14	IV	I
	15	V	II
B.	16	VII	IV
	17	I	V
	18	II	VI
	19	III	VII
B.	20	V	II
	21	VI	III
	22	VII	IV
	23	I	V
B.	24	III	VII
	25	IV	I
	26	V	II
	27	VI	III
B.	28	I	V

Confer §um 140um.

XXII.

Explicatio Cycli Solis Rotæ inſcripti.

Rota habet tres zonas.

Exterior zona exhibet annos Cycli Solis, ab I ad XXVIII.

Media indicat Epactas Solis, & itidem interior indicat Epactas Solis.

In Rotæ explicatione, quæ ei inſcripta eſt, hæc leguntur: Καὶ τὰ ἔσωθεν τοῦ τρόχου δηλοῦσιν τὸ εἰς ποίαν ἡμέραν ἐμβαίνει ὁ Μάρτιος μήν. hoc eſt, *& quæ intra Rotam, indicant in quam* (Septimanæ) *diem init Martius menſis.* Unde patet, vel mediam, vel interiorem Rotæ zonam indicare Epactas Solis Martii menſis diei 1° affixas, ſeu Septimanæ Feriam cum Martii die 1° concurrentem. An autem Epactæ Solis, quæ diei Martii 1° affiguntur, mediæ zonæ, an vero interiori zonæ inſcribantur, ex iis, quæ in Rotæ explicatione ei inſcripta leguntur, cognoſci non poteſt, quia tantummodo harum Epactarum ibidem mentio fit.

Antea quidem putabam, in media Rotæ zona inſcribi Epactas Solis diei Martii 1° affixas, ſeu Feriam Septimanæ cum Martii die 1° concurrentem. Sed erronëe. Quod corrigitur infra §° 140, 141, 142.

Extra Rotam, ad zonæ exterioris marginem, adſcribitur nota anni biſſextilis, B', ad Cycli annum 4um, 8um, 12um, &c.

XXIII.

Obſervatio ad Cyclum Solis §° 21° deſcriptum.

Hic Cyclus Solis admodum diverſus ab illo Cyclo Solis, quo uſus eſt Auctor in Chronico in Computo ad inveniendam Feriam, & cujus annos aliquoties exprimit in Computo Paſchatum tempore Chriſti: Quod etiam ex Schemate præcedente patet, & ex iis, quæ in ſequentibus dicentur, ulterius patebit.

Neque hujus Cycli uſum ullibi per totum hoc Chronicon obſervavi: niſi forte p. 381, ubi mentio fit, in calculo, Feriæ in quâ Martius menſis init; quod tamen ulterius examinandum erit.

Hæc ſupra dicta illuſtrantur infra §° 143°.

XXIV.

Obſervatio ad explicationem Rotæ inſcriptam ad §um 22um.

Poſtquam dictum erat Biſſextos VII inveniri in toto Cyclo XXVIII annorum; hæc adduntur καὶ γὰρ τὸ τοιαύτην τετραετίαν ἔχεις καὶ ἐφοδρεῖν ἡμέρας

ἕως κθ´ (in Feb. ſcilicet) ἐκ τῆς συνάξεως τῆ καθ' ἔτος περιττευόντων ὀρῶν τελῶν. Loco τελῶν lege ἑξ, vel potius intellige horas duplices, quales memorat Epiphanius in deſcript. Cycli LXXXIV annorum.

* Non reſpiciunt Epactas in zonis deſcriptas, ſed æque ac ea, quæ ibi immediate præcedunt, ſimpliciter inſerviunt ad rationem diei biſſextilis, unoquoque quarto anno recurrentis, explicandum.

XXV.

Monitum ad Cyclum Solis, quod ſubjungitur p. 14ª.

Monitum, quod ſubjungitur, duplex eſt:

1um reſpicit *Epactas Solis.*

Sciendum (inquit) *eſt, quod in* γενέσει τῶ φωστήρων, *ſeu in initio conſtructionis Mundi, primus annus* τῆ κη´ φύσιν η´ καὶ κ´ ἐτηρίδος (hoc eſt, *naturalis Cycli XXVIII annorum*) *Solis, Epactas non habet. Epactæ enim poſt completionem LII hebdomadum uniuscujusque currentis* (vel *elapſi*) *anni unius diei cum quadrante accipiuntur, & unicuique ſequenti anno inſeruntur* (ἐπιφέρονται) *Quomodo igitur in initio creationis Mundi poſſibile Epactas accipere* (λαβεῖν.) *Ridiculum enim hoc eſt, accipere in initio conſtructionis Mundi Epactas, aut Epactam, aut* λεπτὰ (minuta) *Epactarum. Sed poſtquam completus eſt primus Cyclus Solis XXVIII annorum, ille, inquam, qui incepit in creatione Mundi, primus annus ſecundi Cycli Solis XXVIII annorum, Epactas habet VII.* (legendum ζ, non ξ, ut male editum eſt) *Si vero* (Epactæ) *ſupergrediuntur*, τὸ ζ, hoc eſt, *VII* (non ut male legitur νξ) οὐκ ἔτι λοιπὸν η´ ἢ θ´ λήγονται (hoc eſt, *non etiam porro VIII aut IX numerantur*; vel *VIII° aut IX° numero terminantur*; vel forte loco λήγονται legendum λέγονται, dicuntur) ἀλλ' ἀφαιρουμένων τῶ ζ´ (non ξ) μία ἢ δύο, καὶ πάλιν ἕως τῶ ζ (hoc eſt, *ſed ablatis VII, una aut duæ, & rurſus* (progrediuntur ſcilicet) *uſque ad VII. Secundus autem & tertius annus Cycli XXVIII annorum, & reliqui anni* (pro κη lege κ, τὰ) ὡσαύτως, hoc eſt, *hoc modo, ſimiliter ſe habent & in primo Cyclo XXVIII annorum, & in ſecundo, & in omnibus ſimiliter reliquis.*

2dum reſpicit initium Cycli Solis;

Hic vero (inquit) *notandum eſt* (σημειωτέον) *etiam illud, quod unusquisque annus naturalis Cycli Solis initium habeat* 21um (*diem*) *in Martio menſe: In quo* (*die* 21°) *vernum Æquinoctium fieri Spiritus S. per Deiferos Patres docuit.*

XXVI.

XXVI.

Observationes quædam ad præcedentem §um.

1°, Monitum hoc, ut ex omnibus circumstantiis patet, est ejusdem Auctoris qui præcedentem præfationem conscripsit.

2a, Verba non sunt *mendosa*, ut Du Fresne in margine notat, saltem non sunt mutila, ut ex punctis in Textu concluderes, cum etiam in editione Petaviana nulla puncta occurrant, sed, si solummodo loco ξ, legas ζ, erunt sana, & quam clarissima.

3a, Annus 1us Cycli Solis primi habet Epactas nullas; annus 1us Cycli Solis secundi, tertii &c. habet Epactas VII. Quod *NB.* plane convenit cum Methodo ad inveniendam Feriam, quæ in Chronico ubivis reperitur; nam

Sume annos Mundi, minus 1, hoc est, si quæstio est de anno Mundi 1°,

sume 0
adde 4am partem 0
fiunt 0, ergo nulla Epacta
adde 3 anteluminares
item 1 ab 21 Martii
fiunt 4
ergo Feria IVa in die Martii 21
anno Mundi 1°.

Si vero quæstio est de anno Mundi 29°, qui est annus 1us Cycli Solis secundi,

sume 28
adde 4am Partem 7
fiunt 35
divide per VII, sive aufer quater septem
reliquum 7, ergo VII Epactæ
adde 3 anteluminares,
item 1 ab 21 Martii
fiunt 11
aufer 7
reliquum 4
ergo Feria IVa in die Martii 21
anno Mundi 29°.

4a, Quando

4ª, Quando dicit unumquemque annum Cycli Solis incipere a die Martii 21°, eo indicat, annos in Cyclo Solis omnes & ſingulos inire a die Mart. 21°, & ſic pari paſſu ambulare cum annis ſolaribus naturalibus, qui a creatione φωςήρων in die Mundi 4°, decurrunt: nam Auctor annos Mundi Solares conſiderat, ut incipientes a die Martii 21.

5ª, Statuit φωςῆρας, luminaria Solem, Lunam, ſtellas creata eſſe die Martii 21, Feria IVª: Statuit itaque Mundum creatum eſſe Martii die 18°, Feria Iª ſeu Dominica.

Quia autem annus Solaris naturalis, initium ſumens in die Martii 21°, tribus diebus ſerius incipit, hinc ad Epactas Solis ſemper adjicit tres Regulares, quas πρὸ τῶν φωςήρων vocat, hoc eſt, *anteluminares*, quia hi tres dies a Mundo condito elapſi ſunt ante diem quartum in quo luminaria condita ſunt.

Epactæ itaque Auctoris exprimunt Feriam Septimanæ concurrentem cum die 17° Martii.

Quibus ſi addantur III anteluminares, ſumma inde proveniens exprimit Feriam concurrentem cum die 20° Martii.

5ª, Hinc quam clariſſime patet Cyclum Solis XXVIII annorum, de quo loquitur Auctor præfationis, & quem paſſim adhibet in hoc Chronico, plane diverſum eſſe a Cyclo Solis, qui exhibetur p. 13 (diverſum eſſe ex præcedentibus patet, ſed plane diverſum eſſe inde non ſequitur. Vide infra §° 143.)

6ª, Dicit Spiritum S. per Deiferos patres docuiſſe vernum Æquinoctium fieri in die Mart. 21. Quod reſpicit Concilium Nicænum.

XXVII.

Schema Cycli Lunaris, quod reperitur p. 15ª.

anno Cycli	Luna XIVª	Fundamentum Lunæ
1.	April. 2.	XII
2.	Mart. 22.	XXIII
3.	April. 10.	IV
4.	Mart. 30.	XV
5.	April. 18.	XXVI
6.	April. 7.	VII
7.	Mart. 27.	XVIII
8.	April. 15.	XXIX
9.	April. 4.	X
10.	Mart 24.	XXI
11.	April. 12.	II
12.	April. 1.	XIII
13.	Mart. 21.	XXIV
14.	April. 9.	V
15.	Mart. 29.	XVI
S. 16.	April. 17.	XXVII
17.	April. 5.	VIII
18.	Mart. 25.	XIX
19.	April. 13.	XXX

sive
Ætas Lunæ
die 1°
Januarii.

Confer infra §° 144.

XXVIII.

Explicatio Cycli Lunæ Rotæ inſcripta.

In illa explicatione Cycli Lunæ Rotæ inſcripta, notanda

1°, Hæc verba, ὁ δὲ ὅλον ἐνδότερος (τρόχος) δηλοῖ πόσας ὀφείλει ἔχειν τὸ φέγγος τοῦ ἁγίου Βασιλείου, εἰς τὴν πρώτην τοῦ Ἰανουαρίου μηνός.

Satis patet Scriptorem hoc velle intimam Rotæ zonam indicare ætatem Lunæ in Kalendis Januarii.

Sed cur illam Lunam, quæ in Decemb. naſcitur & in Januario terminatur, vocet *Lunam* vel ΦΕΓΓΟΣ *S. Baſilii*, mihi nondum compertum eſt: forte, quia ignoro quem diem S. Baſilius obtinet in Kalendario. (NB. Feſtum S. Baſilii incidit in diem Kalendar. Januariarum.)

Vocatur autem hæc Lunæ ætas in ipſa illa zona intima aliquoties θεμ'' hoc eſt, θεμέλιον ſcilicet σελήνης, *Fundamentum Lunæ*; quæ appellatio etiam occurrit, ni fallor, apud Iſaacum Argyrum & Andream Cretenſem.

2°, Hæc verba, *in ea, quæ a tergo eſt Rota invenies etiam quæ circa Solem ſunt omnia. Et ſic conſtant* (συνίσανται) *Paſchata uſque ad conſummationem, ſcilicet Mundi.*

Ergo in MS^to^ præcedebat Schema Cycli Lunæ, & ſequebatur in pagina verſâ Schema Cycli Solis.

In ipſa autem Præfatione dixerat Auctor ſe præfixurum Cyclum Solis, & deinde etiam ſe propoſiturum Cyclum Lunæ: ſequitur deinde inſcriptio Cyclo Solis ſuperimpoſita p. 13, denique monitum circa Cyclum Solis p. 14 & illo monito finito ſequuntur hæc verba de Cyclo Lunæ, ἐγκείσθω λοιπὸν καὶ ἡ ἔκθεσις τῆς κατὰ φύσιν ιθ'' ἐτηρίδος τῆς σελήνης. hoc eſt, *in medio ponatur porro etiam expoſitio, vel explicatio, vel editio naturalis Cycli decemnovalis Lunæ. Quod notandum.* Confer quoque initium p. 16.

XXIX.

Obſervationes ad Cyclum Lunæ §° 27 *deſcriptum.*

Hic Cyclus Lunæ etiam admodum diverſus ab illo Cyclo Lunæ, quo Auctor utitur in Computo Lunari in hoc Chronico, & ab illis Schematibus,

tibus, quæ reperiuntur p. 197, & p. 288. tam in annis Cycli, quam in Epactis, & loco proprio Epactarum.

Neque hujus Cycli usum ullibi per totum Chronicon deprehendi: nullibi enim Computus Lunaris deducitur ab ætate Lunæ in Kal. Jan.

Hæc supra dicta illustrantur & corriguntur infra, §° 145°.

XXX.

Conjectura de his Cyclis Solis & Lunæ, qui p. 13 & 15 describuntur.

Non esse Auctoris Chronici Paschalis, sed a posteriori manu additos. (NB. Hæc conjectura rejicitur, & de his Cyclis agitur infra, §° 146°.)

XXXI.

Ad 4am *præfationis partem.*

Quarta & ultima præfationis pars reperitur p. 16 & 17 cum hac inscriptione: *De Sancto & salutari Pascha, quod secundum divinam Legem quotannis fit, & de quæstionibus ejus brevis cum demonstratione solutio.*

Hæc pars est ipsissimus Prologus Theophili Alexandrini ad Theodosium Imperatorem, quem Laterculo suo Paschali centum annorum præmisit: ut patet ex hujus Prologi versione antiqua Latina, quam edidit Bucherius, post Canonem Victorii, p. 471. Quod etiam Petavius agnovit, quum, in Opere de Doctr. Temp., Tom. 2do, p. 879, Græca hujus Prologi, ex Codice *Vaticano* hujus Chronici descripta, cum versione antiqua Latina a se interpolata, ederet. Confer Du Fresne præfationem, §° VII & XLIII, & XLIV.

Hunc Prologum Theophili Auctor hujus Præfationis & Chronici suum fecit, partim omittendo, partim mutando ea, quæ placitis & scopo ipsius contraria erant: ideoque suppresso Theophili nomine hunc prologum, ut suum, edidit; ne si nomen Theophili reliquisset, & tamen Prologum eo modo, ut fecit, edidisset, diceretur Prologum Theophili mutilasse & falsasse; vel si relicto Theophili nomine, etiam Prologum

ipsis

ipsis Theophili verbis edidisset, contraria scopo faceret, & aliis ansam daret, authoritatem Theophili ipsi opponendi.

Theophilus, ut ex versione antiqua Latina patet, & etiam aliis rationibus probari potest, scripserat, *quod Christus traditus erat Luna XIV^a, Feria V^a, & quod crucifixus erat Luna XV^a, & tertio die resurrexerat Luna XVII^a, Dominicâ.*

Hæc omnia Auctor hujus Præfationis juxta placitum & scopum suum mutavit, scribens, *quod Christus traditus sit Luna XIII^a, Feria V^a, & quod crucifixus sit Luna XIV^a, & tertio die resurrexerit Luna XVI^a, Dominicâ.* Confer hujus Præfationis 1^am partem.

Theophilus eadem repetierat in §° Prologi sui sequente, in fine.

Hunc totum §^um sequentem Auctor hujus Præfationis plane omisit, una cum clausula Prologi Theophiliani.

Recte autem interpres hujus Præfationis Latinus, qui non antiquam, sed suam versionem dat, in editione Parisina, Græca ad verbum expressit.

De hoc autem Theophili Prologo alibi egimus.

XXXII.

Ad Clausulam Præfationis.

Omissa clausula Prologi Paschalis Theophili, hanc clausulam Præfationis suæ tandem subjungit:

Hinc porro temporum seu annorum ab Adam primo homine a Deo formato, seu ab initio creationis Mundi compendium necesse est fieri, concinentium divinitus inspiratæ Scripturæ, & a Deiferis Patribus inculpate traditis, atque a Sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia recte celebratis Festis.

Ex quibus verbis patet eundem Auctorem, qui Præfationem hanc cœperat, eandem quoque finire & claudere.

Adeoque in Præfatione nullum indicium antiquioris Auctoris hujus Chronici, qui sub Constantio vixerit, & tantum eousque Chronicon perduxerit, quemque deinde alter sub Heraclio florens continuaverit.

XXXIII.

SCHEMA CYCLI SOLIS,

Juxta mentem Auctoris Chronici.

	anno Cycli Solis	Epactæ Solis	anno Cycli Solis	anno Cycli Solis	anno Cycli Solis	litera Dominicalis
B.	1	VII	17	12	28	AG
	2	I	18	13	1	F
	3	II	19	14	2	E
	4	III	20	15	3	D
B.	5	V	21	16	4	CB
	6	VI	22	17	5	A
	7	VII	23	18	6	G
	8	I	24	19	7	F
B.	9	III	25	20	8	ED
	10	IV	26	21	9	C
	11	V	27	22	10	B
	12	VI	28	23	11	A
B.	13	I	1	24	12	GF
	14	II	2	25	13	E
	15	III	3	26	14	D
	16	IV	4	27	15	C
B.	17	VI	5	28	16	BA
	18	VII	6	1	17	G
	19	I	7	2	18	F
	20	II	8	3	19	E
B.	21	IV	9	4	20	DC
	22	V	10	5	21	B
	23	VI	11	6	22	A
	24	VII	12	7	23	G
B.	25	II	13	8	24	FE
	26	III	14	9	25	D
	27	IV	15	10	26	C
	28	V	16	11	27	B
	juxta Auctorem Chronici	sive Feria concurr. cum die Martii 17°,	juxta Dionysium & Per. Jul.	juxta Maxim. & Alexan.	juxta ἐξαπλοῦντας & πενταπλοῦντας.	

NB. Eadem Feria, quæ concurrit cum Mart. die 17°, concurrit quoque cum die Mart. 24°, & 31°.

XXXIV.

XXXIV.

Quo fundamento hic Cyclus Solis tribuatur Auctori hujus Πασχαλίε, sive Chronici Paschalis.

Hunc Cyclum esse Auctoris hujus Chronici colligitur

1°, Ex monito Auctoris circa Cyclum suum Solis, de quo egimus §° 25, & 26.

2°, Ex ejus perpetua methodo, qua utitur ad inveniendam Feriam in qualibet anni die; de qua agimus §° 43, &c.

3°, Ex Schemate Cycli Lunaris, quod in Chronico exhibetur p. 197, in quo Epactæ Solis per XIX annos describuntur, affixæ certis Mundi annis, nempe ab anno 5492—5510. De quo Schemate agimus infra §° 102.

4°, Ex quinque Paschatibus Baptismum Christi, ab anno Mundi 5537—41, sequentibus, quæ describuntur p. 210 & seq. ubi & Epactæ & anni Cycli expresse designantur: de quibus agimus infra §° 77—81.

XXXV.

Describitur Cyclus Solis Auctoris Chronici.

Epactæ Solis in hoc Cyclo affixæ sunt diei Martii 17°, adeoque exprimunt Feriam Septimanæ, concurrentem cum die Martii 17°.

Eadem autem Feria, quæ concurrit cum die Martii 17°, etiam concurrit cum die Mart. 24°, cui Epactæ Solis Dionysianæ, & cum die Mart. 31°, cui Epactæ Solis Maximi affixæ sunt, unde facilis earundem comparatio.

Quod attinet annos hujus Cycli Bissextiles, si quæratur quinam Cycli anni sint Bissextiles; hoc certum est annum Cycli 1um, 5um, 9um &c. habuisse Bissextum in præcedenti mense Februario; quod patet, quia Epactæ, quas hi anni recipiunt, Binario crescunt. Certum quoque hoc est, quod ille mensis Februarius cum suo Bissexto pertineat ad præcedentem Cycli annum 28um, 4um, 8um &c., si nempe, ut Auctor facit, initium annorum Cycli Solis statuas in Martio. Quæritur itaque quem annum Cycli Auctor Bissextilem dicat, an illum, ad quem mensis Februarius cum suo Bissexto pertinet, 4um scilicet, 8um, 12um, &c: an vero illum, qui post antecedentem Februarium cum Bissexto, in sequenti Martio initium sumit, 1um scilicet, 5um, 9um &c. Respondeo Auctorem posterius facere, nempe annum Cycli 1um, 5um, 9um &c. considerare ut Bissextilem, & dicere Bissextilem: hoc patet 1° ex Schemate Cycli XIX annorum, quod exhibetur p. 197, ubi expresse anni Mundi 5493, 97, 5501, 5, & 9 ut Bissextiles signantur. 2° ex eo, quod annum Mundi 5540, quem dicit Cycli Solis 24um, etiam expresse dicat tertium post Bissextilem, p. 221. Confer infra, §° 148.

XXXVI.

XXXVI.

SCHEMA CYCLI LUNÆ,

Juxta mentem Auctoris Chronici.

	anno Cycli Lunæ	Epactæ Lunæ	Luna XIV^{a}
Emb.	1	XXX	April. 13.
	2	XI	April. 2.
	3	XXII	Mart. 22.
Emb.	4	III	April. 10.
	5	XIV	Mart. 30.
Emb.	6	XXV	April. 18.
	7	VI	April. 7.
	8	XVII	Mart. 27.
Emb.	9	XXVIII	April. 15.
	10	IX	April. 4.
	11	XX	Mart. 24.
Emb.	12	I	April. 12.
	13	XII	April. 1.
	14	XXIII	Mart. 21.
Emb.	15	IV	April. 9.
	16	XV	Mart. 29.
Emb.	17 S.	XXVI	April. 17.
	18	VIII	April. 5.
	19	XIX	Mart. 25.
	juxta Auctorem Chronici	sive ætas Lunæ in die	

anno Cycli Lunæ	Epactæ Lunæ	anno Cycli Lunæ
3 *	XXII	19
4	III	1
5	XIV	2
6 *	XXV	3
7	VI	4
8 *	XVII	5
9	XXVIII	6
10	IX	7
11 *	XX	8
12	I	9
13	XII	10
14 *	XXIII	11
15	IV	12
16	XV	13
17 *	XXVI	14
18	VII	15
19 *	XVIII S.	16
1	o	17
2	XI	18
juxta Alex. & Dion. & Maxim.	juxta Alex. & Dion. sive ætas Lunæ in die 22° Martii.	juxta ἑξαπλ. & πενταπλ.

Vel ut p. 197 & 288 habetur

anno Cycli	Epactæ Lunæ	Luna XIV^{a}
18	VII	April. 6.
19 S.	XVIII	Mart. 26.

Confer infra §° 150°.

XXXVII.

XXXVII.

Quo fundamento hic Cyclus Lunæ tribuatur Auctori hujus Παοχαλίυ seu Chronici Paschalis.

Hunc Cyclum Lunæ esse Auctoris hujus Chronici colligitur

1°, Ex perpetua methodo, qua utitur Auctor ad inveniendum Epactas Lunæ annuas, & Lunas XIV^as Paschales: de qua agimus §° 55, & 59.

2°, Ex duobus Schematibus Cycli decemnovalis Lunæ, quorum 1^um occurrit p. 197, & alterum p. 288. De quibus agimus §° 92—99.

3°, Ex Paschatibus, imprimis quinque illis, quæ se invicem sequuntur, & baptismum Christi secuta sunt, quæ describuntur p. 210 & seq. ubi & anni Cycli Lunæ & Epactæ Lunares, & Lunæ XIV^æ, & ipsæ Dominicæ Paschales expresse designantur. De quibus agimus §° 77—81.

XXXVIII.

Dubium circa Epactas & Lunas XIV^as in anno Cycli 18° & 19° examinatur.

Ex Schemate a nobis §° 36 descripto, ejusque collatione cum Schematibus, quæ ab Auctore describuntur p. 197 & 288, oritur dubium circa annum Cycli 18^um & 19^um quot Epactæ & quænam Luna XIV^a his annis dandæ sint.

Quæstio huc recidit, an Auctor Saltum Lunæ admittat in anno Cycli sui 17°, qui cum anno Cycli Alexandrinorum 19° concurrit; an vero Saltum Lunæ statuat in anno Cycli sui 19°, qui cum anno Cycli Alexandrinorum 2° concurrit.

Prius videtur natura rei postulare, quia alias Luna XIV^a duobus istis in annis loco suo moventur, quas tamen in Præfatione vult servari immobiles.

Posterius tamen videtur concludendum ex duobus illis Schematibus, quæ p. 197, & 288, ubi in 1° Epactæ, & in 2°, & Epactæ & Lunæ XIV^æ ad annum 18^um & 19^um adscriptæ id præsupponunt.

Ut dubium hoc solvatur, alterutrum dicendum est.

1°, Vel

1°, Vel Auctorem admittere Saltum Lunæ anno Cycli sui 17°, & anno 18° dare Epactas VIII & Lunam XIV^{am} in die Apr. 5, & anno 19° dare Epactas XIX & Lunam XIV^{am} in die Mart. 25, atque Auctorem in Schematibus suis ita recte scripsisse, sed hæc Schemata deinde vel incuria vel inscitia descriptorum esse corrupta & depravata.

Quod confirmatur ex eo, quod in Schemate 1° p. 197, in Cyclo ætatum Lunæ in 1° die mensis septimi, Saltus Lunæ admittatur in anno Cycli 17°, quod requiritur etiam, ac præsupponit in Cyclo Epactarum admitti Saltum Lunæ in anno Cycli 17°, & Epactas in anno 18° & 19° non esse VII & XVIII, sed VIII & XIX.

2°, Vel Auctorem quidem Lunam XIV^{am} anni 18^{vi} & 19^{ni} revera non mutare aut loco suo movere, sed tamen Epactas & Lunas XIV^{as} in duobus illis ultimis Cycli sui annis ita annotasse calculi tantum gratia, ut nempe ille in inquisitione Epactarum & Lunarum XIV^{arum} per omnes Cycli sui annos uniformiter procederet: poterat enim illa Luna XIV^{a}, quæ tum in illis annis ex calculo prodiret, per ablationem unitatis, facile ad veram Lunam XIV^{am} reduci.

Ego priorem solutionem, ut multo probabiliorem, & præfationi convenientiorem eligerem. Confer infra, §° 150.

XXXIX.

Describitur Cyclus Lunæ Auctoris Chronici.

(Confer §^{um} 151, & sequentes.)

Cyclus Lunæ incipit ab illo anno cujus Luna XIV^{a} est in die Apr. 13, & Neomenia Paschalis est in die Mart. 31, qui annus tertius est in Cyclo decemnov. Alexandrinorum & Dionysii, & Maximi.

Hic Cyclus habet eosdem annos Embolimæos, quos habet Cyclus decemnovalis Alexandr. & Dionysii, & Maximi.

Epactæ in hoc Cyclo affixæ sunt diei Feb. 28, & exprimunt ætatem Lunæ in illo die. Atque illa Luna cujus ætas in illo die exhibetur, consideratur semper ut plena, seu ut mensis Lunaris plenus.

Hæ Epactæ non sunt Epactæ proprie dictæ, alias in 1° anno Cycli non forent XXX, sed o. Triginta autem Epactæ huic anno dantur, non tantum in duobus illis Schematibus, p. 197 & 288. Sed etiam in calculo, p. 75.

Con-

Considerat tamen Auctor in methodo ad inveniendum Epactas, annum 1um acsi nullas Epactas haberet, quia in calculo perinde est, sive XXX sive nullas Epactas habeat.

Annus Lunaris naturalis Auctori incipit, una cum anno Solari naturali a creatione φωςήρων, die Mart. 21.

Auctor enim non habet alium annum Solarem, quam qui ab Æquinoctio Martii 21 init: sed habet in Computo Lunari Catholicas XX. Vide quæ notamus infra §° 152, 53, 56, &c.

X L.

De Periodo DXXXII annorum Auctoris Chronici.

Periodus 532, ex præcedente Cyclo Solis & Lunæ, atque utriusque concursu oritur.

Primus Periodi annus concurrit cum 1° anno Mundi:

Habetque annum 1um Cycli Solis, & annum Cycli Lunæ 1um.

Concipiturque annus 1us Mundi, & Periodi, & Cycli Solis, & Cycli Lunæ initium sumere a die Mundi 4°, in quo φωςῆρες, *Luminaria* creata sunt, qui supponitur fuisse Mart. 21, & in quem statuitur etiam Æquinoctium vernum incidisse.

Vide p. 12. 75.

X L I.

Cur Cyclum suum Solis & Lunæ vocat Cyclos κτ' φύσιν.

Hoc jam ex præcedentibus patet, nempe

1°, In genere, quia 1us annus Periodi, & utriusque Cycli incipiebat cum 1° anno Mundi, & sic ab ipsa creatione rerum.

2°, In specie, quia annus Solis & annus Lunæ, & sic quoque annus Periodi incipiebat ab ipsa creatione φωςήρων, *Luminarium*, & sic ab illo ipso tempore & die, quo Sol & Luna cursum φύσει incepere.

Hæc denominatio utriusque Cycli sæpius & ordinario occurrit, exempli gratia, p. 12.

XLII.

Quid sibi velit dum in Cyclo Lunæ distinguit annum ΚΑΤΑ ΦΥΣΙΝ & ΚΑΤΑ ΘΕΣΙΝ.

Hæc locutio a præcedenti sollicite distinguenda est: plane enim aliud sibi vult, quando dicit, ἡ κατὰ φύσιν ἐννεακαιδεκαέτηρις, & ἡ κατὰ φύσιν ὀκτωκαιεικοσαέτηρις; & quando dicit τὸ κατὰ φύσιν ἔτος: in prima formula de ipso Cyclo loquitur, in altera de aliquo Cycli anno in relatione ad ordinem annorum in Cyclo.

Præterea observandum hanc formulam loquendi nunquam usurpari de annis Cycli Solis, sed tantum de annis Cycli Lunæ, nunquam dicit τὸ κατὰ φύσιν ἔτος Cycli Solis, in distinctione τοῦ κατὰ θέσιν ἔτους ejusdem Cycli, sed ita tantum loquitur de Cycli Lunæ annis. Unde patet τὴν κατὰ φύσιν ὀκτωκαιεικοσαέτηρίδα ἡλίου etiam in ordine annorum habere τὸ κατὰ φύσιν ἔτη, rem autem in Cyclo Lunæ aliter se habere.

Hæc locutio de annis Cycli Lunæ, quantum observare potui, bis tantum occurrit nempe p. 75, in medio, & p. 220. imâ parte paginæ. (Confer quoque p. 194, & §um. 103.)

In 1° loco tantum simpliciter dicitur, ἔχει δὲ τὸ ΚΑΤΑ ΦΥΣΙΝ ιθ' ἔτος ἐπακτὰς λ''. & paulo post, τίθεμεν τὰς τοῦ ΦΥΣΕΙ ιθ'' ἔτους, ἐπακτὰς λ''. In 2° loco autem dicitur, cum distinctione καὶ εὑρίσκομεν κατὰ τὸ ΦΥΣΕΙ μὲν ι'' ἔτος τῆς ιθ'' ἐτηρίδος, ΘΕΣΕΙ δὲ ια'', προσκειμένας ἐπακτὰς κ''. (ita enim legendum non ΚΑ'', ut ex Schematibus Cycli Lunæ, & ex sequenti calculo Lunari clare patet.)

Hinc sequitur 1um locum ita supplendum esse, ἔχει δὲ τὸ ΚΑΤΑ ΦΥΣΙΝ μὲν ιθ'', ΚΑΤΑ ΘΕΣΙΝ δὲ α'', ἐπακτὰς λ''.

Atque hinc patet Auctorem in Cyclo Lunæ duplicem ordinem annorum considerare, ordinem ΚΑΤΑ ΦΥΣΙΝ, & ordinem ΚΑΤΑ ΘΕΣΙΝ; & juxta hunc duplicem ordinem eundem Cycli annum vocare Xum κατὰ φύσιν, XIum κατὰ θέσιν, vel Xum φύσει, XIum θέσει, & eodem modo eundem annum vocare XIXum κατὰ φύσιν & 1um κατὰ θέσιν.

Doctissimus Joh. Bapt. Hautin in Analysi Chronologica hujus Chronici p. XLV fatetur se non capere, cur idem Cycli annus dicatur ΦΥΣΕΙ *Xus*, ΘΕΣΕΙ autem *XIus*.

Tentemus an hujus distinctionis rationem reddere possimus.

Ex

Ex jam dictis patet ordinem annorum seu seriem annorum in numeratione annorum Cycli Lunæ ΚΑΤΑ ΘΕΣΙΝ, semper unitate præcurrere ordinem annorum ΚΑΤΑ ΦΥΣΙΝ, adeo ut

annus κατὰ θέσιν	habens Epactas	& habens Lunam XIV	& habens Neomen.	sit annus κατὰ φύσιν
1us	XXX	April. 13	Mart. 31	19us
2us	XI	April. 2	Mart. 20	1us
3us	XXII	Mart. 22	Mart. 9	2us

& sic porro.

Atque hinc porro patet ordinem annorum, quem vocat ΚΑΤΑ ΘΕΣΙΝ, esse ipsum illum ordinem annorum, quem Auctor posuit & servat in suo Cyclo Lunæ, ut ex Schematibus, & ex calculo, quo passim utitur, clarum est.

Agnoscit itaque illum suum ordinem, quem posuit, & servat in annis Cycli sui Lunaris, non esse ΚΑΤΑ ΦΥΣΙΝ.

Nam 1° Mundi anno, in quo, die Mundi 4°, κτίσις φωστήρων facta est, & in quo die Luna cursum suum incepit, quique supponitur esse dies Martii 21, incipiens a præcedenti vespera, dies cursus Lunæ 14us, seu Luna XIVa cadere non potest in diem April. 13um, ille enim non 14us, sed 24us est a die Martii 21°. Annus autem Cycli θέσει 1us dat Lunam XIVam in die Apr. 13°, adeoque ille annus θέσει 1us non est simul φύσει 1us, sed annus Cycli Lunæ sequens, qui θέσει 2us est, dat Lunam XIVam in die 14° a quo Luna creata cursum suum incepit, dat enim Lunam novam Mart. 20, & Lunam XIVam Apr. 2. adeoque ille annus Cycli θέσει 2us, potest hanc ob causam considerari ut φύσει 1us. (Vide hæc distinctius & ulterius explicata, §° 164.)

XLIII.

De Computo Solari Auctoris Chronici.

Dixerat in Præfatione se traditurum methodos, quibus sumptis annis Mundi inveniri possit, per singulos annos

1°, Quotus sit annus Cycli Solis.

2°, Quot sint illo anno Solis Epactæ.

3°, Feria in quolibet anni die.

 Has

Has methodos nullibi expreſſe tradit, ſed colligi debent ex exemplis, in quibus ſparſim illas adhibet, quæ reperiuntur p. 75, 194, 201, 2. 205. 210. 211. 215, 16. 216. 221. 229.

XLIV.

Methodus, qua, ſumptis annis Mundi, inveniri poſſit quotus ſit Cycli annus.

Hanc methodum, quantum obſervare potui, nullibi proponit.

Sed ea tamen ex iis, quæ in Præfatione dixit, per ſe patet.

Nam quia Cyclus Solis incipit a γενέσει φωστήρων, adeoque a 1° Mundi anno, hinc ſequitur, ſi annos Mundi dividas per XXVIII, quotientem indicare, quot Cycli Solis ſint elapſi, & Reliquum oſtendere quotus Cycli Solis annus ſit annus Mundi propoſitus.

Id confirmatur ex iis locis, in quibus expreſſe dicitur quotus annus Cycli Solis ſit hic vel ille annus Mundi. Vide p. 212. 215. 216. 217. 225.

XLV.

Methodus ad inveniendum quot ſint Epactæ Solis, in quolibet anno Mundi.

Hanc methodum ſæpius proponit in variis exemplis;

Ea autem hæc eſt:

Ab anno Mundi propoſito unitatem aufert, ſive ſumit annos Mundi jam elapſos, uſque ad illum excluſive, de quo quæſtio eſt.

His addit quartam partem, ſive annos Mundi jam elapſos dividit per numerum quaternarium, & quotientem hujus diviſionis, annis Mundi jam elapſis addit: ſive, quod idem eſt, annis Mundi jam elapſis addit omnes dies Biſſextiles, qui jam tranſierunt.

Hanc ſummam dividit per Septenarium:

Et quod Reliquum eſt exprimit Epactas Solis in anno Mundi propoſito, & in anno Cycli Solis invento.

Vide p. 75, 76. 194. 201. 211. 215, 16. 216. 221. 229.

XLVI.

XLVI.

Methodus ad inveniendam Feriam in quolibet anni die.

Hanc methodum sæpius proponit in variis exemplis;

Ea autem hæc est:

Epactis, eo modo, ut dictum, inventis

Adde πρὸ τ̃ φωςήρων, *anteluminares* dies tres, qui a die Martii 18 inclusive, usque ad diem Martii 21 exclusive, in quo φωςῆρες, *luminaria* creata sunt, effluxere.

Deinde adde omnes dies qui a Mart. 21 inclusive, usque ad diem, de quo quæstio est, inclusive, effluxere.

Hanc summam divide per numerum septenarium.

Et quod Reliquum est exprimit Feriam in qua dies quæsitus incipit.

Vide p. 76. 194. 201, 2. 205. 211. 215, 16. 216. 221. 229.

XLVII.

Methodus Solaris illustratur exemplo.

Sit propositus annus Mundi 5540.

Quæritur 1°, quotus sit Cycli annus,

annum Mundi 5540

divide per XXVIII — Quotiens 197.

Reliquum 24.

ergo annus M. 5540us est Cycli Solis 24us.

Quæritur 2°, quot sint Epactæ istius anni.

ab anno Mundi 5540

aufer 1

remanent 5539

adde 4am partem 1384

summa 6923

divide per VII,

Reliquum 7.

ergo annus Mundi 5540, & Cycli Solis 24us, recipit Epactas VII.

Quæritur

Quæritur 3°, quænam ſit Feria in illo anno Mundi & Cycli in die Mart. 23°.

Epactis jam inventis	VII
adde anteluminares	III
adde ab 21 Martii, uſque ad 23 Martii incluſ.	III,
fiunt	XIII
divide per	VII
Reliquum	VI.

ergo Feria VIª in die Mart. 23° in anno M. 5540°, & Cycli Solis 24°.

XLVIII.

Explicatur methodus ad inveniendam Feriam.

Epactalis numerus incipit a die Dominica, & indicat Feriam in die Martii 17°, qui primum Mundi diem immediate præceſſit.

Tres dies anteluminares (πρὸ τῶν φωστήρων) ſunt dies 1us, 2us, & 3us Mundi, ſive Martii 18, 19, & 20, qui diem Mundi 4um, in quo luminaria creata ſunt, præceſſere:

Si hi tres dies *anteluminares* addantur Epactis, tum illa ſumma dierum (demptis Septenariis) incipiet quoque a die Dominica, & exprimet Feriam in die Martii 20°, qui initium anni Solaris civilis naturalis, quo Auctor utitur, immediate præcedit.

Si jam porro huic ſummæ addantur omnes dies, qui a primo anni Solaris civilis die, hoc eſt, Martii 21 incluſive, uſque ad illum diem incluſive, de quo quæſtio eſt, effluxerunt, tum ſumma illa, quæ ex hac additione provenit, incipiet quoque a die Dominica, & demptis ſeptenariis, ſeu diviſione per Septenarium facta exprimet Feriam in die quæſito.

XLIX.

Compendium in calculo ad inveniendam Feriam quo Auctor utitur.

Quando dies quæſitus cadit ultra Martium in Aprili, Majo, Junio, aut ſequentibus anni menſibus:

Tum Epactis jam inventis

Non addit tres illos anteluminares, neque XI illos dies a Martii 21° uſque ad Martii 31um incluſive.

Sed

Sed Epactis jam inventis immediate addit dies, qui a die 1° April. inclusive usque ad diem quæsitum effluxerunt.

Ratio est, quia dies III anteluminares & XI illi dies a Mart. 21. ad Mart. 31, præcise XIV dies seu duas Septimanas efficiunt: adeoque perinde est sive addantur, sive non addantur.

Vide 201. 202. 205. 210.

L.

Observatio specialis ad hunc Computum Solarem.

Ope hujus Computi facile inveniri possunt Epactæ Solis per singulos annos Cycli Solis:

Et inveniuntur illæ Epactæ, quæ in Schemate p. 197 exhibentur, & quas exhibuimus in Cyclo Solis, quem ante descripsimus & Auctori tribuimus, §° 33.

L I.

De Computo Lunari Auctoris Chronici.

In Præfatione dixerat se traditurum methodum qua, sumptis annis Mundi, inveniri possit per singulos annos:

1°, Quot sint Epactæ Lunæ.

2°, In quo die Martii vel Aprilis cadat Luna XIV^a Paschalis.

Nihil dixerat aut promiserat de methodo ad inveniendum

a. Quotus sit annus Cycli Lunæ,

b. Quænam sit ætas Lunæ in quolibet anni die.

Has methodos, quas promiserat, nullibi ex professo tradit, sed eæ colligi debent ex exemplis, in quibus illas sparsim adhibet, quæ reperiuntur, p. 75. 194. 199. 210. 215. 216. 220. 229.

L I I.

Methodus ad inveniendum quotus sit annus Cycli Lunæ.

Hanc methodum, quam, ut jam dixi, in præfatione non promiserat, etiam, quantum observare potui, nullibi proponit:

Ea tamen, ex iis quæ in Præfatione dixit, per se patet, nam quia Cyclus Lunæ, æque ac Cyclus Solis, incipit a γενέσει φωστήρων, adeoque a

 1° Mun-

1° Mundi anno, ſequitur, ſi annos Mundi dividas per XIX, quotientem exprimere, quot Cycli Lunæ elapſi ſint, & reliquum indicare, quotus ſit Cyclus Lunæ illo anno Mundi propoſito.

Unde porro ſequitur, ſi anni Mundi, unitate dempta, dividantur per XIX, reliquum, unitate addita, indicare quotus ſit annus Cycli Lunæ in illo Mundi anno propoſito.

Id etiam confirmatur ex iis locis in quibus expreſſe dicitur, quotus annus Cycli Lunæ ſit hic vel ille annus Mundi: exempli gratia, p. 75. 199. 212. 215. 216. 217. 220. 225.

L I I I.

Methodus ad inveniendum Epactas Lunæ in quolibet anno Mundi.

Hoc tantum in unico, quantum obſervare potui, exemplo oſtendit, p. 210, in ima parte paginæ.

Eſt autem ea methodus hæc:

Sumit annos Mundi, uno minus, ſive ab anno Mundi propoſito unitatem aufert,

Deinde annos Mundi, uno dempto, dividit per XIX.

Et tum Reliquum, quod ex hac diviſione remanet, multiplicat per XI.

Et ab hoc producto tricenarios aufert, ſive illud dividit per XXX.

Id quod ex hac diviſione, ſeu poſt ablatos tricenarios reliquum eſt, exprimit Epactas Lunæ in illo anno Mundi propoſito, & Cycli Lunæ invento.

In reliquis exemplis, quidem annos M., unitate dempta, dividit per XIX: atque ſic ex illo reliquo, addita unitate, invenit annum Cycli Lunæ, ſed Epactas Lunæ in illo Cycli anno ex Schemate repetit, quod p. 197 & 288 proponit.

Vide p. 75. 194. 199. 215. 216. 220. 229.

L I V.

Methodus Lunaris ad inveniendum Epactas illuſtratur exemplo.

Sit propoſitus annus Mundi 5540.

Quæritur quot ſint Epactæ Lunæ in illo Mundi anno.

ab

ab anno Mundi 5540
aufer 1

remanent 5539
divide per XIX — Quotiens 291
Reliquum 10
multiplica per XI

fiunt 110
divide per XXX — Quotiens 3
Reliquum 20.

Ergo annus Mundi 5540^us, qui est Cycli Lunæ XI^us, recipit XX Epactas.

L V.

Explicatur Methodus ad inveniendas Epactas Lunæ.

Divisio annorum Mundi, uno dempto, p. XIX modo facta, ostendit, in ***Quotiente*** 291 Cyclos Lunæ completos a Mundo condito elapsos esse: & præterea ostendit in ***Reliquo*** (præter 291 Cyclos integros) etiam 10 annos elapsos esse, usque ad illum annum exclusive, de quo quæstio est.

Quia autem unusquisque annus Lunæ elapsus pro sequenti anno relinquit XI Epactas, sequitur 10 annos elapsos simul relinquere decies XI, hoc est, 110 Epactas pro sequenti anno XI°.

Quia autem ex illis 110 Epactis, 90 Epactæ consumptæ sunt in tribus mensibus Embolimæis, hinc omnes tricenarii, qui hic sunt tres, & faciunt 90, auferuntur

Et relinquuntur XX Epactæ pro anno XI°, qui illas a præcedentibus annis recipit.

L V I.

Observatio specialis ad hanc Methodum, ad inveniendum Epactas Lunæ, in anno Cycli 18° & 19°.

Cautela aliqua adhibenda in hac Methodo, quando anni Mundi, uno dempto, per XIX divisi, relinquunt 17 vel 18, ex quo patet annos 17 vel 18 esse elapsos, & quæstionem esse de anno Cycli Lunæ 18°, vel 19°.

 Quia

Quia enim annus Cycli Lunæ 17us, utpote uno die defectivus, non XI tantum, ut reliqui, sed XII Epactas relinquit pro anno sequenti.

Hinc in duobus illis casibus, Epactis ordinaria methodo inventis unitas addenda est,

Ne in inventione Lunæ XIVæ in errorem ducaris.

De hac cautela nihil inveni apud Auctorem, quia nullum exemplum Computi Lunaris ad inveniendas Epactas, in quo hic casus occurrit, in toto Chronico reperitur: nullibi enim calculum instituit ad quærendas Epactas anni 18vi, vel 19ni.

Confer infra §o 62. & 150.

L V I I.

Observatio specialis ad hanc Methodum, ad inveniendas Epactas Lunæ anno Cycli 1°.

Circa annum Cycli 1um etiam aliquid singulare observandum est in hac Methodo. (Confer §um 155, 160.)

Et quidem

Primo circa annum 1um primi Cycli Lunæ, qui concurrit cum anno Mundi 1°.

Sit enim propositus annus Mundi 1us,

Quæratur quot sint Epactæ illo anno,

juxta Methodum
ab anno Mundi 1
aufer 1

remanet 0
divide per XIX — Quotiens 0
Reliquum 0
multipl. per XI

fiunt 0
divide per XXX — Quotiens 0
Reliquum 0

Ergo 1us annus Mundi, qui est 1us annus primi Cycli Lunæ, recipit nullas Epactas.

* Quod plane convenit cum ratiocinio Auctoris in monito de Cyclo Solis, p. 14. Vide §um 26.

Secundo

Secundo circa annum 1^{um} ſecundi, tertii &c. Cycli Lunæ, qui concurrit cum anno Mundi 20, 39 &c.

Sit propoſitus annus Mundi 20^{us},

Quæratur, quot ſint Epactæ illo anno juxta Methodum

ab anno Mundi 20	
aufer 1	
remanent 19	
divide per XIX — Quotiens 1	vel 0
Reliquum 0	vel 19
multipl. per XI	per XI
fiunt 0	fiunt 209
divide p. XXX	p. XXX — Quotiens 6
Reliquum 0	Reliq. 29
	adde 1
	fiunt 30

Ergo 20^{us} annus Mundi, qui eſt 1^{us} annus ſecundi Cycli Lunæ, recipit Epactas vel nullas, vel XXX.

NB. Epactas XXX invenimus addendo Reliquo 29, unitatem, quod ideo fit, quia hoc in caſu, annus 1^{us} ſequentis Cycli conſideratur, ac ſi eſſet 20^{us}, adeoque recipit omnes Epactas annorum XIX, qui præceſſerunt, demptis ſex menſibus Embolimæis, ſive ſexies XXX, & præterea adhuc unam Epactam, quia inter illos XIX annos, qui præceſſerunt, unus eſt defectivus, qui non XI tantum, ſed XII Epactas relinquit.

Auctor autem 1^{o} anno ſecundi, tertii, &c. Cycli Lunæ non dat Epactas nullas, ſed XXX, ut non tantum ex Schematibus, quæ p. 197 & 288 proponit, patet, ſed etiam id expreſſe dicit in exemplo anni a Mundo condito 3839^{mi}, p. 75.

Obſervatio.

Potuiſſet Auctor primum Cyclum Lunæ decemnovalem finire die Feb. 28, & ſecundum, tertium ac reliquos incipere, eodem modo ac primum, die Martii 1; & ſic 1^{o} anno Cycli ſemper dare Epactas 0.

Sed altera Methodus ipſi placuit, forte ex præconcepta opinione, 1^{um} annum primi Cycli nullas Epactas poſſe habere, ſed 1^{um} annum ſecundi, tertii & reliquorum Cyclorum, debere habere Epactas.

Observatio.

In calculo autem, quo ſumtis annis Mundi, inquiruntur Epactæ Lunares, plane idem eſt, & eodem redit, ſive anno Cycli Lunæ 1° dentur XXX Epactæ, ſive nullæ.

Et hinc eſt, quod annis Mundi uno dempto, per XIX diviſis, & Reliquo per XI multiplicato, & hoc producto per XXX diviſo, Reliquum quod inde remanet exprimat Epactas in illo Mundi anno propoſito.

LVIII.

SCHEMA CYCLI LUNARIS,

Cum Neomeniis & Embolimæis illi propriis, quo Auctor utitur.

Alex.	annus Cycli	Epactæ	Neomen.		Proprii
Emb.	1	XXX	Jan.	30	Emb.
	2	XI	Feb.	18	
	3	XXII	—	7	Emb.
Emb.	4	III	—	26	
	5	XIV	—	15	
Emb.	6	XXV	—	4	Emb.
	7	VI	—	23	
	8	XVII	—	12	
Emb.	9	XXVIII	—	1	Emb.
	10	IX	—	20	
	11	XX	—	9	Emb.
Emb.	12	I	—	28	
	13	XII	—	17	
	14	XXIII	—	6	Emb.
Emb.	15	IV	—	25	
	16	XV	—	14	
Emb.	17	XXVI	—	3	Emb.
	18	VII	—	21	
	19	XVIII	—	10	
		vel Ætas Lunæ in die Feb. 28.	Plena dierum XXX.		

Confer infra, §° 150, 157, &c.

L I X.

Methodus ad inveniendum Lunas XIV^as in quolibet anno Mundi.

Hanc Methodum Auctor nullibi expresse tradit.

Ea tamen facile colligitur ex exemplis in quibus eam passim adhibet.

Eam explicat Petavius in Uranol. in Auctario L. 8. C. 11. p. 321.

Est autem talis:

Epactis Lunæ jam inventis

Addit 13 dies, quos *anteluminares*, πρὸ τ̃ φωςήρων vocat, (Confer §° 156.) qui a die Martii 8° inclusive, usque ad diem Martii 21^um exclusive & sic ante diem illum in quo φωςῆρες, Sol & Luna creata sunt, & in quem citima Luna XIV^a cadit, adeoque citima oppositio τ̃ φωςήρων, Solis & Lunæ fit, effluxerunt.

Addit præterea 7 dies, quos *antelunares*, προσελήνες, vocat, (Confer §° 156.) qui a die Mart. 1 inclusive, usque ad diem Mart. 8 exclusive, & sic ante diem illum, in quem citima Neomenia cadit, effluxerunt.

Huic summæ,

Quando infra numerum XLIV^um invenitur,

Addit tot dies, quot requiruntur, ut illa summa fiat præcise dierum XLIV, ita ut ablatis XXX, remaneant præcise XIV.

Quando autem ultra numerum XLIV^um assurgit,

Addit tot dies, quot requiruntur, ut illa summa fiat præcise dierum LXXIV, ita ut ablatis bis XXX, remaneant præcise XIV.

Dies autem huic summæ, in utroque casu additi, a die Mart. 21° inclusive numerati, indicant in quem diem Martii aut Aprilis cadat Luna XIV^a.

Exempla vide p. 75. 199. 210. 215. 216. 220, 21. 229.

L X.

Methodus ad inveniendum Lunas XIV^as illustratur exemplis.

1^um Proposito anno Mundi 5540, qui invenitur Cycli annus XI^us, & cujus Epactæ inveniuntur XX.

Epactis

Epactis jam inventis XX
adde anteluminares XIII
item anteluminares VII
summa XL
adde ab 21° Martii dies IV
fiunt XLIV
aufer XXX
remanent XIV
ergo Luna XIVª cadit in diem Mart. 24.

2um Proposito anno Mundi 5539, qui invenitur Cycli annus Xus, & cujus Epactæ inveniuntur IX.

Epactis jam inventis IX
adde anteluminares XIII
item antelunares VII
summa XXIX
adde ab 21—31 Mart. XI
item ab 1—4 April. IV
simul XV
fiunt XLIV
aufer XXX
remanent XIV
ergo Luna XIVª cadit in diem April. 4.

3um Proposito anno Mundi 5538, qui invenitur Cycli IXus, & cujus Epactæ inveniuntur XXVIII.

Epactis jam inventis XXVIII
adde anteluminares XIII
item antelunares VII
summa XLVIII
adde ab 21—31 Mart. XI
item ab 1—15 April. XV
simul XXVI
fiunt LXXIV
aufer bis XXX, hoc est LX
remanent XIV
ergo Luna XIVª cadit in diem April. 15.

LXI.

L X I.

Methodus ad inveniendum Lunas XIV^as explicatur.

Ut artificium hujus Methodi patescat, observa sequentia:

1°, Numerus Epactalis incipit a Neomenia, seu Luna nova, quæ in Februario nata est, (excepto 1° Cycli anno) & facit mensem Lunarem plenum dierum XXX. Et desinit ille numerus Epactalis die Februarii 28°.

2°, Huic numero Epactali adduntur anteluminares XIII, & antelunares VII, qui simul sumpti faciunt XX, & incipiunt a Mart. 1, & desinunt in die Mart. 20.

3°, Summa dierum, quæ ex hac additione oritur, incipit a Luna nova in Februario nata, & desinit in die Mart. 20.

4°, Luna illa nova, in Feb. nata, a qua hæc summa dierum incipit, non est Luna Paschalis.

5°, Hæc summa, infra XLIV reperta, & aliquot diebus a Mart. 21 inclusive aucta, donec fiat præcise dierum XLIV, incipiet, ut antea, a Luna nova in Febr. nata, & desinet vel in ultimis Martii diebus (ab 21 usque ad 31) vel in primis Aprilis diebus. Vide Exempl. 1^um & 2^um.

6°, Si itaque ab hac summa auferas XXX dies, sive mensem Lunarem plenum, tum Reliquum incipiet a Luna nova quæ in Martio nata est, & Lunam XIV^am dat ultra Martii 20, adeoque Paschalis est.

7°, Quia autem hoc Reliquum est dierum XIV, & in cognito die Martii vel Apr. desinit, notum erit in quem diem incidit Luna XIV^a Paschalis.

8°, Hæc summa autem, quæ a Luna in Feb. nata incipit, & in die Martii 20 desinit, si reperiatur ultra XLIV (nam præcise XLIV nunquam fit) tum patet, non modo Lunam illam in Febr. natam cursum suum dierum XXX jam absolvisse, sed etiam Lunam, quæ post hanc, in primis Martii diebus nata est, suam XIV^am jam attigisse ante Æquinoctium seu diem Mart. 21, adeoque hanc Lunam quoque eam ob caussam non esse Paschalem, sed Embolimæam, & propterea quoque dierum XXX: & hinc est cur in illo casu hæc summa tot diebus augeatur, donec fiat dierum præcise LXXIV, ut nempe ab illa duo menses Lunares pleni, uterque dierum XXX, & simul sumpti dierum LX auferri possint: quo facto Reliquum incipit a Neomenia Paschali: & Luna XIV^a Paschalis cognita est. Vide Exemplum 3^um.

LXII.

Observatio specialis circa Methodum ad inveniendas Lunas XIV.

Si illa cautela, quam proposui §° 56, circa Epactas Lunares, in anno Cycli 18° & 19°, non observetur, sed anno 18° Epactæ VII, & anno 19° Epactæ XVIII dentur:

Tum hæc cautela adhibenda erit circa Lunas XIVas in duobus illis Cycli annis, ut summa dierum non augeatur ad XLIV, sed ad XLIII tantum.

Multo tamen naturalior prior cautela, circa Epactas adhibenda.

Confer infra §° 150°.

LXIII.

Cur dies illos XIII vocat προφωστήρων, *& dies illos VII* προσελήνους.

Hoc clarum citimam, Lunam XIVam (in Luna autem XIVa supponitur fieri oppositio φωστήρων, Lunæ & Solis) cadere in diem Martii 21.

Et ab illo die Martii 21 exclusive, retro numerando usque ad diem Martii 8, inclusive, inveniri dies XIII.

Clarum quoque est Neomeniam Paschalem citimam cadere in diem Mart. 8.

Et ab illo die Martii 8 exclusive, retro numerando usque ad diem Mart. 1 inclusive, inveniri dies VII.

Adeoque hanc ob causam, dies illos XIII posse vocari προφωστήρων, anteluminares, quia citimam Lunam XIVam in qua oppositio luminarium fit, & diem Martii 21, in quo luminaria creata sunt, præcedunt.

Et dies illos VII posse vocari προσελήνους, antelunares, quia citimam Neomeniam Paschalem, & sic Lunam quæ in illo die nova nascitur, præcedunt.

Sed non æque clarum est, an hæ denominationes respectum habeant ad primam creationem luminarium in die Mundi 4°, & ad Lunam novam prolepticam ante dies XIII.

Nam,

Nam, hoc posito, sequeretur, in 1° Mundi anno, in die a Mundo condito 4° fuisse Lunam XIV^am in die Mart. 21°, quod nec cum ejus Cyclo Lunari, in quo 1^us annus Lunam XIV^am habet in die April. 13. convenit, nec difficultas tollitur illa distinctione anni κτ̀ φύσιν primi, κτ̀ θέσιν autem secundi, nam in anno κτ̀ θέσιν 2°, Luna XIV^a non in diem Mart. 21, sed in diem Apr. 2 incidit.

Et tum tota illa distinctio anni κτ̀ θέσιν & κτ̀ φύσιν, saltem hujus distinctionis fundamentum, quod antea posuimus, everteretur: vel Auctor plane ἀσύςατον conciperet: Nam illa distinctio conciperet Lunam cursum suum incipientem cum die Mundi 4°, Martii 21, & habentem Lunam XIV^am in die April. 2. Hæc autem denominatio supponeret Lunam cursum suum incipientem XIII diebus ante diem Mundi 4^um, Mart. 21^um, & habentem Lunam XIV^am in illo die.

Mea sententia hæc est:

Dies illos XIII, a Mart. 21, retro numeratos, vocari πρὸ φωςήρων, quia quamcunque Lunam XIV^am Paschalem, (in qua luminarium oppositio fit) præcedunt: præcedunt autem quamcunque, quia etiam citimam, quæ in diem Martii 21 cadit, præcedunt.

Et dies illos VII, a Mart. 8 retro numeratos, vocari προσελήνους, quia quamcunque Neomeniam seu Lunam Paschalem præcedunt: præcedunt autem quamcunque, quia etiam citimam Lunam Paschalem, quæ in diem Mart. 8 incidit, præcedunt.

Hæc tamen mea sententia hanc locutionem πρὸ τῶ φωςήρων hic in Computo Lunari paulo aliter & magis generaliter sumi, quam Auctor eandem sumit in Computo Solari, ubi clare respectum habet ad diem Mundi 4^um in quo γένεσις τῶ φωςήρων facta est.

Confer infra, §° 156°.

LXV.

Methodus ad inveniendam ætatem Lunæ in quolibet anni die.

Dubito an eam alicubi explicet, habet quidem aliquid, quod eo videtur pertinere in Schemate p. 197. 194.

Sed de eo agam in explicatione illius Schematis.

LXVI.

Cur in Computo Solari & Lunari sumat annos Mundi, uno dempto.

Ratio hujus rei in utroque Computo eadem est:

Quia nempe Epactæ tam Solis, quam Lunæ anni Mundi propositi, quæ quæruntur, non sunt Epactæ, quas hic annus Mundi evolutus relinquit pro sequenti anno, sed quas ipse nunc incepturus a præcedentibus jam evolutis recipit.

Exempli gratia, quando quæruntur Epactæ anni Mundi 5540., non quæritur quot Epactas annus Mundi 5540us evolutus relinquet & anno sequenti 5541° dabit, sed quæritur proprie, quot Epactas annus Mundi 5539 evolutus reliquit pro sequenti anno 5540°, quasque annus Mundi 5540us incepturus a præced. accipit.

Hoc ex natura rei, & usu Epactarum ad inveniendam Feriam & Lunam XIVam patet.

Patet quoque ex illa formula loquendi προκειμέναι ἐπακταί, Epactæ præjacentes, quia anno, qui illas Epactas habere dicitur, præjacent, & præponuntur.

Consectarium.

Supponit hic Computus annum Mundi 1um esse quoque annum 1um tam Cycli Solis quam Cycli Lunæ.

Et quia Auctor id expresse dicit in Præfatione p. 12., tam Cyclum suum Solis quam Cyclum suum Lunæ, ex quibus ipsius Periodus 532 annorum conflatur, incipere a γενέσει τῶν φωστήρων, adeoque cum 1° Mundi, requiritur, ob rationes modo datas, ut Computus peragatur sumptis annis Mundi, uno dempto.

Unde etiam in exemplis hoc sæpius expresse dicit, & aliquando expresse monet. p. 75. 194. 201. 210. 220.

Consectarium.

Hinc porro patet in Computo Lunari, reliquum, quod ex divisione annorum Mundi, uno dempto, per XIX, remanet non exprimere annum Cycli Lunæ concurrentem cum anno Mundi proposito, sed annos Cycli ante illum jam elapsos, adeoque illi reliquo addendam esse unitatem, ut habeatur annus Cycli. . Confer §um 52.

Consectarium.

Hinc denique patet 1um annum Cycli tam Solis, quam Lunæ habere Epactas nullas, vel, quod eodem redit, Epactas Solares VII, & Lunares XXX.

Con-

Consectarium.

Supponit hic Computus annum Mundi 1um, & annum Cycli Solis 1um esse primum ab anno Bissextili, dierum 366, proxime transacto.

LXVII.

De Æra, quam Auctor adhibet, & Cyclis suis illigat in genere.

Auctor utitur Æra Mundana, sive a Mundo condito.

Hanc Æram constituit, more Computistis solito, per annos Patriarcharum & Regum expansos & collectos.

Atque sic Canonem quendam Chronologicum (plane ut Ptolomæus fecit) construit.

In quo annos vitæ Patriarcharum, & annos Imperii Regum semper completos numerat: quod probe notandum.

Hæc est Auctoris Æra præcipua & capitalis, quæ per totum Chronicon regnat.

Incipiunt autem in hac Auctoris Æra Mundana, anni singuli a die Martii 21°, seu ab Æquinoctio verno: quod etiam probe notandum.

LXVIII.

De Æra Olympiadum quam Auctor connectit cum Æra sua Mundana.

Auctor Olympiades incipit ab anno 51° Regis Judæ Oziæ, qui & Azaria vocatur, Mundi 4732°, & deinceps eas semper cum annis Regum, quibus ipsius Æra Mundi constituitur, connectit. Vide p. 204.

Concurrunt itaque

annus Regis Oziæ qui & Azar.	annus Mundi	Olympiadis
51us	4732us	1a annus 1us.

LXIX.

De Æra Consulari quam Auctor connectit cum Æra sua Mundana.

Auctor Æram Consularem incipit ab anno 31° Regis Persarum Artaxerxis Longimani, Mundi 5068°, Olympiadis LXXXVa anno 1°, &

& deinceps hanc Æram Consularem cum sua Mundana connectit, annotando ad singulos annos Regum, par Consulum istius anni.

Concurrunt itaque.

annus Artaxerx. Longim.	annus Mundi	Olympiadis	Consules Romani
31us	5068us	LXXXVa annus 1us	Brutus & Collatinus.

L X X.

De Æra Indictionum quam Auctor connectit cum Æra sua Mundana.

Auctor Indictiones Romanas incipit anno 6° Reginæ Ægypti Cleopatræ, anno 1° Julii Cæsaris, Mundi 5461°, Olympiadis CLXXXIIIa, anno 2° ; & deinceps eas singulis annis Regum adjungit. Vide p. 187. Ubi tamen ad annum VII Cleopatræ 2um Julii Cæsaris, legendum Ind. II, non I, ut male impressum est; quod ex sequenti serie annorum clare patet.

Auctor Indictiones Constantinopolitanas (quæ tamen Romanas continuata serie annorum sequuntur) incipit ab anno 8° Constantini Magni, Mundi 5822°, Olympiadis CCLXXIIIa anno 2°, & deinceps eas annis Regum semper adjungit.

Concurrunt itaque

annus Cleop.	annus Julii Cæs.	annus Mundi	Olympiadis	annus Indict. R.
6us	1us	5461us	183a annus 2us	1us.

item

annus Constant. M.	annus Mundi	Olympiadis	annus Indict. CP.
8us	5822us	273a annus 2us	1us.

L X X I.

De errore unius anni in concursu harum Ærarum in anno Mundi 5544 oborto.

In Synchronismo harum ærarum irrepsit Parachronismus unius anni, qui intercedit inter Æram Mundanam, ab unâ, & reliquas Æras, ab altera parte, & qui concernit annum Mundi 5544um.

Vide sequens Schema.

Cleop.

Cleop. annus	Jul. Cæſ. annus	Mundi annus	Indict. annus	Olympiadis
1		5456		182 annus 1us
6	1	5461	1	183 . . . 2us
10	5	5465	5	184 . . . 2us
	Auguſti			
11	1	5466	6	184 . . . 3us
22	12	5477	2	187 . . . 2us
Auguſti ſolius				
1	13	5478	3	187 . . . 3us
27	39	5504	14	194 . . . 1us
28	40	5505	15	194 . . . 2us
29	41	5506	1	194 . . . 3us
30	42	5507	2	194 . . . 4us
44	56	5521	1	198 . . . 2us
	Tiberii			
	1	5522	2	198 . . . 3us
	15	5536	1	202 . . . 1us
	16	5537	2	202 . . . 2us
	17	5538	3	202 . . . 3us
	18	5539	4	202 . . . 4us
	19	5540	5	203 . . . 1us
	20	5541	6	203 . . . 2us
	21	5542	7	203 . . . 3us
	22	5543	8	203 . . . 4us
		5544		
	Caligulæ			
	1us	5545	9	204 . . . 1us
	2	5546	10	204 . . . 2us
	3	5547	11	204 . . . 3us
	4	5548	12	204 . . . 4us
	Claudii			
	1	5549	13	205 . . . 1us
	Diocletiani			
	1	5795	4	266 . . . 3us
	Conſtantini			
	1	5815	9	271 . . . 3us
	20	5834	13	276 . . . 2us
	32	5846	10	279 . . . 2us
	Heraclii			
	1us	6120	14	347 . . . 4us

Ex

Ex præcedenti Schemate patet in concursu harum ærarum errorem committi in anno Mundi 5544.

Nam anni Mundi ibi more solito progrediuntur, vel potius annus ille Mundi irrepit; anni autem Indictionum & Olympiadum ibi gradum sistunt, & hunc annum Mundi 5544^um transilientes, sequenti anno Mundi progrediuntur, continuata serie, plane ac si ille Mundi annus non intercessisset.

Et hic unius anni error, quod notandum & observandum, continuatur usque ad finem Chronici.

Judicium de hoc errore, a qua parte ille sit statuendus, & corrigendus, an a parte Æræ Mundanæ, an a parte reliquarum ærarum, *In*dictionum scilicet & Olympiadum; & si a parte harum ærarum, an error in illis Æris annum illum Mundi 5544 antecedat vel sequatur, hoc est, an Indictiones & Olympiades, quæ illum annum Mundi præcedunt, sint in relatione ad annos Mundi uno anno protrudendæ, an vero Indict. & Olymp., quæ hunc annum Mundi sequuntur, sint uno anno retrotrudendæ, de eo (inquam) judicium suspendo hactenus; de ea re in posterum suo loco commodius acturus. Quod feci §° 114, qui hic omnino conferri debet.

LXXII.

De Paschatibus &c. quæ sparsim in hoc Chronico calculantur, & ad certos annos Mundi alligantur.

Nunc ad confirmationem eorum, quæ antea tam de Cyclo Solis & Lunæ, quam de Computo Solari & Lunari, dicta sunt: & ad præparationem eorum, quæ adhuc dicenda sunt, percurram Exempla Computi Auctoris, & Paschata tam legalia, seu Lunas XIV^as P, quam Christiana, quæ in hoc Chronico occurrunt.

LXXIII.

De Paschate 1°, *quod computatur p. 75.*

Pascha primum, cujus mentionem facit, & cujus calculum init, est Pascha primum quod Israëlitæ comederunt ea nocte qua ex Ægypto exierunt.

Hoc

Hoc Auctor expreſſe dicit p. 75, καὶ δῆλον ὡς ι΄ τοῦ πρώτου μηνὸς (καθὸ τὸ πρῶτον ἐν Αἰγύπτῳ Πάσχα ἐπετελεῖτο, καὶ προσετάχθησαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ λαβεῖν τὸ πρόβατον καὶ διατηρῆσαι) τῇ θ΄ ἔφθασεν τοῦ Ἀπριλλίου μηνός. hoc eſt, *& manifeſtum eſt* (ex præcedenti ſcilicet calculo) *quod Xª primi menſis* (*quando*, vel *in quo* (ſcilicet menſe, non *in qua* ſcilicet Luna, ut verſio habet) *primum in Ægypto Paſcha celebratum eſt, & juſſi ſunt filii Iſraël accipere agnum & ſervare*) 9° (die) *incidit Aprilis menſis.*

Et paulo poſt, εἶτα θέλοντες γνῶναι καὶ ποία ἡ ἡμέρα τῆς ἑβδομάδος ἦν, ὅτε τὸ πρῶτον ἐν Αἰγύπτῳ γέγονε Πάσχα. hoc eſt: *deinde volentes ſcire etiam, quæ dies ſeptimanæ erat, quando primum in Ægypto factum eſt* (non *inſtitutum*, ut verſio habet) *Paſcha.*

De hoc Paſchate varia dicit:

1°, Dicit Lunam XIVªᵐ, qua Paſcha hoc celebratum eſt, incidiſſe in diem 13 Aprilis.

2°, Dicit illum diem 13 Aprilis incidiſſe in Feriam I.

3°, Dicit hunc annum Cycli Lunæ, cujus Luna XIVª cadit in diem 13ᵘᵐ Aprilis, habere Epactas XXX.

4°, Vocat hunc annum Cycli Lunæ, annum, κατὰ φύσιν, 19ᵘᵐ, adeoque erat annus, κατὰ θέσιν, 1ᵘˢ. Vide §ᵘᵐ 42.

5°, Invenit in hoc anno Epactas Solis II, adeoque Feriam 2ᵈᵃᵐ in die Mart. 17. Eratque itaque litera Dom. in Martio E.

6°, Ad hæc invenienda ſumit annos Mundi 3838, tam in Computo Lunari, quam in Computo Solari: & in Computo Lunari expreſſe monet, hoc Paſcha non cadere in annum Mundi 3838, ſed 3839, atque eam ob cauſam ſe non 3837, ſed 3838 diviſiſſe per XIX.

Characteres hujus Paſchatis ſunt

anno Moſis	anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis	Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIVª	Feria	Lit. Dom.
82	3839	1	(3)	XXX	II	Apr. 13.	1ª	(E)
	a Mart. 21 incipiente	κατὰ θέσιν in Cyclo.						

Quæritur an hoc Paſcha inciderit in annum Mundi 3838, an vero 3839.

Reſpondeo characteres hujus Paſchatis poſtulare annum Mundi 3839, & non admittere annum Mundi 3838. Nam

1° Annus Cycli Lunæ habens Epactas XXX, & Lunam XIV^{am} die Apr. 13, eſt annus Cycli Lunæ 1^{us}, ut ex Schematibus p. 197 & 288 patet; unde etiam, dum vocatur κατὰ φύσιν 19^{us}, ſtatuitur κατὰ θέσιν (in Cyclo ſcilicet) 1^{us}. Annus Cycli Lunæ 1^{us}, in primo ſcilicet Cyclo Lunæ, incipit (ut ex præfatione patet) a γενέσει τῶν φωστήρων, adeoque ab anno Mundi 1° : adeoque ab anno Mundi 1° incluſive uſque ad annum Mundi 3838^{um} incluſive, elapſi ſunt Cycli Lunæ completi 202, & anno Mundi 3839° incidit Cycli Lunæ 203^{tii} annus 1^{us}.

2° Annus Cycli Solis habens Epactas II, & Feriam I^{am} in die April. 13, adeoque literam Domin. E. (Poſito quod Cyclus Solis, ut præfatio dicit, incipiat a creatione luminarium: ab anno Biſſextili) prodit annum Cycli Solis 3^{um}, adeoque annum Mundi 3839^{um}. Nam ab anno Mundi 1° incluſive uſque ad annum Mundi 3836^{um} incluſive, elapſi ſunt Cycli Solis completi 137; & anno Mundi 3839° incidit Cycli Solis 138^{mi} annus 3^{us}.

3° Methodus ad inveniendum Epactas Lunares & Solares adhibita, ſumendo annos Mundi 3838, oſtendit annos Mundi 3838 jam elapſos eſſe, & quæſtionem eſſe de Paſchate anni 3839^{ni}.

Dubium movetur ex eo, quod Auctor videatur hoc Paſcha referre ad annum Mundi 3838, & Cycli Lunæ 19^{um}.

Reſpondeo 1°, quod annum Cycli Lunæ attinet, Auctorem quidem hunc annum vocare κατὰ φύσιν 19^{um}, ſed eo ipſo oſtendere, eſſe κατὰ θέσιν, adeoque in Cyclo ſuo 1^{um}.

Reſpondeo 2°, quod annum Mundi attinet, Auctorem hoc Paſcha non illigare anno Mundi 3838, ſed 3839: hoc Auctor ipſe, quando, rationem reddens, cur ad inveniendam X^{am} primi menſis, in quo hoc Paſcha celebratum eſt, diviſerat non 3837, ſed 3838, per XIX, dicit, διατί τὰ ͵γωλη' ἐμερίσαμεν, καὶ οὐχὶ τὸ ἓν ἐξελόντες τὰ ͵γωλζ' ἐμερίσαμεν: & reſpondet, ἐπειδὴ ͵γωλη' ἔτει γενέσεως κόσμου εἰσῆλθεν πρὸς Φαραὼ Μωυσῆς καὶ Ἀαρὼν· καὶ ἀπὸ κα' καὶ αὐτῆς τοῦ Μαρτίου μηνὸς ἐπέλαβε τὸ ͵γωλθ' ἔτος τοῦ κόσμου: καὶ εἰκότως τὰ ͵γωλη' μερίζομεν παρὰ τὸ ιθ'. hoc eſt, *quare autem* 3838 *diviſimus*, *& non*, *uno dempto*, 3837 *diviſimus. Quoniam* (inquit) 3838° *anno creationis Mundi ingreſſi ſunt ad Pharaonem Moſes & Aäron*, *& a* 21° *Martii menſis incluſive ſupervenerat*, vel *ſucceſſerat* 3839^{us} *annus Mundi*: *& merito* 3838 *dividimus per XIX.*

Cur

Cur ergo hæc annotat ad annum Mosis 81^{um}, qui est Mundi 3838^{us}?

Respondeo 1° annum Mosis 81^{um} recte statui annum Mundi 3838^{um}, id enim ex serie annorum Patriarcharum expansorum & collectorum patet: nam

a Mundo condito ad Diluvium finitum, anni	2262
a Diluvio ad vocationem Abrahami, seu ejus vitæ annum 75^{um}, anni 1145. colliguntur anni	3407
ab anno Abrahami 76° usque ad annum Mosis 81^{um} exclusive, & profectionem Israëlitarum ex Ægypto sunt anni 430. colliguntur anni	3837
annus itaque Mosis 81^{us} est annus Mundi	3838^{us}

Adeoque solutio ab hac parte quærenda non est.

Respondeo 2°, Auctorem ad hunc annum Mosis 81^{um} referre vel annotare Mosis vocationem ad liberationem Israëlis, ejusque ingressum ad Pharaonem, cum fratre suo Aärone; nec obstat, quod Moses dicatur fuisse 80 annorum, quum locutus est ad Pharaonem, nam is proprie 80 annorum est, cujus annus 80^{mus} completus est, & 81^{us} labitur: præterea Auctorem ad hunc annum Mosis 81^{um} annotare omnes X plagas Ægyptiacas, etiam ultimam, cædem scilicet primogenitorum, quæ accidit in illa nocte, qua Israël Pascha comedit, & ex Ægypto exiit: item omnia præcepta de Paschate Israëli data, atque ea occasione etiam computare Pascha illud primum, quod jam jam ex Ægypto exituri celebraverunt: imo etiam ad illum Mosis annum annotare interitum Pharaonis in mari rubro. Unde quam clarissime patet Auctorem ad hunc annum Mosis 81^{um}, Mundi 3838, referre seu annotare non tantum ea, quæ toto illo anno labente contigere, sed etiam ea, quæ anno Mosis 82°, Mundi 3839° ineunte contigerunt, quia illa tam arctam cum præcedentibus connexionem habebant. Atque etiam hinc est, quod annus Mosis 82^{us}, & Exodi seu Exitus ex Ægypto 2^{us} non annotetur, sed statim annus Mosis in deserto, & annus Exitus 3^{us} subjungatur, ut videre licet p. 76, quia nempe ea, quæ anno vitæ Mosis 82°, ejusdem in deserto, & exitus ex Ægypto 2° contigere, jam annotata erant.

Respondeo 3°, Auctorem, quando propositurus erat præcepta de celebratione Paschatis, & Paschatis institutionem, ac celebrationem ejus primam, sic incipere, τούτῳ τῷ ͵γωλη΄ ἔτει γενέσεως κόσμου, ἀρχὴν εἰληφότι ἀπὸ κα΄ τοῦ Μαρτίου μηνὸς, καὶ δευτέρῳ τῆς Ἐξόδου, εἶπεν ὁ κύριος πρὸς Μωυσῆν καὶ Ἀαρὼν ἐν γῇ Αἰγύπτου λέγων &c. hoc est: *Hoc* 3838° (non 3837°, ut male in versione legitur, vitio, ut puto, Typographi) *anno Creationis Mundi, qui initium accepit a 21° Martii mensis, & secundo Exitus* (scilicet

licet ex Ægypto) *dixit Dominus ad Mosem & Aäronem, dicens: hic mensis, initium mensium, primus &c.*

Annus quidem vitæ Mosis 81^{us}, Mundi 3838^{us}, in quo præparatio ad Exitum, & quo exeunte, & sequenti anno ineunte Exitus ipse factus est, numeratur Auctori annus Exitus 1^{us}, ut p. 76 videre licet: sed non potest dici annus Exitus 2^{us}: adeoque hæc verba Auctoris, modo adducta, vel corrigenda, vel commoda explicatione interpretanda erunt.

1^{a} Conjectura, si retinere velis designationem annorum Mundi, & legere anno Mundi 3838^{o}, corrigenda erit designatio anni Exitus, & pro δευτέρῳ, legendum πρώτῳ.

2^{a} Conjectura, si utramque designationem temporis retinere velis, tum hæ duæ designationes temporis, non conjunctive in Synchronismo, sed disjunctive sumi deberent, hoc sensu, anno Mundi 3838^{o}, qui est Exitus annus 1^{us} & anno Exitus 2^{o}, qui est Mundi 3839^{us}, duobus hic annis, data sunt illa de Paschate præcepta, quæ in sequentibus adducam:

3^{a} Conjectura, pro γωλη″ legendum esse γωλθ″, hoc est, pro anno Mundi 3838^{o}, legendum esse 3839^{o}, qui Auctori est 2^{us} annus Exitus: & forte superscriptum fuisse II, ad designandum annum Mosis in deserto 2^{um}, & simul annum Exitus 2^{um}, quemadmodum p. 76 superscribitur III, IV, V, VI, ad designandum annum Mosis in deserto, & simul Exitus 3^{um}, 4^{um}, 5^{um}, 6^{um}; atque hanc superscriptionem incuria Librariorum excidisse.

Judicium meum de tribus his conjecturis hoc est, tertiam esse probabilissimam: nam

Quod primam attinet, correctio, qua δευτέρῳ mutatur in πρώτῳ, satis difficilis est, scribitur enim non litera numerali β″, sed plene δευτέρῳ: præterea præceptum illud de Paschatis celebratione non datum diu, sed proxime ante Lunam X^{am} in qua agnus capiendus & servandus erat, adeoque anno Mundi 3839, ab 21 Mart. incipiente, jam ineunte, nam illo anno Mundi Luna X^{a} primi mensis cadit in diem 9^{um} Aprilis.

Quod secundam attinet, talis designatio temporis disjunctiva insolens est, & contra consuetum Auctoris morem, & tanto magis insolens, quia ex duplici & diversa Æra vel Epocha desumta est.

Quod tertiam attinet, correctio ibi facilis, & mutatio exigua, quando pro γωλη″ legitur γωλθ″. Præterea probabilis redditur, quia natura rei suadet hoc præceptum de Paschate, quod subjungitur, datum esse anno Mundi 3839^{o} ineunte; quo facit, quod hic annus Mundi dicatur ἀρχὴν εἰληφὼς ἀπὸ κα″ Μαρτίου μηνὸς, cujus moniti alias vix ratio invenitur: accedit, quod

quod hoc modo annus Mosis in deserto, & Exitus II^dus^ restituatur, qui alias plane omissus est, quod tamen in hac parte Chronici non solet fieri. Unum tantum obstare videtur, scilicet quod tum occasio auferri videtur istius moniti, qua rationem reddit, p. 75, cur ad inveniendam Lunam X^am^ primi mensis, in quo hoc Pascha Exitus celebratum est, per XIX divideret 3838, & non, uno dempto 3837, si nempe hæc de institutione & celebratione Paschatis præcepta expresse subordinata vel annotata fuissent sub anno Mundi 3839°. Nescio tamen an hæc objectio tanti sit, ut propterea hæc conjectura rejici debeat. Præsertim, cum illud monitum occurrat objectioni, quæ desumitur ab ingressu Mosis & Aäronis ad Pharaonem, qui in Scriptura dicitur accidisse, quum Moses esset annorum 80, adeoque quum laberetur ejus vitæ annus 81^us^, qui concurrit cum anno Mundi 3838°, quæ objectio proinde videbatur inferre illud Pascha incidisse eo anno quo Mosis ad Pharaonem ingressus est, adeoque ejus anno 81°, & consequenter Mundi 3838°, atque propterea, ad inveniendam Lunam X^am^ primi mensis, per XIX dividi debere, non 3838, sed uno dempto, 3837. Ad quam objectionem respondet, ingressum Mosis ad Pharaonem factum quidem esse anno Mundi 3838, sed post illum ingressum a 21° Martii supervenisse, vel successisse annum Mundi 3839^um^, atque proinde eum merito 3838, per XIX, dividere.

Observatio 1^a^.

Cum jam ex ipsa Chronologia, & expressis verbis pateat hoc Pascha legale die Apr. 13 illigari anno Mundi 3839°, hinc sequitur idem Pascha legale, seu eandem Lunam XIV^am^ illigatam esse anno Mundi 1°; & quia Cyclus Lunæ Auctoris incipit a creatione luminarium, annum Cycli Lunæ I^um^ habere Lunam XIV^am^ in die April. 13°. Ac proinde annum Æræ Mundanæ Auctoris 5510^um^ concurrere cum anno Æræ Vulg. 1°.

Observatio 2^a^.

Hinc etiam patet hunc Auctoris Cyclum Lunæ hanc habere prærogativam, quod 1^us^ Cycli annus habeat primum Pascha legale, quod in Exitu ex Ægypto celebratum est: quanquam Auctor nullibi, quantum observavi, hoc moneat; nisi re ipsa hoc loco. Sed notandum, hanc temporis ordinationem singularem ab Auctore studio ita fuisse dispositam, ut hoc obtineret.

LXXIV.

De Paschate 2do, vel potius de Epactis Lunæ & Solis quæ computantur p. 194, 95.

Quæstio est de anno a Mundo Condito 5506, ut Auctor expresse dicit in initio, & deinde in conclusione calculi utriusque bis repetit.

In Computo Lunari expresse dicit se a 5506 auferre unitatem, & 5505 dividere per XIX, & reliquum esse 14

ἀπὸ τῶν εφϛ″ ἐτῶν
τὸ α″ ἀφαιροῦντες
τὰ εφε″ ποιοῦμεν παρὰ τὸν ιθ
λοιπὸν ιδ″

Deinde sic pergit, τὸ (φύσει μὲν) ιδ″ (θέσει δὲ ιε″) ἔτος τοῦ ιθ″ ἐτηρίδος ἔχει δ″ ἐπακτάς; ita enim verba Auctoris esse supplenda, res ipsa clamat: certum enim est, & ex ipso calculo, & ex Epactis huic anno datis, & ex Schemate p. 197, & ex pluribus aliis argumentis, Auctorem hic loqui de anno Cycli sui 15°, eumque hic vocare annum, φύσει scilicet, 14um, quemadmodum, ut antea vidimus, p. 75, annum Cycli sui 1um vocaverat annum κατὰ φύσιν 19um, & p. 220, annum Cycli sui 11um vocabit φύσει μὲν ι″ ἔτος, θέσει δὲ ια″.

In Computo autem Solari invenit Epactas Solis VII, & Feriam VIIam Sept. 1.

Characteres itaque Lunares & Solares hujus anni hic occurrentes sunt

anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis	Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIVa	Feria	Lit. Dom.
5508 a Mart. die 21.	15 κατὰ θέσιν in Cyclo.		IV	VII			(G)

NB. Hæc ab Auctore connectuntur cum anno 39° Imperii Augusti, contra ipsius Canonem Chronologicum: de quo postea.

LXXV.

LXXV.

De Paschate 3°, vel potius de Epactis Lunaribus & Solaribus, & de Luna X$^{\text{a}}$ primi mensis quæ computantur p. 199. 201, 2. & 5.

Quæstio est de anno Mundi 5507, ut clare patet

In Computo Lunari p. 199.

Expresse dicit: *Invenimus vero X$^{\text{am}}$ primi mensis Lunæ, concurrentem in hoc præsenti 5507° anno, cum* (die) 25° *Martii mensis.*

Est enim hoc præsenti anno 5507°, Enneadecaëteridis annus 16$^{\text{us}}$, & habet adscriptas (ἀναγεγραμμένας) *Epactas XV.* &c.

In Computo Solari, p. 201, 2.

Expresse dicit, *ponimus 5507, uno dempto,* τίθεμεν τὰ εφζʹʹ παρὰ τὸ ἓν &c.

Atque invenit Epactas Solis 1$^{\text{am}}$, & Feriam II$^{\text{dam}}$ die 24° Junii, & Feriam IV$^{\text{am}}$ die 25° Decemb. Adeoque lit. Dom. F.

Dicit p. 203, in sequentis Januarii (qui ad eundem annum Mundi 5507$^{\text{um}}$, qui a præcedenti Martii die 21° cœperat, pertinet) die 1° esse Feriam IV$^{\text{am}}$.

In Computo Solari, p. 205.

Ponit diem 2$^{\text{um}}$ sequentis Februarii in eodem anno Mundi 5507°, qui a die 21° præcedentis Martii cœperat.

Sumit Epactam Solis I$^{\text{am}}$, antea inventam,

Et invenit Feriam I$^{\text{am}}$ in die 2° Feb. adeoque in Kal. Juliano lit. Dom. E.

Sunt itaque characteres hic occurrentes, qui sequuntur.

anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis	Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIV$^{\text{a}}$	Feria	litera Dom.
5507	16	(19)	XV	I	Mart. 29 quia Luna X$^{\text{a}}$ Mart. 25.	VI	(F)

Hic annus Mundi 5507 concurrit cum anno 3° ante Æram Vulgarem.

Auctor hunc annum Mundi connectit cum anno 40° Imperii Augusti contra ejus Canonem Chronologicum: de quo postea.

LXXVI.

LXXVI.

De Paschate 4°, vel potius de Epactis Solaribus & Feria quæ computantur p. 210.

Quæstio est de anno Mundi 5536, ut ex pag. 209, & ex sequenti Paschate anni 5537, patet:

Quæstio est in specie de die Januarii 6° in quam Feriam incidit: & quidem de illo die Januarii 6°, qui occurrit in fine anni 5536^{mi} ab 21 Mart. incipientis, & qui præcedit Pascha anni 5537. ut ex omnibus circumstantiis patet.

Juxta Methodum Auctoris perpetuam in Computo Solari, & juxta ipsam rei naturam, quia Cyclus Solaris incipit a creatione luminarium, adeoque ab anno Mundi 1°,

Debuisset sumere annos Mundi 5536, uno dempto, hoc est

debuisset sumere	5535	
eique addere 4^{am} partem	1383	
fiunt	6918	
qui divisi per VII		
relinquunt	2	Epactas Solis
his addere ab Apr. 1,		
usque ad Jan. 6, dies	281	
fiunt	283	
qui divisi per VII		
relinquunt	3	Feriam in die Jan. 6.

Atque sic invenisset
annum Mundi 5536 recipere Epactas II^{as},
& eo anno 5536° exeunte Feriam III^{am}, in die Jan. 6°.

Sed

Sed, plane ac si quæstio esset de anno Mundi 5537, sumit annos 5536, nullo dempto;

nempe sumit plene 5536
iisque addit 4^{am} partem 1384
fiunt 6920
qui divisi per VII
relinquunt 4 Epactas Solis.
his addit ab Apr. 1,
usque ad Jan. 6, dies 281
fiunt 285
qui divisi per VII
relinquunt 5 Feriam die Jan. 6.
atque sic invenit
Epactas Solis IV
& Feriam V^{am} in die Jan. 6.
anno Mundi, non 5536^{o}, ut debebat,
sed revera 5537^{o}.

Nam annus Mundi non 5536^{us}, sed 5537^{us} (ab 21^{o} Martii incipiens) recipit Epactas IV, & habet in fine anni Feriam V^{am} in die Jan. 6. Ut ex Schemate p. 197, & Computo Solari patet.

Sed de hoc errore ejusque fonte in sequentibus agam. §^{o} 111.

Connectit annum Mundi 5536 cum anno 15^{o} Imperii Tiberii, quod cum ejus Canone chronologico convenit.

LXXVII.

De Paschate 4°, quod Computatur p. 210, 11, 12.

Deinde (inquit p. 210) *volentes scire quoto mensis die, in hoc præsenti 5537 anno qui initium sumsit a* 21° *Martii mensis, incidit XIV*ª *primi mensis Lunæ.*

τὰ εφλϛ, hoc est, 5536
dividimus per XIX
relinquitur 7 (annus Cycli, uno minus)
hos multiplica per XI
fiunt 77
abjice bis XXX, hoc est 60
relinquuntur 17 (Epact. Lunæ pro anno M. 5537°)
adde anteluminares 13
item antelunares 7
fiunt 37
adde a 21 Mart. dies 7
fiunt 44
aufer 30
relinquuntur 14

*Incidit XIV*ª *primi mensis Lunæ* (die) 27° *Martii mensis.*
*Deinde volentes scire etiam qua Feria incidit XIV*ª *primi mensis Lunæ*

τοῖς εφλϛ, hoc est, 5536
addimus 4ᵃᵐ partem 1384
fiunt 6920
qui divisi per VII
relinquuntur 4 (Epactæ Solis)
his inventis 4 (Epactis Solis)
adde anteluminares 3
item ab 21 Mart. 7
fiunt 14
abjice 7
relinquitur 7 (Feria in die Mart. 27.)

Cognoscimus

*Cognoscimus igitur, quemadmodum in hoc præsenti anno, incidit XIV*ª *primi mensis Lunæ* (die) 27° *Martii mensis, in Sabbato, seu Feria VII*ª.

Concludit denique p. 211. *Hoc Pascha Legale celebratum esse in* 8° *anno Naturalis Cycli decemnovalis Lunæ, & 21° Naturalis Cycli vigintioctoannalis Solis.*

Characteres itaque hujus Paschatis Legalis sunt sequentes.

anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis	Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIVª	Feria	Lit. Dom.
5537	8	21	XVII	IV	Mart. 27.	VII	(DC)

Hic annus Mundi, habens hos characteres, concurrit cum anno Æræ Vulg. 28°.

Hoc Pascha & hunc annum Mundi videtur connectere cum anno 15 Tiberii: de quo postea

Deinde hanc recapitulationem annorum subjungit pag. 214, 15.

		mens.
Ab Adam ad Diluvium	2262	
A Diluv. ad exitum ex Ægypto	1575	
Ab exitu ad ædificationem Templi 1am, anno Salomonis 4°	614	
A 4° anno Salomonis usque ad Cyrum . .	480 :	3
A Cyro usque ad Alexandrum . . .	248 :	9
Ab Alexandro usque ad præsentem 15um (Tiberii) annum	356	
	5536	

Ὁμοῦ ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως τοῦ παρόντος ἔτους πεντεκαιδεκάτου Τιβερίου Καίσαρος, ἤγουν ΑΠΟ (videtur legendum ἀπὸ) τῆς εἰκάδος καὶ αὐτῆς τοῦ Μαρτίου μηνὸς ἔτη εφλζ″ (Scaliger legit εφλϛ″) πλήρεις.

LXXVIII.

De Paschate 5°, quod Computatur p. 215, 16.

In hoc præsenti (inquit) 5538° *anno creationis Mundi, qui initium sumsit a* (die) 21° *Martii mensis,*

Pascha Legale celebratum

Anno 9° Naturalis Cycli decemn. Lunæ, &

Anno 22° Naturalis Cycli viginti octen. Solis.

In Computo Lunari dicit :

Invenimus in hoc præsenti anno, (Mundi scilicet) εἰς τὸ ἔννατον ἔτος τῆς κατὰ φύσιν ιθ″ ἐτηρίδος προκειμένας ἐπακτὰς κη″.

His addimus &c.

Cognoscimus igitur, quemadmodum hoc præsenti anno incidit XIV^{a} *Lunæ in 15*^{um} *Aprilis mensis.*

In Computo Solari dicit:

Invenimus anno 22° Cycli XXVIII annorum προκειμένας ἐπακτὰς ε″.

His addimus &c.

Cognoscimus igitur quemadmodum XIV^{a} *primi mensis Lunæ, hoc præsenti anno, incidit in Feriam VI*^{am}.

Characteres itaque hujus Paschatis & anni Mundi sunt sequentes.

anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis	Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIV^{a}	Feria	Lit. Dom.
5538	9	22	XXVIII	V	Apr. 15	VI	(B)

Hic annus Mundi habens hos characteres, concurrit cum anno Æræ Vulg. 29°.

Hunc annum Mundi & hoc Pascha videtur Auctor connectere cum anno 16 Imperii Tiberii, contra Canonem Chronologicum. De quo, postea.

LXXIX.

De Paschate 6°, quod Computatur p. 216.

Tertium Legale Pascha celebravit &c.

In 10 anno Naturalis Cycli decemn. Lunæ, &

In 23 anno Naturalis Cycli XXVIII annorum Solis.

In Computo Lunari dicit:

Volentes noscere quoto (die) *mensis incidit, a* (die) *21° inclusive Martii mensis,*

Invenimus hoc decimo anno Naturalis Cycli decemnovalis, Epactas Lunæ IX.

His addimus &c.

Ecce incidit XIV^{a} *primi mensis Lunæ, hoc præsenti anno,* (die) 4° *Aprilis mensis.*

In

In Computo Solari dicit :

Invenimus 23° anno Cycli XXVIII annorum Epactas VI.

His addimus &c.

Cognoscimus igitur, quod XIVª primi mensis Lunæ, hoc præsenti anno 5539° incidit (die) 4° *Aprilis, & Feria IIIª.*

Characteres hujus Paschatis, & anni Mundi sunt sequentes:

anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis	Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIVª	Feria	Lit. Dom.
5539	10	23	IX	VI	Apr. 4	III	(A)

Hic annus Mundi habens hos characteres, concurrit cum anno Æræ Vulg. 30°.

Hunc annum Mundi & hoc Pascha videtur Auctor connectere cum anno 17° Imperii Tiberii, contra Canonem Chronologicum. De quo postea.

L X X X.

De Paschate 7°, quod Computatur p. 217, 20, 21.

Anno (inquit p. 217) 19° *Imperii Tiberii, qui initium sumsit 21° Martii mensis, præsentis IVæ Indictionis, & 11° anno Naturalis Cycli decemn. Lunæ, & 24° Naturalis Cycli XXVIII annorum Solis, &c.*

In Computo Lunari dicit p. 220, 21.

Deinde volentes παραστῆσαι, *quemadmodum hoc præsenti quinquemillesimo quingentesimo quadragesimo anno Creationis Mundi, incipiente a* (die) 21° *inclusive Martii mensis, quoto* (die) *mensis, & qua Feria, incidit XIVª primi mensis Lunæ.*

Invenimus (scilicet illud quod quæritur) vel forte legendum τίθεμεν.

τὰ ͵εφλθ″, hoc est, 5539

ποιοῦντες παρὰ ιθ″, hoc est, divide per XIX

relinquitur 10

Καὶ εὑρίσκομεν κατὰ τὸ φυσικὸν μῆκος ι″ ἔτος τῆς ιθ″ ἐτηρίδος, θέσις ἡ ια″, προκειμένας ἐπακτὰς κ″ (non κα″, ut male editur.)

 Nam

Nam juxta Methodum Auctoris, ad inveniendum Epactas Lunæ,

Sume illud reliquum	10
multiplica illud per XI	
fiunt	110
aufer ter XXX, hoc eſt,	90
relinquuntur	20 Epactæ.

Idem patet ex inſpectione Schematis utriusque p. 197 & 288, ubi annus Cycli Lunæ XI^us adſcriptas, & præpoſitas habet Epactas XX.

Idem patet ex Epactis præcedentis & ſequentis anni, in Computo Lunari utriusque anni inventis.

Idem patet ex ſequenti calculo, qui licet plane ſingularis & irregularis ſit, tamen hoc ſupponit.

Deinde his Epactis	20
addit anteluminares	13
item antelunares	7
fiunt	40
his addit ab 21 Mart.	3
& (inquit) τοῖς 22 λεπτοῖς	
ἄλλα λεπτὰ 45 προθέθες *	
καὶ ἐκ τ῀ 67 λεπτῶν	
λαμβάνομεν μίαν (ἡμέραν)	1
& fiunt	44
abjice XXX, hoc eſt	30
relinquuntur	14

* quia 3^us annus a Biſſexto eſt.

Et ecce cognoſcimus, quemadmodum XIV^a primi menſis Lunæ incidit (die) 23° *Martii menſis.*

NB. Per λεπτὰ intelligit ſexagesimas partes diei, quarum XV faciunt horas 6, ſeu quadrantem diei.

Itaque, quia hic annus 3^us a Biſſexto eſt, pro tribus anni Solaris quadrantibus, ſumit λεπτὰ 45.

Unde autem illa alia 22 λεπτὰ habeat, nondum percipio.

* Cur autem hic tam ſingulari calculo utatur, facile patet, nempe ut hoc

hoc artificio, Luna XIVª videatur cadere in diem 23um Martii, cum ex ordinario calculo, & in Cyclo, inveniatur in die 24° Martii: Ex quo autem fonte hoc oriatur, ex præfationis 1ª parte clarum eſt, & poſtea oſtendam §° 106.

In Computo Solari, p. 221, dicit:

Deinde etiam Feriam deſiderantes ſcire, in quam incidit XIVª.

τοῖς ͵εφλθ″, hoc eſt	5539	
addimus 4am partem	1384	
fiunt	6923	
hos dividimus per XIX	/	
relinquuntur	7	Epactæ Solis
His Epactis inventis	7	
addit anteluminares	3	
& a 21 Mart., incluſive,	3	
fiunt	13	
aufer	7	
relinquuntur	6	

Et demonſtratum, vel *oſtenſum eſt quemadmodum XIVª*, *hoc præſenti anno* 5540° *Creationis Mundi*, *&* 19° *Imperii Tiberii Cæſaris*, *qui initium ſumſit a* 21° (die) *ſecundum Romanos Martii menſis*, *Ind. IV*, ... *incidit* (die) 23° *Martii menſis*, *& die Paraſceves*, *ſeu Feria VIª*.

Characteres itaque hujus anni Mundi & Paſchatis ſunt ſequentes:

anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis	Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIVª	Feria	Lit. Dom.
5540	11	24	XX	VII	Mart. 24 in Cyclo, ſed artificio quodam reducitur ad Mart. 23.	VII Feria VI	(G)

Hic annus M, habens hos characteres, concurrit cum anno ÆræVul. 31°:

Auctor hunc annum Mundi & hoc Paſcha annotat ad annum 18um Imperii Tiberii, contra Canonem Chronologicum; connectit tamen, duo-

duobus in locis, cum anno 19° Imperii Tiberii, ἀρχὴν εἰληφότα ἀπὸ κα'' τοῦ Μαρτίου μηνός. De quo postea.

Confer omnino p. 388. & §um 85.

L X X X I.

De Paschate 8°, quod Computatur p. 225, 29.

In 20° anno (inquit p. 225) *Imperii Tiberii, qui initium sumpsit a* (die) *21° inclusive, Martii mensis, præsentis V^a Indictionis, vigesimo quinto anno Cycli XXVIII annorum Solis, & duodecimo Cycli decemnovalis Lunæ, ... inventa XIV^a primi mensis Lunæ*, ια'' (lege ιβ'', ut patet ex p. 229) *secundum Romanos Aprilis mensis, in Feria sexta* (lege *septimâ*, quod consequens præcedentis correctionis est, & ex p. 229 patet) *hebdomadis*, καθὰ (lege καθὼς) διὰ τῶν προκειμένων μεθόδων διελίσκομεν, *celebrarunt Pascha* (legale scilicet) *Sanctam autem resurrectionem*, 13° (die) *Xanthici* (hoc est, Aprilis) *mensis*.

In Computo Lunari, p. 229, dicit:

Deinde (inquit) *scire volentes etiam XIV*^{am} *primi mensis Lunæ, quando tunc illa incidit*

τὰ εφμ'' ἔτη, hoc est, 5540

ποιοῦμεν παρὰ τὸ ιθ'', hoc est, per XIX dividimus

relinquitur 11

Τὸ οὖν ια'' ἔτος τὸ κατὰ φύσιν ιθ'' ἐτηρίδος, ἔχει προκειμένην ἐπακτὴν μίαν. Pro ια'' ἔτος lege ιβ'', vel potius, intellige ac si scriptum esset, τὸ οὖν ΦΥΣΕΙ μὲν ια'', ΘΕΣΕΙ δὲ ιβ'' ἔτος.

Ut clare patet ex p. 225, ubi expresse vocatur annus Cycli Lunæ *duodecimus*, & ex serie præcedentium Paschatum, ut & ex Methodo Paschali, seu Computo Lunari Auctoris.

Huic (Epactæ inventæ)	1	
addimus anteluminares	13	
item, antelunares	7	21
item ab 21 Mart., inclus.	11	
item ab Apr. 1, inclus.	12	23
		44
aufer		30
relinquitur		14

Et

Et cognoscimus, quemadmodum XIV^a primi mensis Lunæ, hoc præsenti anno, incidit 12° (die) *Aprilis mensis.*

In Computo Solari, p. 229, dicit:

τοῖς ϛφμ″ ἔτεσι, hoc est,	5540	
addimus 4^am partem	1385	
fiunt	6925	
hos divide per VII		
relinquuntur	2	(Epactæ Solis)
his adde anteluminares	3	
ab 21 Mart., inclusive	11	
a 1 Apr., inclusive	12	
fiunt	28	
aufer ter VII, hoc est,	21	
relinquitur	7	(Feria, die 12° Apr.)

Incidit igitur XIV^a, hoc præsenti anno, in die Sabbati, hoc est, *Feria VII^a.*

Characteres itaque hujus anni Mundi & Paschatis, sunt sequentes:

anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis	Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIV^a	Feria	Pascha Christian.	Lit. Dom.
5541	12	25	I	II	Apr. 12	VII^a	Apr. 13	(F E)

Hic annus Mundi, habens hos characteres, concurrit cum anno Æræ Vulg. 32°.

Auctor hoc Pascha annotat ad annum 19^um Imperii Tiberii, contra Canonem Chronologicum: connectit tamen cum anno 20° Imperii Tiberii, ἀρχὴν εἰληφότι ἀπὸ κα″, καὶ αὐτῆς, Μαρτίου μηνός. De quo postea.

LXXXII.

De Paschate 8°, *quod indicatur p.* 276.

Anno 19° (inquit) *Imperii Diocletiani, Ind. VII, Dystri* 25° (*dicitur autem Martius secundum Romanos*) *in die Festi Paschatis, proposita ubique dicta Regia* &c.

Videtur error in mense & die, nam illo anno, qui est Mundi 5813, adeoque Cycli Lunæ 18, Pascha Christianorum in diem Mart. 25 cadere non potest, neque etiam in annis aliquot anterioribus, & posterioribus.

LXXXIII.

De Paschate 9°, quod indicatur p. 286.

Ter Beatus Constantinus (inquit) *decessit mense Majo* (die) 22, *ante XI Kalendarum Juniarum, ipso die Sanctæ Pentecostes.*

Anno Imperii sui 32°, *Mundi* 5846°.

Festum Pentecostes, quod die 50°, post Dominicam Paschalem, incurrit, præsupponit Festum Paschale Christianorum die 3° Aprilis. Lit. Dom. B.

Hæc mors Constantini M. contigit anno Æræ Vulg. 337°, quod etiam ex charactere diei, quo mortuus est, patet.

Juxta computum Auctoris tam Lunarem, quam Solarem, invenitur

anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis	Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIV^a	Feria	Pascha Christian.	Lit. Dom.
5846	13	(22)	(XII)	(V)	(Apr. 1)	VI	Apr. 3	(B)

Hic annus Mundi, habens hos characteres, concurrit cum anno Æræ Vulg. 337°.

NB. A Paschate, quod contigit anno Cycli Lunæ 11°, Mundi 5540° exclusive, usque ad hoc Pascha, quod contigit anno Cycli Lunæ 13°, Mundi 5846° inclusive, requiruntur anni 306.

annus Cycli Lunæ 11us,	Mundi	5540us
adde annos 2	annos	2
annus Cycli Lunæ 13us,	Mundi	5542us
adde Cyclos Lunæ XVI integros, hoc est, annos		304
annus Cycli Lunæ 13us,	Mundi	5846us

Adeoque Æra Mundana ab illo anno Mundi 5540, in quo illud Pascha contigit, usque ad hunc annum Mundi 5846, in quo hoc Pascha contigit, tale interstitium temporis requirit: adeoque hic recte procedit.

Æra

Æra autem Olympiadum, & Indict. tale interstitium non habet, sed uno anno deficit

Olympiadis 203^{a}, annus 1^{us},		Mundi	5540^{us}
adde	annos 3	annos	3
Olympiadis 203^{a}, annus 4^{us}		Mundi	5543^{us}
adde Olympiades	75 integras, hoc est,	annos	300
Olympiadis 278^{a}, annus 4^{us}		Mundi	5843^{us}
adde	annos 3	annos	3
Olympiadis 279^{a}, annus 3^{us}		Mundi	5846^{us}

In Chronico autem cum illo anno Mundi concurrit Olympiadis 279^{a}; annus 2^{dus}, adeoque Æra Olympiadum uno anno deficit.

Indiction. annus 5^{us}		Mundi	5540^{us}
adde Cyclos XX Ind. integros, hoc est,		annos	300
Indiction. annus 5^{us}		Mundi	5840^{us}
adde annos	6	annos	6
Indiction. annus 11^{us}		Mundi	5846^{us}

In Chronico autem cum illo anno Mundi concurrit Ind. annus 10^{us}, adeoque Æra Indictionum uno anno deficit.

Confer §^{um} 71.

P. 381, in fine, de hoc Paschate dicitur, ad annum Mundi 6118; Phocæ 7^{um}, Ind. XII, *celebratum autem est Pascha, ante annos 272, in Indictione X*^{a}, σελήνης ιγ″, hoc est, *Cycli Lunæ anno* 13°, *Olymp.* 279^{a} *anno* 2do, *die* 3° *Aprilis.*

Et eadem pag. paulo ante dictum erat, *quod Aprilis dies* 1^{us} *contigerat tunc Feria VI*^{a}.

LXXXIV.

De Paschate 10, *vel potius de annis Cycli Lunæ & Solis, &c. in anno Mundi* 6118 *qui indicantur p.* 381.

Hæc ad annum Phocæ VII, qui est Mundi 6118, Indict. XII, annotantur

Hinc licet colligere, quemadmodum a quo ter beatus Constantinus finivit vitam, usque ad 22^{um} *Maji mensis, præsentis XII*^{a} *Indictionis, &* 7^{mi}

anni Imperii Phocæ, *implentur anni 272*, *incipit vero 273^us^ a 22° Maji mensis*, *Indictionis XII^æ*.

Si enim Pentecoste incidit 22° (die) *Maji mensis in illo anno*, *absque contradictione dies Resurrectionis* (hoc est Festum Paschale) *incidit* 3° (die) *Aprilis mensis*, ΩΣ ΟΤΙ τὴν πρώτην ἐκείνου τοῦ Απριλλίου εἰς παρασκευὴν εἰσελθεῖν, *ita ut primus* (dies) *illius Aprilis in Parasceven* (seu Feriam VI^am^) *ceciderit*. (Vide §^um^ præced.)

Adde igitur illis —— 272
4^am^ *partem*, hoc est —— 68
& fiunt 340
hæc divide per VII
& supersunt 4.

Quoniam igitur in Parasceve (hoc est Feria VI^a^) *tunc* (ante annos scilicet 272, anno M. 5846) *Aprilis iniit*.

Ποίησον παρασκευὴν, σάββατον, κυριακὴν, δευτέραν, καὶ λοιπόν σου ἄρχεται εἰς τρίτην. *Fac* (hoc est numera, addendo scilicet dies illos 4^or^ Epactiles, qui ex annis 272 elapsis oriuntur, Feriæ VI^æ^, quæ ante 272 annos in die Apr. 1 reperiebatur) *fac Parasceven*, *Sabbatum*, *Dominicam*, *secundam Feriam*, *& deinceps* 273^us^ *annus incipit in tertia Feria*. NB. in hac numeratione, numerat a Feria VI^a^ inclusive, & sic videtur tantum 3 dies Epactiles addere, sed 4^um^ revera addit dum annum 273^um^ incipit a Feria III^a^. Confer §^um^ 85.

Invenitur itaque Aprilis ἐπὶ τῆς ἐνεστώσης ἡλιακῆς ιβ″ (legendum ιδ″) Ινδικτιῶνος, σεληνιακῆς δὲ ιθ″ εἰσιὼν ἐν τρίτῃ τῇ ἑβδομάδος ἡμέρᾳ, ὅπερ καὶ ἐστίν. NB. Per Ινδικτιῶνα ἡλιακὴν intelligit Cyclum Solarem, & per Ινδικτιῶνα σεληνιακὴν intelligit Cyclum Lunarem. Qualem formulam loquendi in præcedentibus non observavi. (Confer p. 388, ubi similis formula loquendi.) His verbis itaque hoc dicitur: *Invenitur itaque Aprilis*, *hac præsenti Solari XII^a^* (legendum XIV^a^) *Indictione* (hoc est, hoc præsenti 12° (legendum 14° (anno Cycli Solis;) est enim hoc anno Cycli Solis annus 14^us^, ut ex plurimis argumentis patet. *Lunari vero XIX^a^*, (hoc est 19° vero anno Cycli Lunæ) *iniens Feria III^a^ hebdomadis*, *quemadmodum*, vel *quod & est*. (hoc est, quod etiam ita se revera habet.) (*Vide seq. in fine §^i^.)

Quinetiam (πλὴν ἀλλὰ καὶ) *Paschalium* (Πασχάλιον) *& Fastos Consulares* ἐντυχών) *revolvens*, *inveni hanc calculationem* (τὴν ψηφιφορίαν ταύτην) *concinentem*.

Sunt

Sunt igitur a morte quidem Constantini usque hodie (ἕως νῦν) *anni* 272, *a vicennalibus autem ejus* 281 *pleni*.

Factum autem est Pascha ante 272 *annos*, *in Indictione* X^a, σελήνης ιγ' (hoc est Cycli Lunæ anno 13°) *Olympiadis* 279ª *anno* 2°, *Aprilis* (die) 3°.

Consules vero a Feliciano & Tatiano sunt CCLXXII usque ad Pascha, τῆς ιθ'' ἡλιακῆς Ινδικτιῶνος τῆς νῦν ἐνισταμένης. Pro ιθ'' legendum ιβ'', legendum inquam ιδ'', vel pro ἡλιακῆς legendum σεληνιακῆς, ut ex præcedentibus patet. NB. Codex Vaticanus legit ιβ''. Vide Notas Caroli du Fresne p. 608.

Habet itaque hic annus Mundi characteres sequentes:

anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis	Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIV	Feria	Pascha Christian.	Lit. Dom.
6118	19	14		II				(E)

Hic annus Mundi, habens hos characteres, concurrit cum anno Æræ Vulg. 609°.

Hic annus Mundi ab Auctore connectitur cum anno 7° Imp. Phocæ, Ind. XIIª, & Olymp. 347ª anno 2°.

Et ponitur interstitium annorum 272, ab anno 32° Imp. Constantini, quo mortuus est, die Maji 22, quique est annus Mundi 5846, Indict. Xª Olymp. 279ª anno 2°, inclusive sumto, usque ad hunc annum Mundi 6118, &c. exclusive sumptum.

Tale autem interstitium occurrit inter Cycli Lunæ annum tunc 13, & nunc 19. Nam

annus Cycli Lunæ 13^us		Mundi	5846^us
adde Cyclos Lunæ XIV integros, hoc est,		annos	266
annus Cycli Lunæ	13^us	Mundi	6112^us
adde annos	6	annos	6
annus Cycli Lunæ	19^us	Mundi	6118^us.

Tale etiam interstitium temporis in Æra Olympiadum, & Indictionum occurrit, a morte Constantini usque ad hunc Phocæ annum 7^um. Ut ex calculo patere potest.

Cur autem hæc observatio ad hunc annum Phocæ 7^um annotetur, nondum capio.

Et an hæc obſervatio ſit ipſius Auctoris, an vero eam aliunde hauſtam Chronico ſuo inſeruerit, an denique ab alia manu ſit addita, dubitari poteſt: propter inſuetas loquendi formulas, & inſolitum computandi modum.

(* Ad præced. conjectura. forte legendum ἐπὶ τῆς ἐνεστώσης ἡλιακῆς ιδ″, Ινδικτιῶνος ιβ″, σεληνιακῆς δὲ ιθ″. Et paulo poſt forte legendum: Πάσχα τῆς ιδ″ ἡλιακῆς, Ινδικτιῶνος ιβ″ τῆς νῦν ἐνισταμένης.)

L X X X V.

De Paſchate 11°, *vel potius de anno Cycli Lunæ &c., in anno Mundi* 6125, *qui indicatur p.* 388.

Ad annum 6um Imperii Heraclii, Ind. 4a, Olymp. 349æ anno 1°, qui eſt Mundi 6125us, concurrens cum anno Æræ Vulg. 616°, ſequentia annotantur.

A Nativitate (ἀπὸ τῆς γεννήσεως) *Domini Chriſti, uſque ad hunc Conſulatum* (poſt Conſulatum Heraclii Auguſti (anno) V°) *impleti ſunt* (anni) 619, *& cœpit* (annus) 620us.

Ex his abſtrahuntur, qui uſque ad Crucifixionem ejus (elapſi ſunt) *anni* 33, *& relinquuntur* (anni) 586.

Ergo vel *atqui* (τοίνυν) *ante* 586 *annos iniit Martius menſis Feria Va.*

Nam illis (annis) 586
Adde Biſſext. dies 147, *quia nunc inſtat Biſſextus,*
fiunt 733 — nempe in Febr. ante initium anni M. 6125, a 21° Martii ineuntis. Ac proinde non tantum 146, ſed 147 dies Biſſext. tranſierunt.
divide per VII
Relinquitur 5

Numera 5, *a Feria Va & deſines in Feriam IIdam, quod ita eſt.* * *Martius enim, hac præſenti IVa Indictione, init in Feria IIda hebdomadis.*

(* Videtur error, nam numerando 5 a Feria Va, hoc eſt, addendo illos dies 5 ad Feriam 5am, pervenies ad Feriam IIIam, & talis Feria reperitur in die 1° Martii ſequentis Indictionis Væ, a cujus Martii die 21° incipit annus Mundi 6126us.)

Sed in hac numeratione, illos 5 dies Epactiles numerat a Feria Va incluſive, & tum deſinit in Feriam IIdam, atque hoc modo tantum 4or dies Epactiles addit, non 5.

Cujus

Cujus numerationis consequens est non annum 587^{um}, sed 586^{um} habere Martium ineuntem in Feria II^{da}, annum vero 587^{um} habere Martium ineuntem in Feria III^{tia}. Confer $§^{um}$ 84^{um}.

Notandum enim in hoc Computo terminum a quo & ad quem utrumque inclusive sumi: ita ut annus Crucifixionis, habens in die 1° Mart. Feriam V^{am}, sit 1^{us}; & annus 6^{us} Heraclii, Ind. IV, Mundi 6125^{us}, habens in die 1° Mart. Feriam II^{am}, sit ultimus seu 586^{us}: & deinceps demum anno sequenti Heraclii 7°, Ind. V, Mundi 6126°, habente in die 1° Martii Feriam III^{am}, incipiat annus 587^{us}.

Hoc patet, nam

1°, Terminus a quo est annus Crucifixionis habens in die 1° Martii Feriam V^{am}, adeoque in die Mart. 17°, Feriam VII^{am}, ac proinde annus Crucifixionis habet Epactas Solis VII, nam dies Martii 17^{us} est in Cyclo Auctoris locus proprius Epactarum Solis: annus Crucifixionis est 3^{us} a Bissexto, ut Auctor expresse dixit, ergo ille annus est Cycli Solis 24^{us}, ut ibidem etiam annotatur. Terminus ad quem est annus Heraclii 6^{us}, Mundi 6125^{us}, Bissext., habens in die 1° Martii, Feriam II^{dam}, adeoque in die 17° Martii Feriam IV^{am}, sive Epactas Solis IV, ergo ille annus est Cycli Solis 21^{us}.

annus Cycli Solis 24^{us}, habens Ep. VII, adeoque Mart. 1°, Fer. V^{am}, est 1^{us}.
adde Cyclos Solis XX integros . . . hoc est, annos 560

annus Cycli Solis 24^{us} est 561^{us}.
adde annos 4 annos 4
item annos 21 annos 21

annus Cycli Solis 21^{us}, habens Ep. IV, adeoque Mart. 1°, Fer. II^{am}, est 586^{us}

Idem patet, nam

2°, Annus Crucifixionis est annus Mundi 5540^{us}, Æræ Vulg. 31^{us}, Lit. Dom. G. Annus præsens Heraclii 6^{us}, Ind. IV^{a}, est annus Mundi 6125, Æræ Vulg. 616^{us}, Lit. Dom. DC.

annus Mundi 5540^{us}, Æræ Vulg. 31^{us}, est 1^{us}
adde annos 585 annos 585 annos 585

annus Mundi 6125^{us}, Æræ Vulg. 616^{us}, est 586^{us}.

Unde sequitur, quando Auctor in initio dicit, hoc 6° Imperii Heraclii anno, Ind. 4^{a} *impletos esse annos 619, & incipere annum* 620^{um}, hoc

hoc ita intelligendum esse, ac si dixisset hoc anno implentur anni 619, & deinde (anno scilicet sequente Heraclii 7^{o}, Ind. V^{a}) incipit annus 620^{us}. Confer §^{um} 117.

Rursus (sic pergit) τοὺς τῆς ιθ΄΄ ἐτηρίδος ζητοῦντες ΕΠΙΝΕΜΗΣΕΙΣ (hoc est, *Cycli decemnovalis quærentes annos:* nam ἐπινέμησις hic idem est ac Indictio, & pro anno Cycli sumitur, ut ex sequentibus, & ex collatione pag. 381 patet.) *invenimus ante* 586 *annos, hoc est XXX Cyclos, XI^{um} esse Indictionem* (hoc est annum Cycli Lunæ XI^{um}.)

ια΄΄ γὰρ ἐπὶ ια΄΄ συνάγει Φοα΄΄, (hoc est ab illo anno Cycli Lunæ XI^{o} inclusive, qui reperitur in anno Crucifixionis, Mundi 5540^{o}, usque ad annum Cycli Lunæ XI^{um} inclusive, qui post XXX Cyclos Lunæ integros evolutos reperitur in anno Mundi 6110^{o}, colliguntur anni 571.)

Relinquitur (annus Cycli Lunæ) 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. *Hæc enim* (scilicet *Indictio* 7^{a}, hoc est, annus Cycli Lunæ 7^{us}) *nunc* (hoc est anno Mundi 6125^{o}) *est* (ἐνέστηκε, hoc est, præsens est.)

annus Cycli Lunæ IX^{us}	Mundi 5540^{us}	est	1^{us}
adde Cyclos XXX integros, hoc est annos	570	annos	570
annus Cycli Lunæ XI^{us}	Mundi 6110^{us}	est	571^{us}
XII^{us}	6111^{us}		572^{us}
XIII^{us}	6112^{us}		573^{us}
XIV^{us}	6113^{us}		574^{us}
XV^{us}	6114^{us}		575^{us}
XVI^{us}	6115^{us}		576^{us}
XVII^{us}	6116^{us}		577^{us}
XVIII^{us}	6117^{us}		578^{us}
XIX^{us}	6118^{us}		579^{us}
I^{us}	6119^{us}		580^{us}
II^{us}	6120^{us}		581^{us}
III^{us}	6121^{us}		582^{us}
IV^{us}	6122^{us}		583^{us}
V^{us}	6123^{us}		584^{us}
VI^{us}	6124^{us}		585^{us}
annus Cycli Lunæ VII^{us}	Mundi 6125^{us}	est	586^{us}

(NB) Hinc iterum patet terminum a quo, & terminum ad quem, utrumque inclusive sumi: ita ut annus Crucifixionis, habens annum Cy-

cli

cli Lunæ XI^um, fit 1^us, & annus præsens Heraclii 6^us, Ind. IV, Mundi 6125^us, habens annum Cycli Lunæ VII^um, fit ultimus, seu 586^us.

Calculantes igitur (sic pergit,) *ante* 586 *annos Lunam, invenimus eam* 23° (die) *Martii mensis illius, qui* (dies Martii 23^us) *erat in die Parasceves*, (hoc est, Feria VI) *habentem XIV^am, ut esset* (ὡς εἶναι) *Pascha Judæorum, quando Dominus Crucifixus est, a Vespera Parasceves.*

Hæc non adeo clare exprimuntur. Per Martium mensem ΕΚΕΙΝΟΝ intelligit *illum* Martium mensem, qui fuit anno Mundi 5540°, ante annos 586., quando Cycli Lunæ erat annus XI^us; & qui (Martius) inibat Feriâ V^a. Illa verba, ἥτις ἦν ἡμέρα παρασκευῆς referenda sunt non ad σελήνην, sed ad ἡμέραν κγ' τ̃ Μαρτίου μηνὸς ἐκείνου, atque indicant, diem 23^um Martii mensis illius incidisse in diem Parasceves, seu Feriam VI^am. In Textu Græco legitur ἔχουσαν ιδ'', ε'': quid hoc sibi velit, nescio: an sit varia, & simul vitiosa Lectio; an vero, quod probabilius est, illud ε' vitio Typographi irrepserit; saltem interpres Latinus illud plane transiit, neque de eo ulla fit mentio in notis. ΩΣ ΕΙΝΑΙ τὸ Πάσχα τ̃ Ἰουδαίων, his verbis videtur contineri ratio, qua ostenditur illo die Martii 23°, Feriâ VI^a Lunam fuisse XIV^am. *A Vespera Parasceves*, per Vesperam Parasceves intelligit Vesperam quæ diem Parasceves insequitur, & a qua (secundum Judæos) dies Sabbati incipiebat; & hæc verba non sunt referenda ad σελήνην ἔχουσαν ιδ'', quanquam juxta Cyclum decemnov. Lunarum XIV^arum res ita se habeat, sed sunt referenda ad proxime præcedentia, ὡς εἶναι Πάσχα Ἰουδαίων: agnus enim Paschalis mactabatur Sole ad occasum vergente & illa vespera comedebatur: respiciunt autem hæc verba ad ea, quæ Johannes in Euangelio dicit, & quæ Auctor in Præfatione adduxerat, ad probandum, quod Christus eo ipso tempore crucifixus & mortuus sit, quando agnus Paschalis juxta Legem mactati debebat, & quod Judæi tum Pascha nondum comederant, sed illa Vespera comesturi erant: quo adhuc magis confirmatur illo die Martii 23°, Feria VI^a, fuisse Lunam XIV^am. Sensus itaque hujus Pericopæ hic erit: *Calculantes igitur ante 586 annos Lunam, invenimus eam, in die illius Martii mensis* 23°, *qui incidit in Feriam VI^am, habere XIV^am, quippe erat illo die, quando Dominus Crucifixus est, Pascha Legale Judæorum, seu Luna XIV^a Paschalis, quando agnus ad Vesperam juxta Legem mactari debebat, & Judæi Vespera illius diei agnum Paschalem adhuc comesturi erant.*

Resurrexit autem (*sic pergit*,) *Dominus sequenti Dominica, quæ erat* (*dies*) 25^us (κε'') *ejusdem Martii mensis.*

 Con-

Concinunt autem hæc iis, quæ a viris magnis (ἀξιολόγοις) *acta sunt in Luminarium calculatione.*

Habet itaque hic annus Mundi characteres sequentes:

anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis	Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIV^a	Feria	Lit. Dom.
6125	7	(21)		(IV)			(DC)

Hic annus Mundi, habens hos characteres, concurrit cum anno Æræ Vulg. 616°.

Hic annus Mundi ab Auctore connectitur cum anno Heraclii 6°, Ind. IV^a, Olympiadis 349^æ anno 1°.

Et ab anno Crucifixionis, qui est Mundi 5540^us, Ind. V, Olymp. 203^æ annus 1^us, inclusive, usque ad hunc annum Mundi &c. inclusive, numerat annos 586.

NB. Tot anni præcise in Æra Auctoris Mundana numerantur.

In Æra autem Olympiadum, & in Æra Indictionum unus annus deficit seu unus annus minus numeratur. Ut ex sequenti calculo patet:

Olympiadis 203^æ annus 1^us,	Mundi	5540^us	est	1^us,
adde Olympiades 146 integras, hoc est, annos		584	annos	584
Olympiadis 349^æ annus 1^us	Mundi	6124^us	est	585^us,

Adeoque Olympiades uno anno deficiunt.

Indictionum annus 5^us	Mundi	5540^us	est	1^us,
adde Cyclos Ind. XXXVIII integros, hoc est, annos		570	annos	570
Indictionum annus 5^us,	Mundi	6110^us	est	571^us,
adde annos 10	annos	10	annos	10
item annos 4	annos	4	annos	4
Indictionum annus 4^us	Mundi	6124^us	est	585^us,

Adeoque Æræ Indict. uno anno deficit.

Confer §um 83. & §um 71.

Cur autem hæc observatio ad annum Her. 6^um annotetur, nondum capio.

Et an hæc observatio sit Auctoris Chronici dubitari potest, ob easdem rationes, ob quas dubitari potest circa observationem quam habuimus antea p. 381, & de qua §° præcedenti egimus, plane enim hæ duæ observationes conveniunt.

Videtur tamen hæc (ac proinde etiam præcedens) observatio esse ipsius Auctoris

Auctoris Chronici & Præfationis, propter ea, quæ de Luna XIVª in die Mart. 23°, Feria VIª, quando Christus Crucifixus est, anno Mundi 5540°, Cyclo Lunæ XI°, dicit; hæc enim Auctori singularia & capitalia sunt. Confer 5um 80um.

LXXXVI.

De Paschate 12°, ante omisso, quod indicari videtur p. 257, 58.

Auctor ibi de Polycarpi Martyrio has temporis circumstantias annotat: Quod nempe Passus sit

Anno 4° Imp. Veri, Ind. I, Mundi 5672°,

VII Kal. Apr., hoc est, Mart. 26, Feria VII.

Et quidem *Sabbato Magno*, quo videtur indicare Sabbatum, quod Dominicam Paschalem immediate præcedit.

Sed Auctor hic vel in mense, ejusque die erravit, & ζ καλανδων Απριλ., pro δ ειδων Απριλ. scripsit: vel alieno Mundi anno hoc Martyrium illigavit.

Nam hoc anno Mundi est Cycli Solis annus 16us, habens Epactas IV, adeoque Lit. Dom. C. Et Cycli Lunæ annus 10us, habens Lunam XIVam, Apr. 4, Dominicâ, adeoque Pascha III Idus April., hoc est, April. 11°.

LXXXVII.

De Paschate 13°, ante omisso, quod indicatur p. 310.

Ad annum 9um Theodosii Junioris, Ind. XV, qui est Mundi 5926us, Honorio XI°, & Constantio II° Coss., hæc annotantur:

His Consulibus factus est ingens terræ motus vesperi, die Parasceves, mense Xanthico, XII Kal. Majas (hoc est, April 20.)

Accidit autem ipso die, quo Dominus noster Jesus Christus Passus est. Quibus verbis videtur indicare, quod hoc acciderit die Veneris ante Pascha.

Dies Apr. 20, Feria VI^a^, prodit Lit. Dom. G. & Feriam VII^am^ in die Martii 17, seu Epactas Solis, hujus anni, VII.

Dies Apr. 20, die Veneris ante-Paschali, prodit Pascha die Apr. 22, Lit. Dom. G.

Annus Mundi 5926^us^ dat, juxta Methodum Auctoris, annum Cycli Solis 18^um^, Epactas Solis VII, & in die Apr. 20, Feriam VI^am^, ac Lit. Dom. G.

Annus Mundi 5926^us^ dat, juxta Methodum Auctoris, annum Cycli Lunæ 17^um^, Lunam XIV^am^, Apr. 17, & Pascha in die Apr. 22. Lit. Dom. G.

Characteres itaque hujus anni Mundi & Paschatis sunt:

anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis	Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIV^a^	Feria	Pascha	Lit. Dom.
5926	(17)	(18)		VII	(Apr. 17)	III	Apr. 22	(G)

Hic annus Mundi, habens hos characteres, concurrit cum anno Æræ Vulg. 417°.

LXXXVIII.

De Paschate 14°, *ante omisso, quod indicatur p.* 328.

Ad Olymp. 318^a^ annum 1^um^ scribit: *Anastasius coronatus est, Olybrio, Areobindi filio Consule, mense Xanthico*, hoc est, Aprili, *Feria V^a^ magnæ Hebdomadæ, Indict. XIV^a^, Æræ Antiochenæ anno* 537°.

Annus Mundi 6000^us^, qui cum hoc Consulatu, & anno 17° Zenonis, Ind. XIV^a^, concurrit, est annus Æræ Vulg. 491^us^, habens

Cycli Solis annum 8^um^, Epactam 1^am^, adeoque Lit. Dom. F.

Cycli Lunæ annum 15^um^, Lunam XIV^am^ die Apr. 9, Feria III. adeoque Pascha Apr. 14.

Coronatus itaque est Anastasius in die Apr. 11°, Feria V^a^.

NB. Olympiadis annus non recte connectitur cum hoc anno Mundi, pertinet enim non ad Zenonis 17^um^, sed ad sequentem Anastasii 1^um^, ut ex serie Olympiadum ibi ad oculum patet.

Hujus Paschatis characteres non sunt distinctivi.

LXXXIX.

LXXXIX.

De Paschate 15°, *ante omisso, quod indicatur p.* 382.

Ad annum 8um Imp. Phocæ, Indict. XIIIa, qui est Mundi 6119us, scribit Auctor:

Hoc anno, mense Dystro, secundum Romanos Martio, (die) 20°, *Feria VI*a *moritur Thomas Patriarcha CP.* & (die) 22° *ejusdem mensis*, *Feria I*a *sepelitur* & (die) 8° (lege 18°) *Artemisii mensis, secundum Romanos Aprilis, ejusdem XIII*a *Indictionis, magno Sabbato, factus est Patriarcha CP Sergius.*

Mart. 20, Feria VI, ut & Mart. 22, Feria Ia, dat Lit. Dom. D, & in die Mart. 17°, Feriam IIIam, sive Epactas Solis hujus anni III.

Annus Mundi 6119us dat annum Cycli Solis 15um, Epactas III, adeoque Lit. Dom. D.

Adeoque April. 8. non potest cadere in Feriam VIIam, seu Sabbatum, nam tum foret Lit. Dom. A, non D. Vitium itaque in die mensis irrepsit, & pro η' legendum ιη', pro 8 Apr. legendum 18 Apr.

Nam Literam Dom. hoc anno esse D, patet etiam, quia paulo post dicitur, *hoc anno, mense Hyperberetæo, secundum Romanos Octobri, die* 3°, *Indict. XIV, Feria VII*a *&c.* & *proximus sequens dies dicitur cadere in Dominicam.* Dies enim Octob. 3, Feria VIIa dat Lit. Dom. D & paulo post, & *die* 6° (lege 5°, id enim & series historiæ, & series Feriarum requirit) *Feria II*da *illucescente &c.* Et post pauca, & *circa horam ejusdem Feriæ secundæ.*

Hæc omnia confirmantur ex collatione eorum, quæ §° 84 dicta sunt de Paschate anni præcedentis: & ex Feriis, quæ ab Auctore ad annum sequentem Heraclii 1um & 2um annotantur.

Si itaque magnum Sabbatum incidit in diem Apr. 18, habemus Pascha die Apr. 19.

Characteres itaque hujus anni sunt sequentes:

anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis	Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIVa	Feria	Pascha	Lit. Dom.
6119	(1)	(15)		III	(Apr. 13)	II	Apr. 19	(D)

Hic annus Mundi, habens hos characteres, concurrit cum anno Æræ Vulg. 611.

 XC. *De*

X C.

De Paschate 16°, *anno M.* 6135, *quod indicatur p.* 391.

Ad annum 16^{um} Imp. Heraclii, Ind XIV, qui est Mundi 6135^{us}, scribit Auctor: *Hoc anno mense Artemisio, secundum Romanos Majo, die* 14°, *Feria IV*^{a}, *in quam incidit media Pentecoste* (αὐτῇ τῇ ἁγίᾳ Μεσοπεντηκοστῇ) *&c.*

Dies Maji 14, Feria IV^{a}, dat Lit. Dom. E, & in die Mart. 17°, Feriam II, seu Epactas Solis hujus anni II.

Annus Mundi 6135^{us} dat annum Cycli Solis 3^{um}, Epactas II, Lit. Dom. E.

Per Μεσοπεντηκοστὴν intelligo diem a Paschate 25^{um}, qui medius est inter Festum Paschatis & Festum Pentecostes, quod 50° post Pascha die celebratur:

Adeoque a die Martii 14° retronumerando 25 dies, pervenies ad Dominicam Paschalem Apr. 20.

Annus Mundi 6135^{us} dat annum Cycli Lunæ 17^{um}, Lunam XIV^{am} Apr. 17, adeoque Pascha Apr. 20.

Habet itaque hic annus Mundi hos characteres:

anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis	Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIV^{a}	Feria	Pascha	Lit. Dom.
6135	(17)	(3)		II	(Apr. 17)	V^{a}	Apr. 20	(E)

Hic annus Mundi, habens hos characteres, concurrit cum anno Æræ Vulg. 626°.

X C.

De Paschate 17°, *anno M.* 6137, *quod indicatur p.* 398.

Anno (inquit) 18° *Imperii Heraclii post Consulatum* 17°, *die* 15° *Maji mensis, Feria I*^{a}, *ipso Pentecostes Festo* (αὐτῇ τῇ ἁγίᾳ πεντηκοστῇ) *lectæ sunt &c.*

Dies

Dies Maji 15, Feria Iª, dat Liter Dom. B, & in die Martii 17°, Feriam Vam, seu Epactas Solis, hujus anni, V.

Annus Mundi 6137us dat annum Cycli Solis 5um, Epactas V, & Lit. Dom. CB.

Pentecoste in die Maji 15° præsupponit Pascha in die Mart. 27°, Lit. Dom. CB.

Annus Mundi 6137us dat annum Cycli Lunæ 19um, Lunam XIVam Mart. 25, Feria VIª, adeoque Pascha Mart. 27. Lit. Dom. CB.

Habet itaque hic annus Mundi hos characteres:

anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis	Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIVª	Feria	Pascha	Lit. Dom.
6137	(19)	(5)		V	(Mart.25)	VIª	Mart. 27	(CB)

Hic annus Mundi, habens hos characteres, concurrit cum anno Æræ Vulg. 628°.

A Paschate anni M. 5540°, Cycli Lunæ XI°, exclusive usque ad hoc Pascha anni Mundi 6137°, Cycli Lunæ anno 19° inclusive, requiruntur anni 597.

annus Cycli Lunæ 11us		Mundi	5540us
adde annos	8	annos	8
annus Cycli Lunæ 19us		Mundi	5548us
adde Cyclos Lunæ XXXI integros, hoc est, annos			589
annus Cycli Lunæ 19us		Mundi	6137us

Ergo Æra Mundi tale interstitium temporis inter hoc & illud Pascha admittit, & recte procedit.

Æra autem Olympiadum, ut supra, uno anno deficit, ut & Æra Indictionum.

XCI.

Schema Paschatum, Cyclorum Lunæ, &

anno Periodi Julianæ	anno Æræ Vulg.	Lit. Dom.	anno Mundi	anno Cycli Lunæ	anno Cycli Solis
7185	. .	AG	1	(1)	1
3043	. .	E	3839	1	(3)
4710	. .	G	5506	15	(18)
4711	. .	F	5507	16	(19)
4741	28	DC	5537	8	21
4742	29	B	5538	9	22
4743	30	A	5539	10	23
4744	31	G	5540	11	24
4745	32	FE	5541	12	25
5050	337	B	5846	13	(22)
5130	417	G	5926	(17)	(18)
5322	609	E	6118	19	14
5323	610	D	6119	(1)	(15)
5329	616	DC	6125	7	(21)
5339	626	E	6135	(17)	(3)
5341	628	CB	6137	(19)	(5)

NB. Quæ uncinulis includuntur, juxta Methodum Auctoris quidem inventa, & ex iis, quæ dicuntur, justa consequentia deducta sunt,

Solis, &c. certis annis Mundi illigatorum.

Epactæ Lunæ	Epactæ Solis	Luna XIVª	Feria	Paſcha Chriſtianor.
XXX	*VII*	April. 13.	VIª)	
XXX	II	April. 13.	Iª	
IV	VII	(April. 9.)	IIª	
XV	I	Mart. 29.	VIª	
XVII	IV	Mart. 27.	VIIª	
XXVIII	V	April. 15.	VIª	
IX	VI	April. 4.	IIIª	
XX	VII	* *Mart.* 23.	VIª	
I	II	April. 12.	VIIª	April. 13.
(XII)	V	(April. 1.)	VIª	April. 3.
(XXVI)	VII	(April. 17.)	IIIª	April. 22.
(XIX)	II	(Mart. 25.)	IIIª	
(XXX)	III	(April. 13.)	IIª	April. 19.
(VI)	IV	(April. 7.)	IVª	
(XXVI)	II	(April. 17.)	Vª	April. 20.
(XIX)	V	(Mart. 25.)	VIª	Mart. 27.

ſed tamen non expreſſe dicuntur, nec ita clare indicantur ac reliqua.

XCII.

SCHEMA CYCLI DECEMNOVALIS,

quod exhibetur in Chronico p. 197.

anno Mundi		anno Cycli Lunæ	Epactæ Solis	Epactæ Lunæ	die 1° Feria	Sept. menſ. Ætas Lunæ	Lit. Dom.
5492		1	III	XXX	III	XXVIII	D
5493	B.	2	V	XI	V	IX	CB
5494		3	VI	XXII	VI	XX	A
5495		4	VII	III	VII	I	G
5496		5	I	XIV	I	XII	F
5497	B.	6	III	XXV	III	XXIII	ED
5498		7	IV	VI	IV	IV	C
5499		8	V	XVII	V	XV	B
5500		9	VI	XXVIII	VI	XXVI	A
5501	B.	10	I	IX	I	VII	GF
5502		11	II	XX	II	XVIII	E
5503		12	III	I	III	XXIX	D
5504		13	IV	XII	IV	X	C
5505	B.	14	VI	XXIII	VI	XXI	BA
5506		15	VII	IV	VII	II	G
5507		16	I	XV	I	XIII	F
5508		17	II	XXVI	II	XXIV. S	E
5509	B.	18	IV	VII	IV	VI	DC
5510		19	V	XVIII. S	V	XVII	B

Hoc Schema hic deſcripſi, ut anni Cycli Lunæ, annis Mundi illigati, ad oculum paterent: & præcedentia confirmarentur.

De ſpeciali ſcopo Auctoris in condendo hoc Cyclo decemnovali, & de iis, quæ ſeptimum menſem ſpectant agam in ſequentibus.

XCIII.

XCIII.

SCHEMA CYCLI DECEMNOVALIS,

bis repetitum & continuatum.

anno Mundi	anno Cycli	Epactæ Solis	Lit. Dom.	anno Mundi	anno Cycli	Epactæ Solis	Lit. Dom.
5511	1	VI	A	5530	1	II	E
5512	2	VII	G	5531	2	III	D
5513 B.	3	II	FE	5532	3	IV	C
5514	4	III	D	5533 B.	4	VI	BA
5515	5	IV	C	5534	5	VII	G
5516	6	V	B	5535	6	I	F
5517 B.	7	VII	AG	5536	7	II	E
5518	8	I	F	5537 B.	8	IV	DC
5519	9	II	E	5538	9	V	B
5520	10	III	D	5539	10	VI	A
5521 B.	11	V	CB	5540	11	VII	G
5522	12	VI	A	5541 B.	12	II	FE
5523	13	VII	G	5542	13	III	D
5524	14	I	F	5543	14	IV	C
5525 B.	15	III	ED	5544	15	V	B
5526	16	IV	C	5545 B.	16	VII	AG
5527	17	V	B	5546	17	I	F
5528	18	VI	A	5547	18	II	E
5529 B.	19	I	GF	5548	19	III	D

Hoc Schema Cycli decemnovalis bis repetitum, & continuatum eundem in finem descripsi, ut nempe series annorum Cycli decemn., cum Epactis Solis iis annexis, annis Mundi illigatorum, præsertim circa tempus Passionis Christi, tanto magis innotesceret.

XCIV.

SCHEMA CYCLI DECEMNOVALIS,

quod exhibetur in Chronico p. 288.

	anno Mundi	anno Dioclet.		anno Cycli	Epactæ Lunæ	Luna XIVª	Indictio
B.	5853	59	Emb.	1	XXX	April. 13.	II
	5854	60		2	XI	April. 2.	III
	5855	61		3	XXII	Mart. 22.	IV
	5856	62	Emb.	4	III	April. 10.	V
B.	5857	63		5	XIV	Mart. 30.	VI
	5858	64	Emb.	6	XXV	April. 18.	VII
	5859	65		7	VI	April. 7.	VIII
	5860	66		8	XVII	Mart. 27.	IX
B.	5861	67	Emb.	9	XXVIII	April. 15.	X
	5862	68		10	IX	April. 4.	XI
	5863	69		11	XX	Mart. 24.	XII
	5864	70	Emb.	12	I	April. 12.	XIII
B.	5865	71		13	XII	April. 1.	XIV
	5866	72		14	XXIII	Mart. 21.	XV
	5867	73	Emb.	15	IV	April. 9.	I
	5868	74		16	XV	Mart. 29.	II
B.	5869	75	Emb.	17	XXVI	April. 17.	III
	5870	76		18	*VII*	*April.* 6.	IV
	5871	77		19	*XVIII* S.	*Mart.* 26.	V

XCV.

XCV.

Descriptio Cycli decemnovalis, qui exhibetur p. 288.

Cyclus hic in formam Rotæ disponitur, habetque tres zonas, cum explicatione medio Rotæ inscripta.

1ª Zona exhibet
- a. Annos Cycli: plane eodem ordine ac in Cyclo, qui p. 197 proponitur.
- b. Epactas Lunares annuas; easdem plane cum iis, quæ in Cyclo p. 197 proposito, occurrunt.
- c. Dies mensium Martii & Aprilis, in quos Lunæ XIVæ incidunt.
- d. Embolimos.

2ª Zona exhibet
- a. Dies mensium Syrorum seu Macedonum, Dystri & Xanthici, in quos cadunt Lunæ XIVæ.
- b. Dies mensium Ægyptiorum, Phamenoth & Pharmuthi, in quos cadunt Lunæ XIVæ.

3ª Zona exhibet
Annos Diocletiani.

In explicatione, Rotæ inscripta, præterea occurrit monitum:
1. De initio hujus Cycli, in relatione ad Æram Diocletianeam, Consularem, Indictionum, & Mundanam.
2. De usu hujus Cycli: quod nempe XIX his annis, hic descriptis, evolutis, iterum ad 1um sit recurrendum.
3. De perfectione Cycli decemnov., in comparatione aliorum Cyclorum, VIII, XV, XVII, & XVI annorum.

Hic Cyclus satis vitiose a sculptore expressus est: inter alia, ***Embolimus*** vitiose ad annum Cycli 14 annotatur, cum anno 15° adscribi debuisset. Et ad annum Cycli 1um exprimitur Diocletiani annus οϑ'', cum scribi debuisset νϑ'', ut recte exhibetur in monito de initio Cycli, Rotæ inscripto.

XCVI.

Observatio specialis 1ª, ad Cyclum decemn. p. 288 propositum, de Æra Diocletianea, illi innexa.

Initium autem (inquit in medio Rotæ) *sumsit hæc præsens Enneadecaëteris a 59° anno Diocletiani.*

Est itaque hujus Cycli annus 1us, Diocletiani 59us;

	annus Cycli 1us	Diocletiani	59us
aufer III	Cyclos integros, hoc est, annos		57
	annus Cycli 1us	Diocletiani	2us.

Ad annum 1um Imp. Diocletiani, Ind. XIV, Diocletiano Aug. II, & Aristobulo Coss. p. 274. hæc annotantur: *Ab his Coss. anni Diocletiani statuuntur* (τάσσονται) *in Paschali* (εἰς τὸ Πασχάλιον.) Quibus verbis indicatur, Æram Diocletianeam, quæ p. 288 Cyclo decemnovali innectitur, incipere ab his Coss. Adeoque 1um annum Cycli cum anno 59° Diocletiani concurrentem, præsupponere annum 19um Cycli incipientem a 21° Martii ejusdem anni civilis, postquam Diocletianus hunc Consulatum cum Aristobulo iniisset, & præcedenti Septemb. jam imperium adeptus esset.

XCVII.

Observatio specialis 2ª, ad Cyclum decemn. p. 288 propositum, de Æra Mundana, cum Æra Diocletiani connexa, & huic Cyclo innexa.

Initium autem sumsit hæc præsens Enneadecaëteris a 59° anno Diocletiani, seu (sic pergit ibidem *a* (die) 21° *inclusive Martii mensis, quo Æquinoctium agnoscitur, in Consulatu Leontii & Salustii, quibus Consulibus* 5852us *annus creationis Mundi completur.* Et paulo post hunc diem Martii 21um *connectit cum Indictione IIda*: quemadmodum etiam præcedenti p. 287, hunc Consulatum *connexuerat cum Ind. IIda, & anno VII° Imperii filiorum Constantini.*

Hæc

Hæc omnia suadent annum Cycli 1^{um} illigari anno Mundi 5853^{o}, a 21 Martii incipienti, eumque annum Mundi concurrere cum anno Diocletiani 59^{o} jam currente.

Quod probatur

1^{o}, Quia *his Consulibus annus M.* 5852^{us} *completur*. Anni enim Mundi incipiunt a die 21^{o} Martii, & complentur in die 20^{o} Martii: Adeoque annus Mundi 5852^{us} completus est in die Mart. 20^{o} qui sequitur Januarium, in quo Consulatum acceperant, & annus Mundi 5853^{us} incepit a sequenti die Mart. 21^{o}, iisdem Consulibus.

2^{o}, Quia hic Cyclus decemn. incipit a die Martii 21^{o} *in Consulatu Leontii & Salustii*, qui Consulatus ab Auctore connectitur cum anno VII^{o} Imperii filiorum Constantini M. 1^{us} enim annus Imperii filiorum Constantini M. concurrit, juxta Canonem Auctoris Chronologicum, cum anno Mundi 5847^{o}, ac proinde eorum 7^{us} cum anno M. 5853^{o}.

annus Imperii filiorum Constantini 1^{us}, Mundi 5847^{us}
adde annos 6 6
annus Imperii filiorum Constantini 7^{us}, Mundi 5853^{us}.

Præterea annus 1^{us} filiorum Constantini Magni est annus sequens annum mortis Constantini M. Annus mortis Constantini habuit diem Pentecostes Maji 22^{o}, adeoque Pascha die Apr. 3. p. 286; idque Cycli decemnovalis anno 13^{o}, p. 381 in fine. Annus autem mortis Constantini est, juxta Canonem, ejus Imperii 32^{us}, Mundi 5846^{us}.

annus Constantini 32^{us}, Cycli 13^{us}, Mundi 5846^{us}
adde annos 7 annos 7 annos 7
annus filiorum 7^{us}, Cycli 1^{us}, Mundi 5853^{us}.

3^{o}, Quia hic Cyclus decemn. incipit ab anno 59^{o} Diocletiani: & hi anni Diocletiani in Paschali annotati numerantur ab ejus Consulatu II^{o}, quem, postquam præced. Septemb. Imperium adeptus esset, gessit cum Aristobulo, anno (juxta Auctorem) ejus Imperii 1^{o}, concurrente (juxta Canonem) cum anno M. 5795^{o} p. 274.

Diocletiano Aug. II, & Aristobulo Coss.
annus Diocletiani 1^{us}, Mundi 5795^{us}.
adde annos 58 annos 58
annus Diocletiani 59^{us}, Mundi 5853^{us}.

4^{o}, Quia

4°, Quia hic Cyclus decemn. incipit a Consulatu Leontii & Sallustii *Ind. II*^{da}, & Consulatus Diocletiani Aug. II, & Aristobuli (a quo anni Diocletiani in Paschali numerantur) incidit Indict. IV^a currente, & habet a sequentis Martii die 21° annum Mundi 5795^{um} concurrentem.

annus 1^{us} Æræ Dioclet.,	Ind. 4^a,	Mundi 5795^{us},	
adde annos 58	annos 58	annos 58	
annus 59^{us} Æræ Dioclet.,	Ind. 62^a,	Mundi 5853^{us},	
	sive Ind. 2^a.		

4°, Quia Cyclus decemnov. p. 197 propositus incipit anno Mundi 5492°: sequitur enim inde hunc Cyclum decemn. p. 288 propositum debere incipere anno M. 5853°.

annus Cycli 1^{us} est Mundi 5492^{us};
adde XIX Cyclos integros, hoc est, annos 361
annus Cycli 1^{us} est Mundi 5853^{us}.

5°, Quia series Lunarum XIV^{arum} prodit hunc Cyclum incipere anno Æræ Vulg. 344°: & ex continua connexione Æræ Auctoris Mundanæ cum Æra Christi Vulgari constat, annum Æræ Vulg. 344^{um} concurrere cum anno Mundi 5853°.

Unde etiam Corollarii loco patet connexio Æræ Diocletianeæ Auctoris cum Æra Christi Vulgari.

annus Æræ Dioclet. 59^{us}, Æræ Vulg. 344^{us},
aufer annos 58 annos 58
annus Æræ Dioclet. 1^{us}, Æræ Vulg. 286^{us}.

Atque hinc patet Æram Diocletiani Auctoris, seu annos Diocletiani in Paschali, uno anno differre ab Æra Diocletianea, ab Ægyptiis Cyclo eorum decemnovali innexa. Nam

annus Æræ Dioclet.	annus Æræ Vulgaris	annus Cycli in Chron.	annus Cycli Alexandr.	annus Æræ Diocl. Alexandr.
59	344	1	3	60
2	287	1	3	3
1	286	19	2	2
÷ 1	285	18	1	1

XCVIII.

XCVIII.

Observatio specialis 3ª, ad Cyclum decemn., p. 288 propositum, de variis aliis Cyclis.

Finita igitur (inquit in medio Rotæ) *Enneadecaëteride dictis annis, & in dictis Consulibus, iterum ad primum annum ejus recurre die 21° Martii mensis, Indict. IIda, accurate cognoscens, quod neque Cyclus VIII aut XV annorum; neque Cyclus XVII annorum; neque Cyclus XVI annorum potest accurationem habere, sed solum Cyclus XIX annorum.*

In his numeris menda irrepsisse nullus dubito.

Cyclus VIII & XVI annorum notus est: sed Cycli XV & XVII annorum nulla, quantum novi, mentio fit.

XCIX.

Observatio specialis 4ª, ad Cyclum decemn. p. 288. propositum, de occasione hujus Cycli.

Qua occasione & quem in finem Auctor hunc Cyclum decemn. ibidem proposuerit, nondum detegere potui.

C.

De Feriis, ab Auctore sparsim memoratis, & certis mensium diebus alligatis, quibus Epactæ Solares, & consequenter anni Cycli Solis, deteguntur.

De iis satis accurate egit Joh. Bapt. Hautin in Analysi Chronologica ad Chronicon Paschale: Chronico præmissa p. XLIV.

Lubet tamen etiam tales Ferias, quas in perlustratione hujus Chronici observavi, percurrere.

Fateor sæpius in Chronico Ferias non recte indicari, seu errore typographico, seu errore descriptorum, aut ipsius Auctoris: sed magis miror in his non occurrere errores multo plures: præsertim cum hæc editio Regia satis negligenter impressa sit.

 Anno

Anno Mundi 3839.

Cycli Solis anno 3, Epactæ II, Lit. Dom. E.
April. 13, Feria Iª, ex calculo, adeoque Lit. Dom. E, Epactæ II.

Anno Augusti 25°, Mundi 5490.

Cycli Solis anno 2, Epactæ I, Lit. Dom. F.
Sept. 8, Feria II. adeoque Lit. Dom. E, Epactæ II. p. 193.

Feria vitiosa: error videtur in anno Mundi, ad quem refertur. Transfer ad annum Mundi 5491, qui habet annum Cycli Solis 3, Epactas II, & Lit. Dom. E. ut Feria indicat.

Anno Mundi 5492—5510.

Indicantur Epactæ Solis, in Schemate. p. 197.

Anno Mundi 5506.

Cycli Solis anno 18, Epactæ VII, Lit. Dom. G.
Sept. 1, Feria VII, ex calculo, adeoque Lit. Dom. G. Ep. 7. p. 195.

Anno Mundi 5507.

Cycli Solis 19, Epactæ I, Lit. Dom. F.
Mart. 28. Feria V, adeoque Dom. F, Epactæ I. p. 196.
ita enim videtur legendum. Hoc mense (Martio)
κη'. (non ιη') ita quoque legit Holstenius. confer p. 199. | Mart. 25, Fer. II. p. 199.
Junii 24, Feria II, ex calculo, adeoque Dom. F, Ep. I. p. 201, 2.
Dec. 25, Feria IVª, adeoque Dom. F, Epactæ I. p. 202.
Jan. 1, Feria IV. recte indicatur, estque in anno seq. Juliano. p. 202.
Febr. 2, Feria I, ex calculo, recte indicatur. p. 205.

Anno Mundi 5536.

Cycli Solis 20, Epactæ II, Lit. Dom. E.
Jan. 6, Feria V, ex calculo. p. 210.

Male ad hunc annum M. refertur, cum, ut ex ipso calculo patet, pertineat ad annum Mundi 5537 exeuntem

Anno

Anno Mundi 5537.

Cycli Solis 21, Epactæ IV, Lit. Dom. DC.
Mart. 27, Feria VII, ex calculo, adeoque Dom. C. Ep. IV. p. 211.

Anno Mundi 5538.

Cycli Solis 22, Epactæ V, Lit. Dom. B.
Apr. 15, Feria VIa, ex calculo; adeoque Dom. B, Ep. V. p. 215.

Anno Mundi 5539.

Cycli Solis 23, Epactæ VI, Lit. Dom. A.
Apr. 4, Feria III, ex calculo; adeoque Dom. A. Epactæ VI. p. 216.

Anno Mundi 5540.

Cycli Solis 24, Epactæ VII, Lit. Dom. G.
Mart. 23, Feria, ex calculo; adeoque Dom. G. Epactæ VII. p. 221.
Maji 3, Feria Va, Maji 13, Feria Ia, p. 223.

Anno Mundi 5541.

Cycli Solis 25, Epactæ II, Lit. Dom. F E.
April. 11, Feria VI; adeoque Dom. E, Epactæ II. p. 225.

Feria quidem recte indicatur, ad illum diem mensis, est tamen vitiosa lectio, ut ex p. 229 patet. & scribendum, ut ibidem legitur,

April. 12, Feria VII, ex calculo; adeoque Dom. E. Epactæ II. p. 229.

Anno 5672.

Cyclo Solis 16, Epactæ IV, Lit. Dom. C.
Mart. 26, Feria VII; adeoque Dom. B, Epactæ V. p. 257.

Vitiosa Feria: error videtur in anno Mundi ad quem refertur: Feria enim mutari non potest. Sed vel annus Mundi, vel mensis, ejusque dies mutari debet. Vide §um 86.

Anno Decii 1, M. 5760.

Cyclo Solis 20, Epactæ II, Lit. Dom. E.
Mart. 12, Feria VII, adeoque Dom. B, Epactæ V. p. 270.

Error manifeſtus. nam dies Martii 12 illo anno cadit in Feriam IV^am; forte legendum VIII Idus, pro IV Idus, ſeu Mart. 8, pro Mart. 12.

Anno Conſtantini 25, M. 5839.

Cycli Solis 15, Epactæ III, Lit. Dom. D.
Maji 11, Feria II^da, adeoque Dom. D, Epactæ III. p. 285.

Anno Conſtantini 32, M. 5846.

Cycli Solis 22, Epactæ V, Lit. Dom. B.
Maji 22, Feria I^a, adeoque Dom. B, Epactæ V. p. 286.

Anno Arcadii 10, M. 5913.

Cycli Solis 5, Epactæ V, Lit. Dom. CB.
Junii 26, Feria II^da, adeoque Lit. Dom. A, Epactæ VI. p. 307.

Erronëe, eſt enim in illo die Feria I^a, vel in illa Feriâ, Junii dies 27.

Octob. 6, Feria V^a, adeoque Lit. Dom. B, Epactæ V. p. 307.
Octob. 12, Feria IV^a, adeoque Lit. Dom. B, Epactæ V. p. 308.

Anno Theodoſii 7°, M. 5924.

Cycli Solis 16, Epactæ IV, Lit. Dom. C.
Julii 30, Feria VI^a, adeoque Dom. C, Epactæ IV. p. 309.
Sept. 24, Feria VI^a, adeoque Dom. C, Epactæ IV. p. 309.
Octob. 10, Feria I^a, adeoque Dom. C, Epactæ IV. p. 309.

Hic γορπιαῖος pro ὑπερβερεταῖος legitur, ſed recte additur πρὸ ϛ' Ἰδῶν Ὀκτωβρίων.

Octob. 2, Feria VII^a, adeoque Dom. C, Epactæ IV. p. 309.

Hic γορπιαῖος iterum pro ὑπερβερεταίῳ ponitur, ſed male additur πρὸ ϛ' Νωνῶν Σεπτεμβρ., Sept. enim non habet VI Nonas, ſed October.

Anno

Anno Theodosii 8°, M. 5925.

Cycli Solis 17, Epactæ VI, Lit. Dom. BA.
Mart. 28, Feria IIIª, adeoque Dom. A, Epactæ VI. p. 310.
Septemb. 30, Feria VIIª, adeoque Dom. A, Epactæ VI. p. 310.

Anno Theodosii 9°, M. 5926.

Cycli Solis 18, Epactæ VII, Lit. Dom. G.
April. 10, Feria VIª, adeoque Lit. Dom. G, Epactæ VII. p. 310.

Anno Theodosii 10, M. 5927.

Cycli Solis 19, Epactæ I, Lit. Dom. F.
Julii 19, Feria VIª, adeoque Lit. Dom. F, Epactæ I. p. 310.

Anno Theodosii 11°, M. 5928.

Cycli Solis 20, Epactæ II, Lit. Dom. E.
Febr. 23, Feria Iª, adeoque Lit. Dom. E, Epactæ II. p. 310.

Hic Februarii dies juxta Computum Auctoris, qui annum ab 21 Martii incipit, pertinet ad annum Mundi 5927 exeuntem: sed tamen Feria recte indicatur.

Anno Theodosii 13°, M. 5930.

Cycli Solis 22, Epactæ V, Lit. Dom. B.
Julii 9, Feria VIIª, adeoque Lit. Dom. B, Epactæ V. p. 313.
Legendum enim ζ" pro ς" Ἰδῶν Ἰουλίων.
Sept. 6, Feria IIIª, adeoque Lit. Dom. B, Epactæ V. p. 313.

Anno Theodosii 15°, M. 5932.

Cycli Solis 24, Epactæ VII, Lit. Dom. G.
April. 7, Feria IIdª, adeoque Lit. Dom. E, Epactæ II. p. 313.

Erroneë: legendum ε" pro ζ" Ἰδῶν Ἀπριλλίων, vel legendum Feria VIIª pro IIdª.

Anno Theodosii 42°, M. 5959.

Cycli Solis 23, Epactæ VI, Lit. Dom. A.
Aug. 25, Feria V^a, adeoque Lit. Dom. B, Epactæ V. p. 319.
Erronëe; lege θ″ pro η″ καλανδῶν Σεπτεμβρ., vel lege Feria VI^a pro V^a.

Anno Leonis M. 8°, M. 5974.

Cycli Solis 10, Epactæ IV, Lit. Dom. C.
Sept. 2, Feria IV^a, adeoque Lit. Dom. D, Epactæ III. p. 322.
Erronëe, legendum ἡμέρα (Feria) ε″ pro δ″.

Anno Justini 9°, M. 6036.

Cycli Solis 16, Epactæ IV, Lit. Dom. C.
Aug. 1, Feria I^a, adeoque Lit. Dom. C, Epactæ IV. p. 334.

Anno Justiniani 5°, M. 6041.

Cycli Solis 21, Epactæ IV, Lit. Dom. DC.

Jan. 16,	Feria VI^a,	p. 337.	adeoque Dom. D, Epactæ IV.
—— 17,	Feria VII^a,	p. 337.	
—— 18,	Feria I^a,	p. 338.	
—— 19,	Feria II^a,	p. 340.	
—— 20,	Feria III^a,	p. 340.	

Feriæ recte indicantur: sed pertinet hic mensis Januarius, juxta computum Auctoris, ad annum M. 6040 exeuntem.

Anno Justiniani 36°, M. 6072.

Cycli Solis 24, Epactæ VII, Lit. Dom. G.
Decemb. 24, Feria I^a, adeoque Lit. Dom. A. Epactæ VI. p. 375.

Erronëe, legendum Feria II^a, vel legendum Decemb. 23.

Anno Mauritii 20°, M. 6111.

Cycli Solis 7, Epactæ VII, Lit. Dom. G.
Novemb. 23, Feria VI, adeoque Dom. G, Epactæ VII. p. 378.
——— 25, Feria I^a, adeoque Dom. G, Epactæ VII. p. 378.
——— 27, Feria III^a, adeoque Dom. G, Epactæ VII. p. 379.

Anno

Anno Phocæ 4°, M. 6115.

Cycli Solis II, Epactæ V, Lit. Dom. B.

Octob. 29, Feria VII, adeoque Dom. B, Epactæ V, p. 381.

—— 30, Feria Iª, adeoque Dom. B, Epactæ V, p. 381.

Anno Phocæ 7°, M. 6118.

Cycli Solis 14, Epactæ II, Lit. Dom. E.

Apr. 1, Feria IIIª, adeoque Lit. Dom. E, Epactæ II. p. 381. §° 84.

Anno Phocæ 8°, M. 6119.

Cycli Solis 15, Epactæ III, Lit. Dom. D.

Mart. 20, Feria VIª, adeoque Dom. D, Epactæ III. p. 382.

—— 22, Feria Iª, adeoque Dom. D, Epactæ III. p. 382.

Apr. 18, (non 8) Fer. VIIª, adeoque Dom. D, Epactæ III. p. 382.

Octob. 3, Feria VII, adeoque Dom. D, Epactæ III. p. 382.

Octob. 5, (non 6) Fer. II, adeoque Dom. D, Epactæ III. p. 382. 83.

Confer §um 89.

Anno Heraclii 1°, M. 6120.

Cyclo Solis 16, Epactæ IV, Lit. Dom. C.

April. 20, Feria IIIª, adeoque Dom. C, Epactæ IV. p. 383.

Julii 7, Feria IVª, adeoque Dom. C, Epactæ IV. p. 384.

Anno Heraclii 2°, M. 6121.

Cyclo Solis 17, Epactæ VI, Lit. Dom. BA.

Maji 3, Feria IVª,
Aug. 13, Feria Iª,
Octob. 4, Feria IVª,
Dec. 5, Feria IIIª,
} adeoque Dom. A, Epactæ VI. p. 384.

Anno Heraclii 3°, M. 6122.

Cycli Solis 18, Epactæ VII, Lit. Dom. G.

Jan. 22, Feria II, adeoque Dom. G, Epactæ VII. p. 384.

Feria recte indicatur: pertinet autem mensis ille Januarius ad annum M. 6121 exeuntem.

Anno

Anno Heraclii 4°, M. 6123.

Cycli Solis 19, Epactæ I, Lit. Dom. F.
Octob. 28, Feria VIIa, adeoque Dom. A. Epactæ VI. p. 385.
Erronëe, legendum Feria IIda, β pro ζ. vel legendum, Octob. 26, κς″ pro κη″.

Anno Heraclii 6°, M. 6125.

Cycli Solis 21, Epactæ IV, Lit. Dom. DC.
Mart. 1, Feria IIda, adeoque Dom. C, Epactæ IV. p. 388.

Anno Heraclii 9°, M. 6128.

Cycli Solis 24, Epactæ VII, Lit. Dom. G.
Junii 5, Feria Ia, adeoque Dom. B, Epactæ V. p. 389.

Erronëe, legendum γ″, vel ι″ pro ε″, hoc eſt, legendum vel 3 vel 10 Junii, pro 5 Junii: Feria enim, ut ex ſeq. patet, mutari non debet.

Anno Heraclii 16°, M. 6135.

Cyclo Solis 3, Epactæ II, Lit. Dom. E.
Maji 14, Feria IVa, adeoque Dom. E, Epactæ II. p. 391.
Aug. 2, Feria VIIa, adeoque Dom. E, Epactæ II. p. 394.

Anno Heraclii 18°, M. 6137.

Cycli Solis 5, Epactæ V, Lit. Dom. CB.
Maji 15, Feria Ia, adeoque Dom. B, Epactæ V. p. 398.

CI. SCHE-

C I.

SCHEMA CYCLI SOLARIS,

Ex præcedentibus Feriis compositum.

anno Cycli Solis	Epactæ	Lit. Dom.	anno Mundi, ab 21 Martii incipiente.					
1	VII	AG	5489	5517	5909	6105		
2	I	F	5490	5518	5910	6106		
3	II	E	5491	5519	5911	6107	3839	6135
4	III	D	5492	5520	5912	6108		
5	V	CB	5493	5521	5913	6109	6137	
6	VI	A	5494	5522	5914	6110		
7	VII	G	5495	5523	5915	6111		
8	I	F	5496	5524	5916	6112		
9	III	ED	5497	5525	5917	6113		
10	IV	C	5498	5526	5918	6114	5974	
11	V	B	5499	5527	5919	6115		
12	VI	A	5500	5528	5920	6116		
13	I	GF	5501	5529	5921	6117		
14	II	E	5502	5530	5922	6118		
15	III	D	5503	5531	5923	6119	5839	
16	IV	C	5504	5532	5924	6120	5672	6036
17	VI	BA	5505	5533	5925	6121		
18	VII	G	5506	5534	5926	6122		
19	I	F	5507	5535	5927	6123		
20	II	E	5508	5536	5928	6124	5760	
* 21	IV	DC	5509	5537	5929	6125	6041	
* 22	V	B	5510	5538	5930	6126	5846	
* 23	VI	A	5511	5539	5931	6127	5959	
* 24	VII	G	5512	5540	5932	6128	6072	
* 25	II	FE	5513	5541	5933	6129		
26	III	D	5514	5542	5934	6130		
27	IV	C	5515	5543	5935	6131		
28	V	B	5516	5544	5936	6132		

NB. Anni Mundi, linea subducta notati, cum Feriis expressis occurrunt.
NB. Anni Cycli Solis, stellula prænotati, in Chronico expresse numerantur.

C I I.

Descriptio Cycli decemnovalis qui p. 197 exhibetur.

Confer §um 92.

Hic Cyclus in formam Rotæ dispositus est.

Zona exterior exhibet XIX annos Cycli.

Zona media exhibet annos Mundi XIX, ab anno 5492 usque ad annum 5510 inclusive.

Zona interior exhibet

2. Epactas Lunæ annuas quæ exprimunt ætatem Lunæ, in ordinario Auctoris Cyclo decemn., in die Feb. 28, sed hic videntur simpliciter vicem Epactarum Lunæ annuarum supplere, & alligari diei Mart. 7°.
1. Epactas Solis annuas, quæ exprimunt Feriam Septimanæ in Martii die 17°.
3. Feriam Septimanæ in Sept. die 1°, qui vocatur primus septimi mensis; quia mensis Septemb. ab Auctore concipitur ut respondens *septimo secundum Hebræos mensi*.
4. Ætatem Lunæ, seu diem mensis *secundum Lunam*, in eodem illo Sept. die 1°.
5. Bissextos, suis locis insertos, quibus indicatur illos annos Cycli, & Mundi, incipientes ab 21° Martii, habere in præcedenti Februario diem Bissextilem.

Observatio

In hoc Cyclo annus Cycli 1us illigatur anno Mundi 5492°.

Ex quo patet Cyclum Auctoris decemnovalem incipere anno Mundi 1°.

Nam sit

annus Cycli Lunæ 1us, Mundi 5492us
aufer 289 Cyclos integros, hoc est, annos 5491
erit annus Cycli Lunæ 1us, Mundi 1us.

CIII. De

CIII.

De Methodo Auctoris ad inveniendam Lunam in die Sept. 1°, *qua usus est in constructione præced. Cycli decemn.*

Hæc methodus cognoſcitur ex exemplo anni Mundi 5506, in quo computat Lunam in die Sept. 1° iſtius anni p. 194.

Hoc (inquit) 5506° *anno Creationis Mundi volumus ſcire, quomodo* (ſe) *habeat ſecundum Lunam prima* (dies) *ſeptimi menſis Elul, ſecundum Lunarem traditionem Scripturæ, & quænam in eâ ſit Feria Septimanæ.*

ab annis (Mundi)	5506
auferentes	1
Reliquum	5505
dividimus per XIX	
relinquitur	14

Τὸ (κατὰ φύσιν) ιδ″, (κατὰ θέσιν δὲ ιε″) ἔτος τοῦ ιθ″ ἐτηρίδος ἔχει δ″ ἐπακτάς. Hæc ita ſupplenda, & intelligenda eſſe, patet ex ipſa inſpectione Cycli, & ex perpetua methodo Auctoris ad inveniendum Epactas Lunæ in quolibet anno Mundi, & Cycli. Confer §um 74.

Deinde ſic pergit.

His Epactis (jam inventis)	4
addimus dies anteluminares	13
item dies ab 21° *Martii* . .	11
—— —— *Aprilis* . .	30
—— —— *Maji* . . .	31
—— —— *Junii* . . .	30
—— —— *Julii* . . .	31
—— —— *Auguſti* . .	31
item diem Septembris . .	1
fiunt	182
aufer (ſex) *XXX*, hoc eſt,	180
relinquitur	2

 Cognoſ-

Cognoſcimus igitur, quemadmodum hoc præſenti 5506° anno Creationis Mundi primus dies Solaris Septembris menſis habeat, ſecundum Lunam, (diem) *ſecundam.*

Ex hoc Exemplo facile cognoſcitur Methodus Auctoris, quæ in eo conſiſtit, quod dies, qui colliguntur a die Martii 8° (in quem cadit citima Neomenia Paſchalis,) uſque ad diem Sept. 1um, incluſive, quique faciunt dies 178, addantur Epactis Lunaribus annuis, & ab hac ſumma abſtrahantur tricenarii, ac reliquum habeatur pro ætate Lunæ, in illo die Sept. 1°.

Et per hanc methodum ſeu regulam inventa eſt Ætas Lunæ in die Sept. 1°, per ſingulos annos Cycli decemn., quemadmodum in Schemate exhibetur.

Hujus inventio per compendium facilior reddi poteſt, nam, quia dies ab 8° Martii uſque ad 1um Septemb. ſunt 178, biduum huic ſummæ deeſt ad ſex tricenarios complendum, hoc biduum aufer ab Epactis, & habebis ætatem Lunæ in die Sept. 1°.

Obſervandum tamen in anno Cycli 18° & 19° Epactas Lunæ vel male expreſſas eſſe, & legendum eſſe VIII & XVIII, ſaltumque Lunæ in 17° Cycli anno collocandum eſſe, vel ſaltem in calculo Epactas illorum annorum unitate minuendas eſſe: clare enim in ſerie ætatum Lunæ ſaltus Lunæ occurrit in anno Cycli 17°. Vide §um 92.

Hæc methodus, ad inveniendam ætatem Lunæ in die Sept. 1°, diverſa eſt a methodo, qua uſus eſt, ad inveniendas Lunas XIVas, imo plane ſingularis eſt. Nam in hoc calculo non adduntur dies illi VII antelunares a Martii 1—7. Præterea menſes omnes Lunares ſtatuuntur pleni dierum XXX. Nec video, quomodo per additionem Epactarum, hæc ſumma dierum eo reducatur, ut a Neomenia incipiat, quod tamen in calculo videtur ſupponi.

Auctor quoque ipſe vidit hunc computandi modum eſſe ſingularem, idque indicat, dum dicit hunc computum fieri *ſecundum Lunarem traditionem Scripturæ.* Quod videtur reſpicere ad quantitatem menſis Lunaris, quem in hoc Computo facit XXX dierum: Ita enim dicit p. 196 *Numeremus igitur dies,* κατὰ τὴν κρατοῦσαν συνήθειαν τῆς γραφῆς σεληνιακῶς, *a conceptione Eliſabeth uſque ad diem annunciationis B. Virginis Mariæ, qua conceptus eſt Agnus Dei, invenimus ſextum menſem Eliſabeth tunc compleri. Ponimus dies a 25° ſeptimi* (menſis) ΣΕΛΗΝΙΑΚΩΣ *hoc modo.*

(Deinde ſequitur calculus, quem in ſequentibus exhibemus.)

Eilul

Eilul	7	*Septembris.*
Theilis	31	*Octobris.*
Morsuam	30	*Novembris.*
Chasleu	31	*Decembris.*
Tebeth	31	*Januarii.*
Sabath	28	*Februarii.*
Adar	25	*Martii.*
fiunt	183	ταύτας τὰς καὶ σελήνην μέρισον
hos divide per XXX		*Quotiens* 6
Reliquum	3.	

Quanquam hic locus in fine mutilus, vel corruptus videtur: nam illud τουτέστιν nullum sensum habet, & respicit ad aliquid, quod excidit.

C I V.

De Scopo hujus methodi & Cycli.

Scopus ex iis, quæ Rotæ inscribuntur (de quibus postea) facile eruitur, nempe hanc Methodum esse inventam, & Schema hujus Cycli esse compositum, & istic loci esse insertum, eum in finem, ut ostenderet Cyclum suum Lunarem & Solarem, totumque adeo Computum suum, Sacræ Scripturæ, & Festis Ecclesiæ, & in specie iis, quæ Scriptura de Zacharia, & annunciatione ipsi facta, & conceptione Elisabeth ejusque relatione cum annunciatione Mariæ facta, & conceptione Christi, narrat, esse consonum.

C V.

Quomodo & in quantum Computus Paschalis Auctoris concinat temporibus Christi & Festis Ecclesiæ.

Duo hic occurrunt Capitalia, ad quæ maxime attendendum est, quorum

A. Primum & præcipuum est ordinatio anni Crucifixionis Christi.

B. Alterum ordinatio anni Conceptionis Johannis Baptistæ;

Hinc enim cætera omnia pendent.

C V I.

De ordinatione anni Crucifixionis.

Ex iis, quæ Auctor in Præfatione omni nisu probare conatus est, & quæ ad ea in præcedentibus observavimus (imprimis §° 8°, 11°, 19°) patet Auctorem statuere Christum die Jovis ad vesperam non comedisse cum discipulis suum agnum typicum Paschalem, sed eum sequente die Veneris, ut verum agnum Paschalem in crucifixione sua immolatum esse, Luna XIVa, eo ipso tempore, quando agnus Typicus juxta Legem immolandus erat, & a Judæis immolabatur, illique eum ad vesperam comesturi erant. Atque eum resurrexisse sequenti Dominica Luna XVIa, Martii die 25°, adeoque crucifixum esse Martii die 23°.

Debet itaque ex principiis Auctoris annus crucifixionis habere duos characteres concurrentes, quorum

1us Lunaris est, & requirit, ut Luna XIVa Paschalis cadat eo anno in diem Martii 23um.

2us Solaris est, & requirit, ut dies Martii 23us eo anno cadat in diem Veneris seu Feriam VIam.

Quod 1um characterem attinet:

Hoc opus, hic labor erat, ut huic characteri satisfieret. Nulla enim in toto Cyclo decemnov. Luna XIVa occurrebat, quæ diei Martii 23° affixa erat.

Assumenda itaque erat alia aliqua Luna XIVa in Cyclo decemn. annotata, quæ ad diem, Martii 23° proximum, adfixa erat: & aliquo artificio opus erat, quo illa ad diem Martii 23um quasi reduceretur, ut videri posset eo anno in diem Mart. 23um incidisse.

Duæ in Cyclo decemnov. occurrunt Lunæ XIVæ, quæ cadunt in diem, Martii 23° proximum, nempe Luna XIVa anni, Cycli sui, 3tii, quæ affixa est diei Martii 22°, & Luna XIVa in anno Cycli sui 11°; quæ affixa est diei Mart. 24°.

Primam, quæ in diem Martii 22um incidit, non assumsit; ob varias rationes, 1°, quia tum coactus fuisset Æram incarnationis & resurrectionis, vel ascensionis, octo annis anticipare, & nimis retrahere, vel undecim annis protrudere: retractionem enim Feria non patitur. quod in aliis carpit: 2°, quia tum nimis accessisset ad eos, qui illam Lunam admittentes, statuebant Christum eo die Martii 22, Luna XIVa Pascha

cum

cum discipulis comedisse, suo tempore, iisque ansam dedisset eum carpendi. 3° ,, quia Luna XIV^{a} diei Martii 22° affixa, non æque facile ad diem Martii 23^{um} protrudi, quam ea, quæ diei Martii 24° affixa est, ad diem Martii 23 retrahi poterat: saltem illud artificium, quo utitur, huic Lunæ, die Mart. 22 affixæ, applicari non poterat.

Assumit itaque secundam, quæ in diem Martii 24^{um} incidit: eamque artificio quodam retrahit ad diem Mart. 23.

Quod Auctor hanc Lunam XIV^{am} assumat, quæ in Cyclo diei Martii 24° affixa est, quæque occurrit anno Cycli Auctoris 11°, patet ex tribus Paschatibus, quæ Pascha crucifixionis immediate præcedunt, & ex uno Paschate illud immediate sequente, nec non ex ipso Paschate crucifixionis. Confer §^{um} 77, 78, 79, 80, & 81. Item Schema Paschatum, §° 91.

Paschata autem hæc se invicem insequentia sunt ea, quæ in sequentibus exhibentur.

	anno Cycli Lunæ	Epactæ Lunæ	Pascha Legale, seu Luna XIV^{a},
	8°	XVII	Mart. 27.
	9°	XXVIII	April. 15.
	10°	IX	April. 4.
Pascha crucifixionis	11°	XX	Mart. 24. in Cyclo, 23 artificio.
	12°	I	April. 12.

Unde patet characterem anni crucifixionis Lunarem requirere Lunam XIV^{am} in Cyclo, ejusque juxta Auctorem anno 11°, diei Martii 24° affixam, sed artificio quodam ad diem Martii 23^{um} reductam.

Artificium, quo utitur, præsupponit annum crucifixionis esse tertium a Bissextili. Vide §^{um} 80. Adeoque dies Bissextilis insertus erat in illo mense Februario, qui præcedebat illum mensem Martium, in cujus diem 27^{um} cadebat Luna XIV^{a}, anno Cycli 8°.

Hinc oritur novus character anni crucifixionis, sed qui ad Solarem pertinet, eumque magis restringit.

Artificium enim ipsum considerat, tres quadrantes trium annorum Solarium post Bissextilem diem insertum jam transactorum, facere 18 horas seu 45 sexagesimas diei partes, quibus annumerat adhuc 22 sexagesimas alias, (quas unde habeat, nondum percipio, unde illas sexagesimas 22 habeat, ostenditur infra §° 167.) ex his simul sumptis (faciunt enim

simul

ſimul 67 ſexageſimas diei partes) conflat diem unum: hunc diem concipit revera transiiſſe, & tamen in anno Solari civili in computum non veniſſe, ſi autem in computum admittatur, & tanquam intercalaris dies anno Solari inſeratur, quod Auctor facit, tum ſupponit hunc diem Solarem inſertum conſumere etiam unum diem Lunarem, illi reſpondentem, adeoque Lunam XIV^am hoc modo, illo in anno, uno die retrahi a die Martii 24° ad diem Martii 23^um.

Totum hoc artificium nil niſi merum ſubterfugium eſt: ſed hoc id non eſt, de quo quæritur.

Quod ſecundum characterem attinet:

Hic talis difficultas non occurrit, nam annus in quo dies Martii 23 cadit in Feriam VI^am, eſt annus in quo dies Mart. 17 cadit in Feriam VII^am, ſeu, quod idem eſt, eſt annus, qui habet Epactas Solis VII, & Literam Dominicalem *G*. Talis autem annus quater in Cyclo Solari occurrit, & quidem in anno Cycli Auctoris, 1°, 7°, 18°, & 24°.

Ex his quatuor Cycli annis, Solus 24^us eſt tertius a Biſſexto annus, qualis, ut modo vidimus, annus crucifixionis eſſe debet.

Character itaque Solaris, anni crucifixionis, requirit in die Mart. 17° (adeoque etiam in die Mart. 24 & 31) Epactas Solis VII, adeoque Lit. Dom. G, idque in anno poſt Biſſextilem 3°, ac proinde annum in Auctoris Cyclo Solis 24^um.

Huic characteri ſatisfacit; aſſumit enim annum Cycli Solis 24^um, qui habet Epactas Solis VII, & tertius eſt a Biſſexto, ut patet ex Feriis quinque annorum ſibi invicem inſequentium, quorum annus crucifixionis quartus eſt, confer §^um 77—81. §. 91. & §^um 100.

Anni illi quinque ſunt ſequentes:

	anno Cycli Solis	Epactæ Solis	Lit. Dom.	
	21°	IV	DC	
	22°	V	B	
	23°	VI	A	
*	24°	VII	G	Mart. 23, Feria VI^a, Crucifixio.
	25°	II	FE	April. 13, Dominicâ Paſchali.

Unde ad oculum patet annum crucifixionis eſſe Cycli annum 24^um, habere Epactas Solis VII, Lit. Dom. G, diem Martii 23^um incidentem in Feriam VI^am, & eſſe annum a Biſſexto 3^um.

Quod

Quod attinet concursum horum duorum characterum.

Characteres hi singuli, & maxime simul sumpti, requirunt annum, in Æra Mundana Auctoris, 5540^{um}.

Nam hi duo characteres simul concurrere non possunt nisi semel spatio 532 annorum.

Quia autem Auctoris Cyclus Lunæ, & ejus Cyclus Solis simul, adeoque tota quoque ejus Periodus 532 annorum, incipiunt a Mundi anno 1°, a creatione luminarium, patet nullum alium Æræ Mundanæ annum, quam 5540^{um} his characteribus satisfacere posse, & pro anno crucifixionis aliqua specie haberi.

Hunc autem annum requisitis satisfacere clarum est: nam annus Mundi 5540, divisus per XIX, relinquit 11, pro anno Cycli Lunæ, & divisus per XXVIII, relinquit 24, pro anno Cycli Solis: præterea annus Mundi 5540 divisus per DXXXII dat in quotiente 10, & relinquit 220, unde patet annum Mundi 5540^{um} esse Periodi $XI^{mæ}$ annum 220^{um}, si jam 220 dividantur per XIX & per XXVIII, reliquum erit 11 & 24. Plura nunc non addo, ne in re clara tempus perdam.

Unde patet annum crucifixionis in Æra Auctoris Mundana fixum ac determinatum esse, neque loco moveri posse, nulli enim alio consequenter suis principiis, eum alligare poterat, quam 5540°.

Quod autem huic anno 5540° crucifixionem Christi alligaverit luce meridiana clarius est: Auctor enim non tantum p. 218 id repetit & probare conatur (de quo in præfatione egerat) Christum in Cœna, quam cum discipulis habuit, pridie quam pateretur, non comedisse agnum typicum, sed discipulis panem & vinum dedisse, & cœnam illam typicam loco Paschalis cœnæ instituisse: & p. 220, expresse dicit Christum passum Luna XIV^{a} & resurrexisse Luna XVI^{a}: atque p. 221 illo artificio utitur ad Lunam XIV^{am} in Cyclo diei Mart. 24° affixam, ad diem Mart. 23^{um} reducendam: sed & in Computo tam Lunari, quam Solari ex methodo sua, clare ostendit se crucifixionem Christi alligare anno Mundi 5540°, ita enim concludit *& demonstratum est*, vel, *ostensum est, quemadmodum* XIV^{a} *hoc præsenti anno* 5540° *Creationis Mundi . . . incidit* (die) 23° *Martii mensis, & die Parasceves*, hoc est, Feria VI^{a}, p. 221. Ac præterea quinque illa Paschata, se invicem insequentia, & expresse annis Mundi illigata, nempe primum post baptismum anno Mundi 5537°. secundum post baptismum anno M. 5538°, tertium post baptismum anno M. 5539°, quartum, quo passus est, anno M. 5540°, & quin-

tum, quod primum dicitur post Christi ascensionem anno M. 5541°; rem ita demonstrant, ut nullum dubium relinquatur.

Quod autem attinet Æram Vulg. ejusque cum Æra Auctoris Mundanæ concursum,

Hi characteres anni crucifixionis produnt absque omni dubitatione annum Æræ Vulgaris 31um, nullus enim alius annus in Æra Vulgari, spatio 532 annorum occurrit, qui his characteribus præditus est, ut habeat Lunam XIVam in die Martii 24um, & cum die Mart. 17, 24, 31. concurrentem Feriam VIIam, ac proinde in die Martii 23°, Feriam VIam, quam annus Æræ Vulg. 31us.

Atque hinc patet concursus Æræ Auctoris Mundanæ cum Æra Vulg., nam si annus M. 5540 est Æræ Vulg. 31us, erit annus M. 5510us Æræ Vulg. 1us.

C V I I.

De ordinatione anni Conceptionis Joh. Bapt. &, qui ab eo dependet, conceptionis & nativitatis Christi.

Ut character hujus anni conceptionis Joh. Bapt., qui annum conceptionis & nativitatis Christi præcedit, eruatur,

Quædam prænotanda sunt :

1°, Tempus novem mensium, quo infans in utero gestatur, a die conceptionis usque ad diem nativitatis, Auctor, ut videtur, statuit novem mensium Solarium civilium, & diem nativitatis facit cadere in eundem diem mensis Solaris civilis, in quem dies conceptionis ceciderat: Sic conceptionem Christi in die Mart. 25, & nativitatem in die Dec. 25 collocat, in quibus diebus Ecclesia Festum *annunciationis Mariæ*, & Festum *Nativitatis Christi* celebrabat, ut dixerat in præfatione p. 11, & repetit p. 198. Et eodem modo conceptionem Joh. Bapt. in die Sept. 24, & nativitatem ejus in die Junii 24 collocat, quam nativitatem Joh. Bapt. Ecclesia etiam in illo die Junii 24° celebrabat, ut ibidem p. 11. dicit. Hinc numeraturus dies a conceptione Elisabethæ, numerationem incipit a die Sept. 24, qui juxta Lunam erat 25us, hoc est, qui habebat ætatem Lunæ XXVam, nam, ut ex calculo patet, in Sept. numerat dies VII, a die 24—30. p. 196. Et expresse dicit p. 201. *invenimus, quod ὁ ἐννεαμηναῖος ἡλιακὸς χρόνος, conceptionis Elisabeth completur in 24 Junii mensis.*

2°, Ex-

2°, Ex Scriptura patet annunciationem Mariæ factam esse mense conceptionis Elisabethæ 6° : Hoc Auctor ita interpretatur, & determinat, p. 198. *Sexto igitur mense Elisabethæ completo, die 25° secundum Romanos Martii mensis, & in eo* (die Martii 25°) *incipiente ejus* (αὐτῇ lego αὐτῆς) *septimo mense, concepit Maria.* Hoc cogitur statuere propter Festa Ecclesiæ certis diebus affixa, nempe Festum Nativitatis Christi diei Dec. 25, & Festum annunciationis Mariæ, seu conceptionis Christi diei Mart. 25, & Festum nativitatis Joh. Bapt. diei Junii 24; nam nativitas Joh. Bapt. die Junii 24 requirit ejus conceptionem die Sept. 24; & conceptio Joh. Bapt. in die Sept. 24 dat mensem sextum Elisabethæ completum in die Mart. 24, & mensem septimum ejus inchoantem in die Martii 25. Confer §um 19.

Requiritur itaque ut dies conceptionis Joh. Baptistæ cadat in diem Sept. 24.

Hic character per se generalis est, & omni anno convenire potest, nisi ulterius determinetur.

Determinatur autem per tempus annunciationis Zachariæ factæ, quum ut Sacerdos ministraret in templo ἐν τῇ τάξει ἐφημερίας αὐτȣ̃, & suffitum adoleret; nam completis diebus λειτȣργίας ejus abiit domum, & post illos dies concepit ejus uxor Elisabeth, ut Lucas narrat C. 1°.

Circa hoc ministerium Zachariæ, & annunciationem ei factam, observanda sequentia.

a. Statuit Auctor (cum aliis) ministerium Zachariæ cadere in aliquod Festum septimi mensis Judaici, qui fere concurrit cum mense Septembri Romano: idque requiritur, ut conceptio Joh. Bapt. in diem Sept. 24 incidere possit.

b Non habet Auctor Zachariam pro Sacerdote magno, neque ejus ministerium pro ingressu in S. Sanctorum, in die magnæ Expiationis, die 1° septimi secundum Hebræos mensis: Neque hic dies ejus principiis conveniens erat.

c. Sed statuit ejus ministerium incidisse in Festum Tabernaculorum, quod cadebat quoque in septimum, secundum Hebræos, mensem, & incipiebat die 15° & durabat per VII dies, atque adjunctum habebat diem octavum sacrum, qui Hebræis *Atzereth*, Græcis ἐξίδιον dicitur: adeo ut hoc Festum desineret die 22° septimi secundum Hebræos mensis.

d. Unde sequitur dies ministerii Zachariæ demum impleri die 22°,

septimi secundum Hebræos mensis, & cum non potuisse domum abire, nisi post illum diem 22um septimi mensis Judaici.

Hinc jam oritur character anni conceptionis Joh. Baptistæ, requirens, ut eo annus 22us septimi secundum Hebræos mensis, proxime accedat ad diem Sept. 24um, in quo conceptio Joh. Bapt. cadere debet.

Hic character ulterius restringitur ex eo, quod Auctor

1°, Annum crucifixionis jam fixerat, & convenienter principiis suis figere debebat in anno Mundi 5540°, Cycli Lunæ 11°, Solis 24°.

2°, Christo tribuit post baptismum, quem accepit, quum esset annorum quasi XXX, tres annos completos, ita ut tria post baptismum Paschata ipse celebraverit, & quarto Paschate passus sit. Vide p. 217, & Schema Paschatum §° 91.

3°, Unde sequitur annum conceptionis Joh. Bapt., qui annum nativitatis Christi præcedit, cadere debere in annum Mundi 5506um, Cycli Lunæ 15um, Solis 18um, vel in annum Mundi 5505um, Cycli Lunæ 14um, Solis 17um, prout illa locutio apud Lucam ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, vel de anno ætatis Christi tricesimo, vel adhuc currente, vel jam completo accipitur.

Auctor, qui statuit Christum baptisatum esse anno ætatis tricesimo jam completo, & tricesimo primo jam per aliquot dies currente (quod etiam cogitur facere, quia baptismum Christi alligare debebat diei Jan. 6°, in quo ab Ecclesia celebrabatur) debuisset, consequenter huic calculo eligere annum Mundi 5505um.

Sed hoc non fecit, sed elegit annum Mundi 5506um.

Quia semel admissa illa methodo computandi Lunæ ætatem in die Sept. 1°, qua usus est in exemplo anni 5506ti, p. 194, & quam vidimus §° 103. Et secundum quam computavit ætatem Lunæ in illo die Sept. 1° per XIX Cycli Lunæ annos, ut videre licet in Cyclo decemnovali, quem hunc in finem construxit & exhibet p. 197, semel, inquam, admissa hac methodo, annum Mundi 5505um eligere non poterat, quia characteri anni conceptionis Joh. Bapt. satisfacere non poterat: sed cogebatur annum M. 5506um eligere, quia ex aliquot annis ante & post, solus hic characterem requisitum habebat.

Quod ex sequentibus patebit.

1°, Annus Mundi 5506us, admissa illa ætate Lunæ in die Sept. 1°, quam per hanc methodum invenit, characteri anni conceptionis Joh. Bapt. satisfacit.

Ita

Ita enim Auctor rem ordinat pag. 195 & 196. *Atque Festa*, inquit, *septimi mensis, sicut dictum est, hæc sunt:*

Die 1° (septimi scilicet secundum Hebræos mensis) *Festum Tubarum, FERIA VII^a^ celebratum per septem dies.*

Die vero 8° *Encænia Templi, FERIA VII^a^.*

Die 10° *dies Expiationis, FERIA II^da^, tertio Encænior. die.*

Et post VII dies Encæniorum, die 15° *Festum Scenopegiæ, FERIA VII^a^ septem diebus celebratum, in quo Zacharias incepit ministerium, & annunciata ab Angelo est conceptio Elisabethæ.*

Et, post septem (dies) *Scenopegiæ, die octavo* (Festi) (22° *mensis*) ἐξόδιον, *FERIA VII^a^.*

Et mansit die Sabbati propter Legem.

Et die 23° (mensis Sept.) *FERIA I^a^*, 24° *autem die secundum Lunam, Feria I^a^, abiit Zacharias in domum suam.*

NB. In hac Pericopâ omnes Feriæ, quæ literis majusculis notantur, male indicantur & uno die retrahendæ sunt.

Feriæ enim hic indicant diem Septimanæ, in quem anno Mundi 5506°, dies 1^us^, 8^us^, 10^us^, 15^us^, 22^us^ septimi secundum Hebræos mensis incidunt.

Anno autem Mundi 5506° dies 1^us^ septimi secundum Hebræos mensis non cadit in diem 1^um^ Sept., sed in diem 31^um^ Augusti, nam dies 1^us^ Septemb. habet Lunam II^dam^, adeoque dies 1^us^ septimi secundum Hebræos mensis non cadit illo anno Mundi 5506° in Feriam VII^am^, sed VI^am^, & sic porro.

Certum enim est Festa Judaica, exempli gratia, Festum Tubarum non alligari diei 1° mensis Solaris Septemb., sed diei 1° mensis Lunaris secundum Hebræos septimi adeoque Lunæ 1^æ^, quæ hoc anno M. cadit in diem 31^um^ Augusti: alias enim Festum Tubarum & reliqua 7^mi^ mensis Festa fixa adhærerent certis diebus mensis Sept., ac proinde omnes anni æque characteri satisfacerent; & frustra computata esset diversa Ætas Lunæ per XIX Cycli annos in die Sept. 1°.

Præterea videtur *dies Sabbathi*, in quo Zacharias mansit propter Legem, distingui a die octavo Festi Tabernaculorum, qui ἐξόδιον dicitur, ac proinde ille dies Festi *octavus* cecidit in Feriam VI^am^, & non in VII^am^.

Denique conclusio, quod Zacharias abierit domum die 23°, mensis nempe Sept, 24° autem die secundum Lunam, septimi secundum Hebræos mensis, Feria I^a^, videtur id confirmare, nam ἐξόδιον fuit 22° die secundum Lunam, Sabbatum 23° die secundum Lunam, ac proinde abitus

Zachariæ 24° die ſecundum Lunam, qui erat 23^us dies Solaris menſis Sept.

Unde ego hanc Pericopam ita corrigerem:

Feſtum	ſecundum Lunam				
Tubarum	die 1°	Feria	VI^a	Aug. die 31°	
Encæniorum	die 8°	——	VI^a	Sept. die 7°	
Expiationis	die 10°	——	I^a	—— — 9°	
Scenopegiæ	die 15°	——	VI^a	—— — 14°	
Ἐξόδιον	die 22°	——	VI^a	—— — 21°	
Sabbatum	die 23°	——	VII^a	—— — 22°	
Abitus Zachariæ	die 24°	——	I^a	—— — 23°	

Deinde eadem p. 196. *Numeremus* (inquit) *dies ... a conceptione Eliſabeth uſque ad diem annunciationis ... Mariæ, qua conceptus eſt agnus Dei ... inveniemus ſextum menſem Eliſabeth a quo concepit, tum impleri.*

Ponimus dies a 25° ſeptimi (*ſecundum Hebræos menſis*, 24° *autem Septemb.*) &c. nam in illo calculo, ut jam ante obſervavi, ponit in Sept. dies VII, adeoque incipit numerare a die 24° Sept., in quo Eliſabeth ponitur concepiſſe.

Cur autem computum hic eo modo inſtituat, quemadmodum hic facit, nondum percipio. Vide infra.

Præterea in monito, quod p. 197. Rotæ inſcribitur, hæc leguntur. *Hæc Enneadecaëteris uniuscujusque anni indicat* 1^um (diem) 7^mi *ſecundum Lunam menſis Elul.*

Verba hæc dupliciter poſſunt accipi, 1° hoc modo, quod hic Cyclus decemnovalis per ſingulos Cycli annos non exprimat, ſed indicet ac prodat diem 1^um ſeptimi ſecundum Hebræos menſis Lunaris Elul. 2° hoc modo, quod hic Cyclus decemn. per ſingulos Cycli annos exprimat, & ſic expreſſe indicet 1^um diem menſis Sept., qui menſis Sept. fere concurrit cum ſeptimo ſecundum Lunam menſe Elul, eique proxime reſpondet. Vix opus eſt monere Autorem 7^mum ſecundum Hebræos menſem erronëe vocare Elul, loco Tisri, quem Theilis nominat p. 196.

In quo (menſe Elul) (ſic pergit) *celebrantur Feſta.*

Die 1° *Feſtum Tubarum*, *per VII dies.*

Die 8° *Encænia Templi.*

Die 10° *Expiationis dies.*

Die 15° *Feſtum Scenopegiæ*, *in quo Zacharias cœpit miniſterium*, *celebratum per VII dies.*

Die 22° ΕΞΟΔΙΟΝ ΗΜΕΡΑ ζ. *Feria VII^a*, lege ΗΜΕΡΑ ϛ, *Feria VI^a.*

Et

Et manens die Sabbati propter Legis præceptum ΕΠΙ ΤΗΝ ΑΥΡΙΟΝ *traditione vaſorum domus Domini facta, abiit in domum ſuam*, ἔχοντος τοῦ μηνὸς ἡλιακοῦ κδ″, κατὰ δὲ σελήνην κε″. *Poſt illas autem dies concepit Eliſabeth uxor ejus: & ex eo uſque ad annunciationem* (Mariæ ſcilicet) συμπληροῦνται μῆνος κατὰ σελήνην ϛ″. (ita enim verba legenda eſſe, ratio ipſa ſuadet) hoc eſt, *complentur menſes ſecundum Lunam ſex.*

Verba illa ἐπὶ τὴν αὔριον pertinere videntur ad ſequentia, & vertenda, *poſtero die*, traditione vaſorum domus Domini facta, *abiit*.

Hic iterum ἐξόδιον, *Atzereth*, Auctor cadere facit in Feriam VII^{am}, quod ſi retineatur caderet Sabbatum in ipſo die ἐξοδίου, die 22^{o} ſeptimi menſis. Sed eædem rationes, quas ante produxi, ſuadent legendum Feria VI^{a}, loco VII^{a}.

Dies *abitus Zachariæ* in domum ſuam hic collocatur in die Sept. 24, ſecundum Lunam autem 25: quod contrariatur iis, quæ p. 196 dixerat, ubi abitum Zachariæ collocaverat in die Sept. 23, ſecundum Lunam vero 24, Feria 1^{a}. Debet itaque in alterutro loco eſſe vitioſa lectio: vitium autem non eſſe in primo, ſed in hoc loco, inde patet, quod in utroque loco abitus Zachariæ ſtatuatur in die, qui *Sabbatum* immediate ſequatur, hoc eſt, in Feria I^{a}, dies autem menſis Solaris, hoc eſt, Septemb. 24^{us} non cadit in Feriam I^{am}; ſed in Feriam II^{am}; dies vero Septemb. 23^{us} cadit in Feriam I^{am}; nam Auctor ipſe p. 195, per calculum invenit, quod illo anno Mundi 5506^{o}, dies 1^{us} Sept. incidit in Feriam VII^{am}, & habuit ſecundum Lunam (diem) *ſecundum*. Corrigendus itaque hic locus, & legendum κγ″ loco κδ″, & κδ″ loco κε″. Vel hæc verba, diem menſis Solaris & Lunaris deſignantia, tranſponenda ſunt, & totus locus ita legendus: ἐπὶ τὴν αὔριον ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ. Μετὰ δὲ ταύτας τὰς ἡμέρας, ΕΧΟΝΤΟΣ ΤΟΥ ΜΗΝΟΣ ΗΛΙΑΚΟΥ κδ″, ΚΑΤΑ ΔΕ ΣΕΛΗΝΗΝ κε″, συνέλαβεν Ἐλισαβὲτ ἡ γυνὴ αὐτοῦ; καὶ ἐξ ἐκείνου ἕως τοῦ εὐαγγελισμοῦ συμπληροῦνται μῆνες κατὰ σελήνην ϛ″. Quod mihi maxime placet, & confirmatur ex eo, quod p. 196 expreſſe dixerat: *Numeremus igitur dies, ſecundum receptam conſuetudinem Scripturæ Lunariter, a conceptione* (NB) *Eliſabeth uſque ad diem annunciationis* (ΕΥΑΓΓΕΛΙΣΜΟΥ) *Inveniemus ſextum menſem Eliſabeth, a quo concepit, tunc impleri.* Et deinde ſtatim numerationem inceperat a menſis Solaris Sept. die 24^{o}, qui eſt ſecundum Lunam dies 25^{us} ſeptimi ſecundum Hebræos menſis; nam in illa numeratione ponit VII dies in Sept. reliquos, ſcilicet a Sept. 24—30. incluſive.

Auctor hic iterum dicit a conceptione Eliſabeth uſque ad annunciatio-

nem

nem Mariæ *compleri menſes* (NB) *ſecundum Lunam ſex:* plane ut p. 196 dixerat; *menſes ſex impleri*, ſi dies a conceptione uſque ad annunciationem numerentur ΣΕΛΗΝΙΑΚΩΣ juxta receptam conſuetudinem Scripturæ. Et ſtatim in calculo addiderat: *ponimus illos dies a 25° die ſeptimi menſis* ΣΕΛΗΝΙΑΚΩΣ *hoc modo:* Et poſtquam numeraſſet, a die 24 Sept. uſque ad diem 25 Martii, dies 183, ſubjunxerat: *Hos dies* ΚΑΤΑ ΣΕΛΗΝΗΝ ΜΕΡΙΣΟΝ. Cur hoc ita inculcet non percipio: cum de nativitate Joh. Bapt. die Junii 24°, dicat p. 201, *invenimus, quod* ὁ ἐννεαμηναῖος ἡλιακὸς χρόνος *conceptionis Eliſabeth completur in 24° Junii.* Poterat etiam hic dicere, *ſex menſium Solare tempus* conceptionis Eliſabeth in die Mart. 24 compleri, & ſeptimum ejus menſem in die Mart. 25° inchoari, ut rem concipit p. 198. An hoc ſimpliciter eam ob cauſam fit, quia in S. Scriptura, Luc. 1: 26, 36. expreſſe *ſextus menſis* conceptionis Eliſabeth memoratur, & S. Scriptura ſoleat loqui de menſibus ſecundum Lunam; an alia aliqua ratio ſubſit, determinare non poſſum.

Satisfacit itaque characteri anni conceptionis Joh. Bapt., annus Mundi 5506^{us}, habens (juxta methodum, ab Auctore admiſſam) in die Septemb. 1°, Feriam VII^{am}, & Lunam, ſeptimi ſecundum Hebræos menſis, II^{dam}: ut ex Schemate p. 197, & ex Computo Auctoris p. 194, 95, patet: nam in illo anno Mundi 5506°, *abitus Zachariæ*, peracto miniſterio, in domum ſuam, incidit in diem Sept. 23^{um} exorientem, & ſic potuit conceptio Eliſabeth fieri die Sept. 24°.

II^{do}, Annus Mundi 5505^{us}, admiſſa illa ætate Lunæ in die Sept. 1°, quam per hanc methodum invenit, & in Schemate p. 197, expreſſit, characteri anni conceptionis Joh. Bapt. ſatisfacere non poteſt.

Habet enim ille annus M. 5505^{us} in die Sept. 1°, Feriam VI^{am}, & Lunam ſeptimi menſis Judaici XXI^{am}.

Adeoque Neomeniam, ſeu Lunam I^{am} ſeptimi menſis Judaici, in quam Feſtum Tubarum incidit, in die Aug. 12°.

Habebis itaque

Feſtum	ſecundum Lunam		
Tubarum	die 1°	Feria VII^{a}	Aug. die 12°
Encæniorum	die 8°	—— VII^{a}	—— — 19°
Expiationis	die 10°	—— II^{a}	—— — 21°
Scenopegiæ	die 15°	—— VII^{a}	—— — 26°
Ἐξόδιον	die 22°	—— VII^{a}	Sept. die 2°
Abitus Zachariæ	die 23°	—— I^{a}	—— — 3°

Hic

Hic dies abitus Zachariæ in domum suam, incidens in diem Sept. 3^um^, longius abest a die conceptionis Elisabeth, incidente in diem Sept. 24^um^, quam ut hic annus M. 5505^us^ satisfacere possit charactéri anni conceptionis Joh. Baptistæ.

Idem dicendum de annis Mundi antecedentibus, 5504°, 3°, 2°, & sequentibus annis M. 5507° & 8°, ut ex ætate Lunæ in die Sept. 1° illis annis, in Schemate p. 197, adscriptâ, patere potest.

Unde concludimus annum conceptionis Joh. Bapt., æque fixum ac determinatum esse in Æra Auctoris Mundana, in anno Mundi 5506°, ac annum crucifixionis Christi in anno Mundi 5540°, neque alterutrum loco moveri posse.

Observatio.

Si Auctor non adhæsisset huic methodo ad computandam ætatem Lunæ in die Sept. 1°, quam vidimus:

Sed ætatem Lunæ regulariter computasset, non potuisset eligere annum M. 5506^um^, sed debuisset, ut omnium commodissimum eligere annum Mundi 5505^um^.

Nam annus Mundi 5506^us^, Cycli Lunæ 15^us^, habens Lunam XIV^am^ in die Apr. 9, prodit Neomeniam seu Lunam I^am^ *primi secundum Hebræos mensis* in die Mart. 27°. Sex menses Lunares, dierum quisque 29½, faciunt simul dies 177. Qui numerati a die Mart. 27° produnt Neomeniam seu Lunam I^am^ *septimi secundum Hebræos mensis* in die 20° Sept., & dabunt Lunam XXIII^am^, in qua abitus Zachariæ reperitur, in die 12° Octob., longe ultra diem conceptionis Elisabeth.

Sed annus Mundi 5505^us^, Cycli Lunæ 14^us^, habens Lunam XIV^am^ in die Mart. 21°, prodit Neomeniam seu Lunam I^am^ *primi mensis* in die Martii 8°. Si itaque ab hoc die 6 mênses Lunares, seu dies 177 numerentur: invenies Neomeniam, seu Lunam I^am^ *septimi mensis* in die Sept. 1°, adeoque Lunam XXIII^am^, in qua abiit Zacharias in domum suam, in die Sept. 23°. (Vide hæc distinctius explicata, infra §° 165. & §° 166.

At Auctor non videtur hoc animadvertisse.

Determinato jam & fixo anno conceptionis Joh. Bapt. in anno Mundi 5506°, ut vidimus,

Eo ipso determinatur & figitur, qui ab illo dependet, annus conceptionis & nativitatis Christi, in anno Mundi 5507°, in quo conceptus die Martii 25, & natus die Decemb. 25.

CVIII.

Probatur Auctorem Chronici figere annum conceptionis & nativitatis Christi in anno, Æræ suæ Mundanæ, 5507°.

Hoc non tantum certissima consequentia deducitur ex eo, quod Auctor annum conceptionis Joh. Bapt. fixerit in anno Mundi 5506°, idque tam operose probaverit, & ad illud probandum tam singularem methodum ad inveniendam ætatem Lunæ in die Sept. 1° excogitaverit, & ejus methodi ope, atque eum in finem, per singulos Cycli decemn. annos, totidem annis Mundi illigatos, ætatem Lunæ & Feriam in die Sept. 1° computatam in Schemate ibidem exhibuerit.

Sed etiam extra dubium constituitur per tot characteres, & criteria, quibus ille annus in Chronico insignitur, & distinguitur. Confer §um 75 & 100.

Characteres hi hoc ordine occurrunt.

P. 196. *Numeremus itaque dies a conceptione Elisabeth, usque ad annunciationem S. semper Virginis & Dei genitricis Mariæ, qua conceptus est Agnus Dei, secundum typici agni conceptionem, invenimus sextum mensem Elisabeth, a quo concepit, tunc impleri.* Ubi statim numerationem sic instituit.

in Septemb.	*dies*	7	nempe a 24° — 30um
Octobris	*dies*	31	
Novembris	*dies*	30	
Decembris	*dies*	31	
Januarii	*dies*	31	
Februarii	*dies*	28	
in Martio	*dies*	25	

Incipit itaque numeratio a die Sept. 24°, anni M. 5506ti, in quo Elisabeth concepit, & desinit in die Martii 25°, sequentis anni Mundi 5507mi, in quo annunciatio Mariæ & conceptio Christi facta est.

Hoc mense (Martio scilicet) *XVIII* (lege *XXVIII*, *κη'* loco *ιη'*, ut etiam Holstenius legendum judicat) *Feria Va, profecta sancta Deipara in montana ad Elisabeth & salutavit eam.* Hæc videntur mihi esse glossema, ab aliena manu, alieno loco insertum; nam hic filum orationis abrumpunt; & Auctor in sequentibus p. 199, suo loco, de hac profectione Mariæ agit, & diem, quo ex Nazareth abiit, non in diem 28, sed in diem 26 Martii, quæ est Feria IIIa, conjicit.

P. 198.

P. 198. Sic pergit, 25° (die) igitur *Dystri* (Martii) *mensis completur semestre tempus* (ὁ ἑξαμηναῖος χρόνος) *conceptionis Elisabeth: propterea etiam Euangelista dicit, mense autem sexto* &c.

Et post hæc verba Lucæ allegata, in *hoc igitur die*, 25°, *inquam, secundum Romanos Martii mensis, Ecclesia, ex Sanctorum Doctorum traditione, annuntiationem Mariæ celebrat.*

Deinde sic pergit: *Sexto igitur mense Elisabeth completo*, (*ut supra dictum*,) 25° *secundum Rom. Martii mensis, & in eo* (die scilicet 25°) *incipiente ejus* (pro αὐτῇ lego αὐτῆς, vel si retineatur αὐτῇ, verterem, & in eo ipso, die scilicet 25°) *septimo mense, concepit in utero secundum carnem æternum &* ὁμοούσιον *Patri & Spiritui Sancto, unigenitum Filium, & Verbum, Christum verum Deum nostrum, Sanctissima, & intemerata, benedicta, semper Virgo, & Deipara Maria. Et statim incepit in utero ejus, secundum hypostasin unio &c.*

P. 199. *His prædictis Consulibus Lentulo & Pisone*; 25° *Dystri mensis, secundum Ægyptios vero Adar* 30°, (legendum Phamenoth 29°,) *a. d. VIII Kalendarum Aprilium. Anno* 5507 *Creationis Mundi. Primo mense Lunari Adar*, (*NB.* mensem Lunarem Adar etiam p. 196 comparat cum Martio.) *decima* (die seu Lunâ) *mensis, uti prænuntiaverat, per sumptionem & servationem agni, suam secundum carnem conceptionem Dominus, & Dominator omnium, Christus verus Deus noster, ita & implevit, ipse in omnibus perfectus, & omnis Creaturæ perfectus artifex, in perfecto numero conceptionis.* Conceptus ergo Christus anno M 5507, Martii 25° die, mensis Paschalis die seu Luna X^a^, in qua agnus typicus sumebatur & servabatur, quam sumptionem agni Paschalis, ut servaretur ab illo die X°, p. 196. vocaverat *conceptionem agni typici.*

Et rursus (sic pergit) *quemadmodum adumbraverat in Arca* (hoc est, per Arcam) *intemeratam & inculpatam, & sanctissimam suam carnem, & introduxit eam* (Arcam) *in terram promissionis, sic hoc mense* (τῷ αὐτῷ μηνὶ) *in hoc die* (ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ) *mensis, Feria secunda, ad vocem Angeli, dicentis ad B. Virginem, Spiritus S. superveniet in te &c., in quä creationis die secunda cœlos fecit, Christus Deus noster in eâ* (die) *invenitur* ἐνσαρκωθεὶς, *& perfecte* ἐνανθρωπήσας, *&c.* Ergo conceptio Christi incidit anno Mundi 5507°, die Martii 25°, Luna Paschali X^a^, Feria II^da^.

Invenimus vero (sic pergit) *decimam primi mensis Lunæ, in qua præcepit Dominus omnium accipere agnum & servare, concurrentem hoc præsenti* 5507° *anno, in* 25^um^ (*diem*) *Martii mensis.*

Est enim hoc præsenti 5507° *anno, Enneadecaëteridis annus* 16^us^, *&*

 habet

habet adscriptas Epactas XV: Quod ex Schemate p. 197, ad oculum patet.

His Epactis	15
addimus anteluminares	13
—— *antelunares*	7
& a Mart. 21 inclusive	5
fiunt	40
abjectis	30
remanent	10

Et cognoscimus, quemadmodum decima primi mensis secundum Lunam reperta sit hoc præsenti anno, 25° die, secundum Rom. Martii mensis.

Surgens autem Maria in diebus illis, & veniens ex Nazareth &c. γ″ (*per triduum, die scilicet Mart. 26, 27, & 28,*) *& peragens* (vel celebrans, aut cum celebrasset) *Pascha in Jerusalem* (die Mart. 29) *& VII azymorum dies* (a Mart. 30 — April. 5) *profecta est* (die Apr. 6) *in montana cum festinatione ad civitatem Judæ, quæ distabat milliaribus XII, & ingressa est domum Zachariæ, & salutavit Elisabetham*, &c.

P. 200. *Mansit autem Maria cum illa quasi menses tres, & reversa est in domum suam.*

Elisabethæ autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium &c.

P. 201. *Deinde volentes scire etiam quoto* (*die*) *mensis natus sit Præcursor, deprehendimus quemadmodum novem mensium Solare tempus conceptionis Elisabeth compleri in 24ᵘᵐ* (*diem*) *Junii mensis.*

Porro scire volentes etiam Feriam, in quâ natus est.

Ponimus (annos)	5507	
dempto	1	
adeoque	5506	
his addimus 4ᵃᵐ partem	1376	
fiunt	6882	
hos divide per VII /		
relinquitur	1	*Epacta Solis**
huic addimus	30	*dies Aprilis*
	31	*dies Maji*
	24	*dies Junii*
fiunt	86	
divide per VII /		
relinquitur	2	*Feria in die Junii 24°.*

* Quod etiam ex Schemate p. 197, ad oculum patet.

NB. Propter compendium calculi, non addit dies 3 anteluminares, a Mart. 18-20. Neque dies illos 11, a Mart. 21° usque ad Mart. 31. Quia præcise 14 dies, hoc est, duas septimanas faciunt.

Cognosci-

Cognoſcimus quemadmodum in ſecundo ſeptimanæ die, hoc præſenti anno, præcurſor natus ſit, in quo die creavit Deus firmamentum in medio aquarum.

P. 202. *His diebus exiit edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur &c.* Ubi nativitas Chriſti Bethlehemi narratur.

Deinde ſcire volentes etiam Feriam, qua natus eſt Chriſtus verus Deus noſter,

Ponimus, hoc præſenti anno, 1 *Epactam Solis, & illi addentes ab initio primi menſis dies.* Hic eodem compendio calculi utitur, ac ſupra

Aprilis	30
Maji	31
Junii	30
Julii	31
Auguſti	31
Septembris	30
Octobris	31
Novembris	30
Decembris	25
fiunt	270
hos divide per VII	
relinquitur	4

Cognoſcimus igitur, quod eo die, quo creavit luminaria (hoc eſt, Feria IV[a] *) natus ſit Chriſtus verus Deus noſter, utpote qui ſit Sol juſtitiæ.*

P. 203. *Primo (die) Januarii menſis, Feria IV*[a] *, quando impleti ſunt dies VIII,* (a præcedentis Decemb. die 25° incluſive numerati) *venerunt circumcidere puerum, & vocatum eſt nomen ejus Jeſus* &c.

Deinde poſtea quum impleti eſſent dies purificationis ejus, ſecundum Legem datam ab ipſo per Moſem (Levit. 12.) *duxerunt eum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in Lege Domini, quod omne maſculum &c. Et cum inducerent parentes puerum Jeſum in templum, accepit eum Symeon in ulnas ſuas, & benedixit Deum,* &c.

P. 205. *Deinde ſcire volentes in quota ſeptimanæ die, hoc præſenti* 5507° *anno* (qui a die Martii 21° initium ſumſit, & ſequentem menſem Februarium adhuc in ſe comprehendit) *incidit ſecundus (dies) Februarii menſis* (qui eſt 33[us] a circumciſione, & 40[us] a nativitate Chriſti)

 Ponimus

Ponimus illam 1 *Epactam Solis*
& huic adjungimus dies a 1° *Apr. usque ad* 2^um^ *Febr. mensis, hoc est,*

Aprilis	30
Maji	31
Junii	30
Julii	31
Augusti	31
Septembris	30
Octobris	31
Novembris	30
Decembris	31
Januarii	31
Februarii	2
fiunt	309
hos divide per VII	
relinquitur	1

Cognoscimus, quemadmodum in Dominicam incidit, quando Symeon in ulnas accepit Dominum Christum verum Deum nostrum, quo die (Dominica scilicet) *creavit cœlum & terram, & quo die incorruptibilem & vivificam nobis resurrectionem donavit.*

P. 209. *In anno igitur* 5507° *creationis Mundi, ut supra dictum, ...* *natus est secundum carnem Christus verus Deus noster.*

Qui hæc criteria & hos characteres considerat dubitare non poterit, quin Auctor annum nativitatis Christi fixerit in anno M. 5507°; præterquam enim quod Auctor hoc aliquoties expresse dicat, & tot Feriis, & calculis ex methodo sua tam Solari, quam Lunari, clarissime ostendat, nullus annus spatio 532 annorum occurrit, quam annus Mundi 5507^us^, in quo in die Mart. 25°, Luna X^a^ Paschalis, in quo agnus accipitur servandus, & Feria II^da^ concurrunt: ne dicam hunc annum esse Cycli Lunæ 16^um^, & habere Epactas Lunæ XV, Solis I, calculo inventas, & in Cycli decemn. Schemate p. 197 ad annum 5507^um^ adscriptas.

Quod attinet Æram Vulgarem.

Hi characteres etiam quam clarissime determinant annum nativitatis Christi in anno 3° ante Æram Vulgarem.

Quare Auctor hunc annum Mundi 5507 elegerit præ anno 5506.

De eo ago, infra §° 166.

CIX. *Quot*

CIX.

Quot annos & dies vitæ Auctor Christo tribuat.

Hoc colligitur clare ex duobus locis.

Primus occurrit p. 209, ubi expresse dicit, *quod Christus baptisatus sit, postquam complevisset* ἔτων ἀριθμον τριάκοντα, ἐν τῇ τρισκαιδεκάτῃ ἡμέρᾳ τȣ τριακόςȣ πρώτȣ ἔτȣς αὐτȣ̃, *die Januarii* 6^to^.

Alter locus occurrit p. 221, ubi hæc leguntur: *Tribus ergo Paschatibus, postquam Dominus baptizatus esset, celebratis, & in quarto anno Paschali Festo pro nobis crucifixo Domino,* (die Mart. 23) *ostenditur clare, quod tres integros annos salutarem docuit prædicationem, & dies LXXVI, quosdam quidem eorum ante primum Pascha anni* 15^ti^ *Imperii Tiberii Cæsaris, quosdam vero ante præsentis anni* 5540^mi^ *salutare Pascha.* **

Ad annos	30	& dies	13
adde annos	3	& dies	76
habebis annos	33	& dies	89

Quot etiam Maximus Christo tribuere videtur in Computo suo Paschali, Parte I^a^ Cap. 32 & 34.

** Confer p. 217, ubi hæc habentur: *Jesus Christus Dei filius, cum tribus annis, & LXXVI diebus, post baptismum salutaria & cœlestia* μαθήματα *tradidisset . . . ad passionem transiit.*

** Confer quoque p. 225. B. *Mansit autem Christus nobiscum in Mundo annos* 33, *& menses* 3, *anno vero* 34° *comprehensus & in crucem actus est.*

CX.

De conciliatione annorum & dierum vitæ Christi, cum anno nativitatis & mortis Christi.

Hæc duo conciliari non possunt, nam ab anno Mundi 5507, in quo figitur nativitas Christi in die Dec. 25°, usque ad annum Mundi 5540^um^, in quo figitur crucifixio & mors Christi in die Martii 23°, habes tantum annos 32 integros, & dies 89, a die nativitatis, usque ad diem mortis.

Deficit

Deficit itaque annus 1 integer.

Neque propterea vel annus nativitatis, vel annus mortis Christi loco suo in Æra Auctoris Mundana moveri debet, aut potest.

Sed hic error Auctoris agnoscendus est, vel potius insufficientia ejus Computi ad hos annos nativitatis scilicet & mortis suo loco figendos, & simul ita figendos, ut justum interstitium relinquant pro annis & diebus vitæ Christi, quos historia Euangelica requirit.

Annum nativitatis & mortis Christi ex methodo sua, & consequenter principiis suis, aliter figere non poterat, justum tempus vitæ Christi tamen juxta Euangelicam historiam, & receptam tum traditionem retinere voluit, ut potuit.

Pugnam inter utrumque vel non animadvertit, vel potius dissimulavit.

Eundem errorem (ut videtur) erravit quoque Maximus in Computo suo, Parte 1ª, Cap. 32 & 34.

C X I.

De ordinatione anni Baptismi Christi.

Ex anno nativitatis & mortis Christi fixo & determinato, maxima difficultas Auctori oriebatur circa ordinationem anni baptismi Christi.

Euangelica historia tradit Christum baptisatum esse & ministerium suum incepisse, *quum esset annorum quasi* (ὡσεὶ) *triginta.*

Ecclesia Græca celebrabat tunc temporis Festum Baptismi Christi (quod vocabatur, τὰ ἅγια φῶτα, ἤγουν Ἐπιφάνεια τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, in die Januarii 6°. Ut Auctor dicit p. 209. c.

Hinc sequebatur Christum baptisatum esse anno trigesimo jam completo, & trigesimo primo jam per aliquot dies currente. Nam qui die Dec. 25° incipit annum ætatis trigesimum, is sequentis Januarii die 6°, non potest dici ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, cum habeat tantum annos 29, & dies 13.

Character itaque anni baptismi Christi requirit, ut Christus baptizatus sit postquam complesset annum ætatis 30um, in die 13° anni ejus 31mi, die Januarii 6°. Id Auctor agnoscit, & expresse statuit, p. 209. ut §° 109 vidimus.

Hic character ducebat Auctorem, qui nativitatem Christi fixerat in anno

anno Mundi 5507°, ad annum Mundi 5537^{um} exeuntem: anni enim Auctoris Mundani incipiunt a die Martii 21°, & desinunt in die 20° Martii, sequentis anni Juliani. Nam

anno Mundi 5507° Dec. 25, est dies 1^{us}, vitæ Christi
adde integros annos 30 annos 30 integros
anno Mundi 5537° Dec. 25, est dies 1^{us}, anni 31^{mi} Christi
adeoque additis adhuc 12 diebus, erit
anno Mundi 5537° Jan. 6, dies 13^{us}, anni 31^{mi} Christi
ab 21 Martii incipiente.

Ab altera parte Euangelica historia, & receptior in Ecclesia sententia, tribuebat Christo post baptismum tres annos prædicationis integros, & tria Paschata intermedia inter ejus baptismum, & ejus Pascha emortuale. Auctor id agnoscit, expresse statuit, & operose ostendit, ac variis argumentis probare conatur.

P. 215. Expresse dicit: *Post baptismum insumpsit Dominus in curationes vel sanationes alios annos tres, conversatus cum discipulis suis: atque hæc de eo declarat Lucas, dicens* (C. 13: 32) *quod Dominus dixerit propter Herodem, Euntes dicite vulpi illi, Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor. Per hæc tres annos indicans: quod autem dicit, hodie, ostendit, quod primo anno suarum sanationum, hæc renunciavit Herodi. Idipsum etiam Euangelista Joh. ostendit, dum a Paschate tres annos & ipse in sanationibus ejus (statuit.)*

P. 210. & seq. Auctor fuse & distincte tria Paschata, a Christo cum discipulis suis, ante Pascha emortuale, post baptismum, celebrata, recenset, & ab Euangelista Joh. indicata esse ostendit: Eaque Paschata expresse numerat primum, secundum, & tertium Pascha post baptismum. Et de primo Paschate acturus, p. 210 hæc præmittit: *Postquam autem est baptisatus, ductus est a Spiritu in desertum, ut tentaretur a Diabolo, uti sacra narrant Euangelia; & cum jejunasset dies XL, & XL noctes, & tentatus fuisset a Diabolo, illo devicto venit in Galilæam prædicans Euangelium regni, vocatisque discipulis credentibus, & prædicationem pietatis recipientibus, ascendit cum iis Hierosolyma, ut Legale Pascha celebraret.* Deinde sequitur Computus istius Paschatis: & denique p. 212. D. ita concludit, *Primum ergo Pascha Legale cum discipulis suis postquam baptisatus est, celebravit Dominus, &c.*

P. 221. Ait (eadem dixerat p. 217. D. Confer §um 109. item p. 225. B.) *Tribus ergo Paschatibus, postquam Dominus baptisatus esset, celebratis, & in quarto anno, ipso Paschatis Festo, pro nobis crucifixo Domino, ostenditur clare, quod tres annos integros salutarem prædicationem peregit, & dies 76, quosdam quidem eorum ante primum Pascha, 15° anno Imperii Tiberii Cæsaris, quosdam vero ante salutare Pascha* (emortuale) *hoc præsenti anno 5540° factum.* Quod autem Dominus, postquam tres annos Euangelium prædicasset, crucem ascenderit, probat ex Ignatio, aliisque testimoniis, & argumentis, p. 221, 22.

Character itaque anni baptismi Christi requirit, ut Christus post baptismum vixerit, & prædicaverit, usque ad mortem, annos 3 integros, & dies 76.

Hic character ducebat Auctorem, qui crucifixionem & mortem Christi fixerat in initio anni Mundi 5540° die Martii 23°, ad annum Mundi 5536um exeuntem, & ejus anni diem Jan. 6um. Anni enim Mundani Auctoris incipiunt ab 21 Martii. Nam

Christus in die mortis	prædicaverat post baptismum
anno M. 5540°, Mart. 23°,	annos 3 & dies 76
aufer annos 3 integros,	annos 3 integros
restabant anno M. 5537°, Mart. 23°,	adhuc dies 76 prædicationis

Numera a die Martii 23°, retro dies 76, & pervenies ad diem Jan. 6um anni Mundi 5536ti exeuntis, inveniesque diem baptismi in fine anni M. 5536ti, ab 21 Martii incipientis, die Jan. 6°.

Hic Auctori aquâ hærebat: ut tamen utcunque poterat, quodammodo se extricaret, & ne cogeretur defectum suæ methodi Paschalis agnoscere, difficultatem dissimulat: & ut videretur utrique characteri anni baptismi Christi satisfacere, in relatione ad annum mortis Christi ejus, baptismum retrudit ad annum Mundi 5536um, & sic invenit a baptismo ad mortem Christi annos 3 integros, & dies 76: in relatione vero ad annum nativitatis Christi, ejus baptismum protrudit ad annum Mundi 5537um, & sic invenit a nativitate ad baptismum Christi annos 30 integros, & dies 13. Atque hoc modo revera duplici anno in Æra sua Mundana, baptismum Christi illigat, anno nempe Mundi 5536° & 5537°. Præcipue tamen anno Mundi 5536°, quia annum mortis fixum retinere ipsi præcipuum & capitale erat.

Utrumque quam clarissime ex ipso Auctore probari potest.

1°, *Quod*

1°, *Quod Auctor baptismum Christi illiget anno Mundi 5536°.*

Hoc patet ex variis argumentis:

a. Auctor semper annum baptismi Christi vocat annum Mundi 5536um. Ita inquit p. 209. D. *Hoc enim præsenti 5536° anno creationis Mundi, mensis Audinei* (Januarii) *die 6°, factum est verbum Dei super Job. &c. & ipse Jesus Christus cum complesset annum trigesimum, venit a Galilæa ad Jordanem ad Johannem, & baptisatus est ab illo.* Et iterum p. 209. D. *Hoc autem præsenti 5536° anno baptisatus est*, &c.

b. Præterea p. 210. D. Auctor dicit Christum post baptismum, in die Jan. 6 peractum, in deserto tentatum esse a Diabolo per 40 dies, & tentatore devicto abiisse in Galilæam, discipulos collegisse, & cum iis ascendisse Hierosolymam, ut Pascha Legale celebraret, quod incidit in diem Martii 27um, anni Mundi 5537mi, a die Martii 21° incipientis: quod supponit baptismum incidisse in diem præcedentis Januarii 6um, anni Mundi 5536ti in die Martii 20° desinentis.

2°, *Quod Auctor baptismum Christi illiget anno Mundi 5537°.*

Hoc quidem nunquam expresse dicit; sed tamen re ipsa ostendit.

α. Per Computum Solarem ad inveniendam Feriam, in quam incidit dies Januarii 6us, quo Christus baptisatus est. Nam ad illam Feriam inveniendam p. 210, sumit annos 5536, non 5535, ut ex perpetua methodo deberet, si quæreret Feriam in anno 5536, unde patet eum revera quærere Feriam in anno 5537: & invenit Epactas Solis IV, quas non annus M. 5536, sed 5537 habet: & porro invenit Feriam Vam in die Jan. 6°, qualis Feria, spatio aliquot annorum, in illo die non reperitur nisi in fine anni Mundi 5537mi, ab 21 Martii incipientis. Confer §um 76. Neque dici potest vitium typographicum in numero Feriæ reperiri, cum ipse calculus hanc Feriam prodat, & Auctor, peracto calculo, sic concludat: *Cognoscimus ergo, quemadmodum in quinta septimanæ die baptisatus sit Christus verus Deus noster in Jordane fluvio, in qua quinta die in initio creationis Mundi, ipse omnium Dominus & opifex præcepit aquas educere reptilia animalia* &c.

β. Per Synchronismum Jubilæorum. dicit enim p. 209. B. Christum baptisatum τῆς κληρονομίας τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ αψʹ (1700) συμπληρουμένων Ἰωβηλαίων λδʹ. Et adhuc distinctius p. 209. D. Christus baptisatus est κατὰ τὸ πεντακοστὸν ἔτος τῆς τεσσαρακοστοτετάρτης πεντηκονταετηρίδος, ἀπὸ τῆς κληροδοσίας

σίας τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ. καὶ τὴν πεντηκονταετηρίδα μετὰ τὸ εἰσελθεῖν εἰς τὴν γῆν ἐπαγγελίας τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ, *remissionem fieri divina jussit Lex quam* (πεντηκονταετηρίδα) *cœperunt numerare ab octogesimo primo anno Mosis, post exactos nempe* 430 *annos promissionis a Deo factæ Abrahamo, anno ejus septuagesimo quinto.* Nam

anno M. 3408^us^,	Abrah. 75^us^,	promiss. 1^us^	
adde annos 429		annos 429	
anno M. 3837^us^,	Mosis 80^us^,	promiss. 430^us^	
	ergo		κληρονομ.
anno M. 3838^us^,	Mosis 81^us^,	Jubilæi 1^mi^, annus 1^us^,	annus 1^us^
adde annos 1699,	seu integros Jubilæi 33, & annos 49,		annos 1699
anno M. 5537^us^		Jubilæi 34^ti^, annus 50^us^,	annus 1700^us^

3°, *Quod Auctor tamen præcipue baptismum Christi illiget anno Mundi* 5536°.

Hoc inde concludo, quod Auctor aperte, & iteratis vicibus expresse dicat Christum baptisatum anno Mundi 5536°, & non nisi occulte & indirecte baptismum Christi illiget anno Mundi 5537°.

CXII.

Recapitulatio annorum Christi quæ occurrit p. 224.

Catholica (inquit) *generatio Domini nostri Jesu Christi veri Dei hæc est.*

Natus est Choiac 25, hora VII diei.

Baptisatus est Tybe II, hora X noctis.

Mansit autem Christus nobiscum in Mundo sanans omnem morbum, & omnem languorem, annos XXXIII, & menses III.

In 34° autem anno comprehensus, & crucifixus Phamenoth 29, Luna XIV^a^, cum esset Parasceve.

Resurrexit autem ἐν τελημέρῳ *Pharmuthi I, Dominicâ, Luna XVI^a^, hora IX noctis.*

Assumptus in cœlum, Paschon 10, hora IX diei.

Hæc

Hæc mihi videntur ab aliena manu esse inserta, & aliunde excerpta, quia Solis Ægyptiorum mensibus designantur, & a sententia Auctoris nimis dissentire videntur.

Quæ tamen nunc ulterius examinare non vacat.

CXIII.

De connexione annorum vitæ Christi cum annis Augusti & Tiberii.

In hac connexione annorum vitæ Christi cum annis Augusti & Tiberii videtur Auctor se quam maxime confundere, & Canoni suo Chronologico contradicere, atque ἀσύςατα statuere.

Fateor Auctorem certo sensu ἀσύςατα, & Canoni suo Chronologico contraria statuere, sed tamen, meo judicio, se non confudit, sed quicquid hac in re fecit, id studio fecit, ut videretur Christo tot annos, & dies vitæ ante & post baptismum dare, quot historia Euangelica & recepta traditio illi tribuebat, & tamen annum nativitatis & mortis Christi, anno M. 5507° & 5540° fixum, retineret, ne cogeretur defectum Computi sui Paschalis agnoscere.

Ex iis, quæ, §° 111, de ordinatione anni baptismi Christi diximus, hæc clara sunt, & fons atque origo totius rei patet.

Annus conceptionis & nativitatis Christi ex principiis Computi Paschalis fixus erat in anno Mundi 5507°, annus crucifixionis & mortis Christi ex iisdem principiis fixus erat in anno Mundi 5540°, & neuter loco suo in Æra Auctoris Mundana moveri poterat, quin tota ejus ratio Paschalis vacillaret, imo everteretur.

Juxta Canonem Auctoris Chronologicum, in quo ejus Æra Mundana per annos Regum & Imperatorum constituitur, annus Mundi 5507, adeoque annus conceptionis & nativitatis Christi, concurrit cum anno Imperii Augusti Cæsaris 42°, & monarchias ejus 30°; & annus Mundi 5540, adeoque crucifixio & mors Christi, concurrebat cum anno Imperii Tiberii 19°. Vide §um 71.

Auctor etiam utrumque agnoscit:

Annum nativitatis Christi enim cum anno Augusti 42° clare connectit p. 189. D. (Confer §. 139) *Romanis* (inquit) *secundus imperavit Cæsar*

Augustus, qui & Octavius, annis LVI, mensibus VI, XII quidem usque ad mortem Cleopatræ, XXX autem aliis, post illius mortem, solus imperans, (μοναρχήσας,) *tenens etiam Ægyptum, in quibus natus est secundum carnem Dominus noster Jesus Christus, in Bethlehem Judææ; reliquis autem XIV post ea:* καθὼς ἐνταῦθα φέρεται. *Colliguntur anni 5521.* Aufer ab hac summa 5521, annos illos XIV, quos post annum nativitatis Christi imperavit, invenies, annum Mundi 5507, concurrentem cum anno Imperii Augusti Cæsaris 42°, monarchias ejus 30°, & in eo anno nativitatem Christi. Quanquam videas Auctorem caute loqui, ΕΝ ΟΙΣ ΕΤΕΧΘΗ, quia aliquid in animo habebat, quod prodere nolebat. Alia argumenta nunc transeo.

Annum mortis Christi quod attinet, Auctor p. 217. D. expresse dicit: *Jesus Christus ad Passionem transiit, anno Imperii Tiberii Cæsaris 19°, initium sumente a die Martii 21°.* Quod repetit p. 221, B. (Confer p. 374. D. & p. 164. B.) connectens ibi annum Mundi 5540^{um}, cum anno Imperii Tiberii Cæsaris 19°, initium sumente a die Mart. 21°.

Sed difficultas Auctori oriebatur ex characteribus anni baptismi Christi, quibus satisfacere ex instituto debebat.

Duos characteres vidimus §° 111, quorum

Primus erat, quod baptismus Christi incidere debebat die Januarii 6°, anno vitæ Christi 31°, ejusque die 13°, adeoque annis 30, & diebus 13, post ejus nativitatem anno Mundi 5507°, in die Dec. 25°.

Alter erat, quod baptismus Christi incidere debebat annis 3 integris, & præterea diebus 76, ante ejus mortem quæ fixa erat in anno Mundi 5540°, die Martii 23°.

His nunc accedebat, ex historia Euangelica character

Tertius, quod baptismus Christi cadere debebat in anno Imperii Tiberii Cæsaris 15°.

His characteribus revera satisfacere non poterat: ut tamen videretur iis satisfacere, simili artificio utitur, quo usus erat in ordinatione anni baptismi in Æra sua Mundana, quod vidimus §° 111. Ibi annum baptismi duplici anno in Æra sua Mundana alligaverat, nempe in relatione ad annum nativitatis Christi, ejus baptismum illigaverat anno Mundi 5537°, & in relatione ad annum mortis Christi, ejus baptismum alligaverat anno Mundi 5536°. Consequenter hoc artificio, etiam annum Imperii Tiberii Cæsaris 15^{um} dupliciter & diversimode cum Æra sua Mundana, & baptismo Christi connectit: nempe in relatione ad annum nativitatis Christi, annum Tiberii 15^{um} protrudit ad annum Mundi

5537^{um}

5537^{um} exeuntem, & annum nativitatis Chriſti illigatum anno Mundi 5507^{o} retrudit ad annum Imperii Auguſti 40^{um}, & baptiſmum Chriſti cadere facit in annum Tiberii 15^{um} ineuntem: In relatione vero ad annum mortis Chriſti, annum Tiberii 15^{um} retrudit ad annum Mundi 5536^{um}, & annum mortis Chriſti illigatum anno Mundi 5540^{o} protrudit ad annum Tiberii 19^{um}, & baptiſmum Chriſti cadere facit in annum Tiberii 15^{um} exeuntem.

Hæc ex ſequentibus Schematibus clarius ad oculum patebunt.

	Monarch.	Imp.	Mundi		
Auguſti	27	39	5506, a Mart.	concipitur Joh. Bapt Sept. 24.	
	28	40	5507 . . .	1^{us} annus vitæ Chri. a Dec. 25.	
	29	41	5508 . . .	2^{us}	
	30	42	5509 . . .	3^{us}	
	31	43	5510 . . .	4^{us}	
	41	53	5520 . . .	14^{us}	
	42	54	5521 . . .	15^{us}	
	43	55	5522 . . .	16^{us}	
	44	56	5523 . . .	17^{us}	
Tiberii		1	5524 . . .	18^{us}	
		2	5525 . . .	19^{us}	
		12	5535 . . .	29^{us}	
		13	5536 . . .	30^{us}	
		14	5537 . . .	31^{us}	incipiens die Dec. 25.
ineunte		15^{o},	5537^{o} currente,	31^{mi}	die 13^{o} baptiſatus Chriſtus in die Jan. 6^{o}, Fer. V^{a}.

NB. In hoc Schemate, annus Tiberii 15^{us}, ut videtur, concipitur initium ſumere, non a Martii die 21^{o}, ſed a Januario cum initio anni Juliani civilis vel a præcedente Auguſto menſe, quia Auguſtus Cæſar in eo menſe mortuus & Tiberius Imperium iniit.

Potuiſſet, ut videtur, Auctor commodius annum nativitatis Chriſti, illigatum anno M. 5507^{o}, retrudere tantum ad annum Imperii Auguſti Cæſaris 41^{um}, monarchias ejus 29^{um}, & baptiſmum ponere in anno Tiberii Cæſaris 15^{o}, cum anno M. 5537^{o}, incipiente a Mart. 21^{o}, & exeunte in die Mart. 20. Et cur non fecerit, nondum percipio.

Sequi-

Sequitur nunc alterum Schema.

anno Imperii Tiberii	anno Mundi	vitæ Christi
15° a Martio.	5536 a Mart.	31us incipit Dec. 25.
15° exeunte.	5536 exeunte.	31° baptizatur Jan. 6.
16°	5537	32us incipit Dec. 25.
17°	5538	33us incipit Dec. 25.
18°	5539	34us incipit Dec. 25.
19° ineunte.	5540 ineunte.	34° currente, Christus moritur die Mart. 23.

NB. In hoc Schemate anni Imperii Tiberii Cæsaris concipiuntur, una cum annis Mundi, initium sumere a die Martii 21°.

Præterea observandum, quod hi anni Tiberii cum his annis Mundi connectantur juxta Canonem Auctoris Chronologicum.

Quod 1um *Schema attinet.*

Auctorem annum nativitatis Christi, alligatum anno M. 5507°, adeoque revera concurrentem cum anno Augusti 42°, retrudere ad annum Augusti 40um, patet

1°, Ex iis, quæ Auctor dicit de anno conceptionis Joh. Bapt., qui annum conceptionis & nativitatis Christi immediate præcedit; ita enim loquitur p. 194. C. *Hoc anno 5506° Mundi conditi, post expletum monarchias Augusti Cæsaris annum 26tum & menses 6. hoc est, 39° anno Imperii ipsius, &c.*

2°, Quia ad sequentem Augusti annum, qui erat monarchias ejus 28us, & Imperii ipsius 40us, annotat annum conceptionis & nativitatis Christi, quem aliquoties expresse vocat annum Mundi 5507. Vide p. 196 & seq.

3°, Quia p. 209. c. agens de baptismo Christi, expresse dicit, *Anno igitur Mundi conditi*, 5507, *uti supra expositum est, & quadragesimo Imperii Augusti Cæsaris, seu vigesimo octavo Monarchiæ ejus, natus est secundum carnem Christus verus Deus noster. Hoc autem præsenti anno 5536° baptisatus est*, &c.

Hinc tamen concludendum non est, annum conceptionis & nativitatis Christi ab anno Mundi 5507 retrahendum esse ad annum Mundi 5505, (&

(& consequenter annum mortis Christi retrahendum esse ab anno 5540 ad annum 5539) ut annus nativitatis Christi alligari possit ad annum Imperii Augusti 40^{um}, sed tota illa retrusio anni conceptionis & nativitatis Christi, cum anno M. 5507^{o} illi connexo, ad annum Imperii Augusti Cæsaris 40^{um}, pro simplici artificio habendum est. Quod patet:

a. Quia alias tota ejus Paschalis ratio, & totus scopus totius operis everteretur.

b. Quia in loco modo citato p. 209. c. uno eodemque halitu nativitatem Christi cum anno M. 5507^{o} illi connexo, alligat anno Imperii Augusti Cæsaris 40^{o}, & baptismum Christi cum anno Mundi 5536^{o} connectit, & ad annum Tiberii 15^{um} alligat: quod simul consistere non potest, ut ex Schemate patet.

c. Quia Schema prius ultra annum Tiberii 15^{um} non progreditur, & ad annum mortis Christi continuari non potest, quin annus mortis Christi protrudatur ad annum M. 5541, & Tiberii 18^{um}, cum Auctor tamen expressis verbis annum mortis Christi connectat cum anno Mundi 5540, & Tiberii 19^{o}.

Quod 2^{dum} *Schema attinet.*

Auctorem annum crucifixionis & mortis Christi, alligatum anno Mundi 5540^{o} protrudere ad annum Tiberii 19^{um}, cum quo, juxta ejus Canonem Chronologicum, revera concurrere debebat: atque eum in finem annum Tiberii 15^{um} retrahere ad annum Mundi 5536^{um}; patet

1^{o}, Quia annum baptismi, cum anno 15^{o} Tiberii illi connexo; p. 209, B & C. expresse bis vocat annum præsentem Mundi 5536^{um}.

2^{o}, Quia baptismum Christi cadere facit in fine anni Mundi 5536^{ti}, & in fine anni Imperii Tiberii 15^{ti}, in die Januarii 6^{o}, concipiens annum Mundi 5536^{um} & Tiberii 15^{um} desinere in sequentis Martii die 20^{o}, & annum Mundi 5537^{um}, ac Tiberii 15^{um} initium sumere ab ejusdem Martii die 21^{o}, sub iisdem Consulibus, quia in illo mense Januario (in quo Christus baptisatus erat) consulatum inierant. Unde p. 210. D. agens de primo post baptismum Paschate, & illud sub eodem consulatu collocans, expresse dicit illud cadere in sequentis Martii die 28, & in anno Mundi 5537^{o}, ἀρχὴν εἰληφότι ἀπὸ κα' Μαρτίου μηνός. Quo ostendit annum Mundi 5536^{um} desinere in die Mart. 20^{o}, & no-

vum annum Mundi 5537^{um} incipere in die ejusdem Martii 21° currente eodem consulatu, qui ad annum Tiberii XV^{um} p. 208 annotatur. Non dicit quidem ibidem una cum anno Mundi 5536° finire annum Tiberii 15^{um}, & cum novo anno M. 5537° incipere novum annum Tiberii 16^{um} a die Martii 21°, qui baptismum Christi in die 6° præcedentis mensis Januarii sequitur. Sed convenienter ejus Canoni Chronologico res ita concipitur, ut anni Imperatorum, quatenus Æram Auctoris Mundanam constituunt, cum annis Mundi concurrant, & idem initium, & eundem finem habeant. Præterea Auctor in uno & altero exemplo clare docet, annos Tiberii ab anno baptismi Christi usque ad annum mortis Christi, & ultra ita concipiendos esse, ut annus Tiberii, qui cum consulatu adjuncto annotatur, desinat in die Martii 20°, & novus annus sub eodem consulatu initium sumat, in die ejusdem Martii 21°, una cum novo initio anni Mundi. Sic p. 217. C. primo proponitur *annus Imperii Tiberii XVIII, Persico & Vitellio Coss.* Deinde immediate subjungitur, *Jesus Christus Dei Filius cum tribus annis & 76 diebus post baptismum discipulis suis salutaria & cœlestia præcepta, editasque de se Prophetias tradidisset, ad Passionem transiit, anno Imperii Tiberii Cæsaris* 19°, ΑΡΧΗΝ ΕΙΛΗΦΟΤΙ ΤΗ ΚΑ″ ΤΟΥ ΜΑΡΤΙΟΥ ΜΗΝΟΣ. Quod deinde repetit p. 221. B. *& ostensum est quemadmodum* (Luna) *XIV^{a} hoc præsenti anno* 5540° *Creationis Mundi & 19° Imperii Tiberii Cæsaris*, ΑΡΧΗΝ ΕΙΛΗΦΟΤΙ ΑΠΟ ΚΑ″ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΡΩΜΑΙΟΥΣ ΜΑΡΤΙΟΥ ΜΗΝΟΣ, *Indict. IV^{a}, quo Dominus noster Jesus Christus voluntariam & vivificam sustinuit crucem, inciderit 23° Martii mense, & in die Parasceves.* Item p. 225. C. primo proponitur *annus Imperii Tiberii Cæsaris XIX, Aruntio & Ænobarbo Coss.* Deinde immediate subjungitur, *in anno Imperii Tiberii* 20°, ΑΡΧΗΝ ΕΙΛΗΦΟΤΙ ΑΠΟ ΚΑ″, ΚΑΙ ΑΥΤΗΣ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΡΩΜΑΙΟΥΣ ΜΑΡΤΙΟΥ ΜΗΝΟΣ *Apostoli primum Pascha celebrarunt post Domini in Cœlos adscensionem.* Unde patet annos Tiberii, qui cum consulatu adjuncto annotantur, inde a baptismo Christi & anno Tiberii 15°, cum illo consulatu tantum concurrere a Januario usque ad diem 20^{um} Martii, & a die sequenti 21° Martii novum annum Tiberii, una cum novo anno Mundi sub eodem consulatu incipere. Ratio autem hujus extraordinariæ connexionis annorum Tiberii cum consulatibus ab anno baptismi Christi facile patet, & hæc est, quia in Chronico debebat apparere baptismum Christi peractum in die Januarii 6°, & in fine anni Mundi 5536^{ti} alligari ab Auctore, juxta Euangelium, anno Imperii Tiberii 15°, atque hinc necesse erat,

erat, ut extrema pars anni Tiberii 15[ti] connecteretur cum illo consulatu, quem inierant consules ab illo mense Januario, in cujus die 6[to] Christus baptisatus erat.

3°, Præterea hoc patet ex illa recapitulatione annorum quam Auctor facit p. 214. D. & p. 215.

Ab Adam ad Diluvium sunt anni	2262
A Diluvio ad Exitum ex Ægypto	1575
Ab Exitu ex Ægypto ad ædificationem Templi 1[mi], *seu* 4[um] *Salomonis*	614
A 4° *anno Salomonis ad Cyrum*	480 *menses* 3.
A Cyro usque ad Alexandrum M.	248 *menses* 9.
Ab Alexandro usque ad præsentem XV[um] (*Tiberii*) *annum, & ad initium salutaris prædicationis, quæ cœpta est hoc præsenti anno XV*	356
	5536

Ὁμοῦ ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως τοῦ παρόντος ἔτους πεντεκαιδεκάτου Τιβερίου Καίσαρος, ἤγουν ΑΠΟ (lege, ut res ipsa docet, ΕΠΙ) τῆς εἰκάδος καὶ αὐτῆς τοῦ Μαρτίου μηνὸς, ἔτη ΕΦΛΖ″ πλήρεις. (Lege, ut Scaliger jam observavit, & ex superiori calculo patet ͵εφλϛ″.) *Colliguntur ab Adamo, usque ad præsentem XV*[um] *annum Tiberii Cæsaris, seu ad* (diem) 20[um], *inclusive Martii mensis anni 5536 completi.* Tot revera anni completi sunt, juxta Canonem Chronologicum, ab Adamo usque ad finem anni XV[ti] Tiberii Cæsaris in die Martii 20. Prædicatio Christi initium cepit in Januario, hunc diem Martii 20[um] præcedente, in fine anni Mundi 5536[ti] & in fine anni Tiberii XV[ti].

CXIV.

De origine erroris unius anni in concursu Æræ Mundi, Indiction. & Olympiad. de quo egimus §° 71°.

Origo hujus erroris detegitur ex iis, quæ §° præcedente dicta, oritur enim ex eodem fonte, ex ordinatione nempe anni baptismi Christi, ubi Auctori aqua hærebat.

Atque

Atque hinc patet errorem proprie non esse in Æra Mundana, illa enim recte procedit, sed in Æra Indict. & Olymp.

Patet quoque locum erroris non esse in anno Mundi 5544, sed in anno Mundi 5536, qui cum XV° Tiberii concurrit.

Hæc clarius patebunt ex sequenti Schemate, quam verbis exprimi possunt.

anno Indict. a Sept. præced.	anno Æræ Vulg. a Jan. seq.		anno Imperii Tiberii Cæsaris		anno Æræ Mundanæ	
2	13	Coss. . :	1	a Martio	5522	a Martio
12	23	Coss. . .	11	a Martio	5532	a Martio
13	24	Coss. . .	12	a Martio	5533	a Martio
14	25	Coss. . .	13	a Martio	5534	a Martio
15	26	Coss. . .	14	a Martio	5535	a Martio
∴ ∴	27	∴ ∴	15	a Martio	5536	a Martio
1	28	Coss. . .	15 16	a Januario a Martio	5537	a Martio
2	29	Coss. . .	16 17	a Januario a Martio	5538	a Martio
3	30	Coss. . .	17 18	a Januario a Martio	5539	a Martio
4	31	Coss. . .	18 19	a Januario a Martio	5540	a Martio
5	32	Coss. . . .	19 20	a Januario a Martio	5541	a Martio
6	33	Coss. . . .	20 21	a Januario a Martio	5542	a Martio
7	34	Coss. . . .	21 22	a Januario a Martio	5543	a Martio
8	35	Coss. . . .	22 23	a Januario a Martio	5544	a Martio

Ex hoc Schemate ad oculum videmus,

1°, Annum Æræ Vulgaris Christi 27um, atque annum Mundi 5536tum, & annum Tiberii 15um huic anno Mundi connexum, transiisse in Canone

none Chronologico Auctoris, sine Consulibus, sine Indictione, & etiam sine anno Olympiadico: nam Indictiones & Olympiades hunc annum Tiberii 15^{um}, & annum Mundi illi connexum 5536^{tum} revera transiliunt, & cum sequenti anno Tiberii 16°, & anno Mundi illi connexo 5537°, & sic porro progrediuntur continuata serie, plane ac si ille annus Tiberii 15^{us}, & Mundi 5536^{us} non intercessisset.

Nam licet in Chronico scribatur

Tiberii XV, Ind. I, Rufo & Rubellino Coss.

Quibus Coss. Christus baptisatus in die Januarii 6°.

Hæc tamen Indict. I^a, in Canone Auctoris Chronologico, proprie non est Indictio anni Tiberii 15^{ti} & Mundi 5536^{ti}, sub his consulibus in die sequentis Martii 20° exeuntis, licet currente jam hac Indictione I^a, hi Coss. consulatum inierint, & Christus baptisatus sit in mense Januario, currente adhuc & ad finem vergente anno Tiberii 15°, & Mundi 5536°, sed hæc Indictio I^a in Canone Auctoris Chronologico, proprie est Indictio anni Tiberii 16^{ti}, qui una cum anno Mundi illi connexo 5537°, sub iisdem Coss., initium sumpturus erat a die sequenti Martii 21°, post baptismum Christi in præcedenti Januario peractum.

Idem dicendum est de anno Olympiadico, qui huic anno Tiberii 15°, huic Ind. I^æ, & his Coss. superscribitur.

Hoc patet ex iis, quæ leguntur p. 217. D. *Jesus Christus . . . ad Passionem transiit, Imperii Tiberii anno XIX°, initium sumente die* 21° *Martii mensis*, ΤΗΣ ΕΝΙΣΤΑΜΕΝΗΣ Δ' ΙΝΔΙΚΤΙΩΝΟΣ, hoc est, *hac præsente IV^a Indictione.* Quod repetit p. 221. B. Item p. 225. C. hæc habet, *in XX° anno Imperii Tiberii Cæsaris, qui initium sumsit a* (die) 21° *inclusive, mensis secundum Romanos Martii*, ΤΗΣ ΠΑΡΟΥΣΗΣ ΠΕΜΠΤΗΣ ΙΝΔΙΚΤΙΩΝΟΣ, hoc est, *hac præsenti V^a Indictione.*

Sic etiam p. 219, D. dicit eo tempore, quo Christus passus est, & hoc erat anno Tiberii XIX, a 21° Martii incipiente, Indictione IV^a, *Solem obscuratum esse, juxta Phlegontis testimonium, anno* 4^{to} *Olympiadis CCII^{dæ}.*

In Canone itaque Auctoris Chronologico talis concursus Ærarum reperitur.

Olymp.	annus Indiction. a præced. Septemb.		annus Tiberii a sequenti Martio	annus Mundi ab eodem Martio	annus Æræ Vulg. a præc. Januario
198ª, 3us	IIda	Coss.	1us	5522	13
201ª, 1us	XIIa	Coss.	11us	5532	23
—— 2us	XIIIa	Coss.	12us	5533	24
—— 3us	XIVª	Coss.	13us	5534	25
—— 4us	XVª	Coss.	14us	5535	26
∴ ∴	∴ ∴	∴ ∴	15us	5536	27
202ª, 1us	Iª	Coss.	16us	5537	28
—— 2us	IIª	Coss.	17us	5538	29
—— 3us	IIIª	Coss.	18us	5539	30
—— 4us	IVª	Coss.	19us	5540	31
203ª, 1us	Vª	Coss.	20us	5541	32
—— 2us	VIª	Coss.	21us	5542	33
—— 3us	VIIª	Coss.	22us	5543	34
—— 4us	VIIIª	Coss.	23us	5544	35

& sic porro.

Unde patet locum erroris, in concursu harum Ærarum, non esse in anno Mundi 5544, ut videbatur in Schemate, quod exhibui §° 71°, quia tum nondum animadverteram illas octo Indictiones (ut & illos octo annos Olympiadicos) quæ in Chronico adscribuntur ad Tiberii annos, a XV° ad XXIIum, non esse proprie Indictiones illorum annorum, quibus adscribuntur, sed annorum immediate sequentium: unde etiam ex illa hypothesi, qua octo illæ Indictiones (& anni Olympiadici) supponuntur esse Indictiones (& Olympiades) illorum annorum, quibus in Chronico adscribuntur, recte argumentatus sum de defectu unius anni in Æra Indictionum & Olympiadum, §° 83, 85. Sed locus erroris est in anno Mundi 5536: & defectus unius anni in Æra Indiction. & Olymp. non reperitur in decursu annorum a XVI° Tiberii anno decurrentium, sed in decursu annorum, qui ante XVum Tiberii, annum incipientes, ultra hunc annum decurrunt. Quod *probe notandum*, sed eum in finem semper memoria tenendum est, illas octo Ind. ab anno Tiberii XV°, ad XXIIum illis annis in Chronico adscriptas, esse Indictiones immediate sequentium annorum a XVI° ad XXIIIum. Idemque observandum circa octo illos annos Olympiadicos.

2°, Ex

2°, Ex eodem Schemate ad oculum videmus, Auctorem in Canone suo Chronologico, revera tribuere Tiberio annos Imperii XXIII.

Unde porro patet errorem esse vel ipsius Auctoris, vel potius, ut mihi videtur, Librarii, vel alicujus descriptoris p. 206. D ubi legitur: *Tertius Romanorum Imperator Tiberius Cæsar imperavit annis 22. Colliguntur anni 5543.* Scribendum enim est, *Imperavit annos 22, menses 6. Colliguntur anni 5544.*

Hinc autem sequitur errorem non esse in Æra Auctoris Mundana, neque in illa Æra esse annum superfluum, sed contra Æram Mundanam Auctoris recte procedere, & hunc annum, qui superfluus videri posset, requirere. Quod etiam variis argumentis a posteriori probari potest, & jam probatum est, §. 83. 85. 90.

3°, Ex his porro ad oculum patet errorem in concursu trium harum Ærarum esse in Æra Indictionum & Olympiadum, in quibus defectus unius anni reperitur, in decursu annorum, qui ante annum Tiberii XV^um incipiunt.

C X V.

De correctione erroris in Æra Indictionum in ejus concursu cum Ærâ Mundi.

Quæritur hic proprie an, ad illum hiatum unius anni tollendum, Indictiones, quæ annum Mundi 5536^tum præcedunt, sint uno anno in Æra Mundana protrudendæ, an vero Indictiones, quæ annum Mundi 5536^um sequuntur, sint uno anno in Æra Mundana retrudendæ.

Ad hanc quæstionem absque ulla hæsitatione respondeo, Indictiones, quæ annum Mundi 5536 præcedunt, uno anno in Æra Auctoris Mundana esse protrudendas.

Nam Indictiones Prolepticæ, quæ ab anno Mundi 5537°, Æræ Vulg. 28° & deinceps progrediuntur, cum annis Mundi recte decurrunt.

Consectarium.

Hinc patet Auctoris Æram Mundanam non habere hanc perfectionem, ut anni Mundi per XV divisi, relinquant præsentis anni Indictionem.

Sed annos Æræ Mundanæ unitate prius esse minuendos.

Exempli

Exempli gratia.

Sit quæstio de anno M. 5537
aufer 1

reliquum 5536
divide per XV
remanet 1 Indictio
præsentis anni 5537mi.

Incipitque Indictio Auctoris a præcedenti Sept., ante initium anni Mundi a sequentis Martii die 21°.

C X V I.

De correctione erroris in Æra Olympiadum in concursu cum Æra Mundana.

Quæstio hic eadem est, ac præced. §° circa Indictiones fuit, sed non æque facilis responsio est.

Olympiadis 1æ annus 1us incipit anno Periodi Jul. 3938°, a media æstate, cum quo concurrit annus Mundi 4734us.

Auctor Chronici connectit Olympiadis 1æ annum 1um cum anno M. 4732°, cum quo concurrit annus Periodi Julianæ 3936us. Et hoc modo Olympiades decurrunt in Chronico, usque ad annum Mundi 5535, inclusive. An Auctor annum Olympiadicum incipiat etiam a media æstate? & an a mediâ æstate initium anni Mundani præcedente, an sequente, mihi nondum compertum est.

Æra itaque Olympiadum Auctoris Chronici usque ad annum Mundi 5535. *biennio* antevertit Æram Olympiadum a Chronologis receptam.

In annis autem Mundi, ab anno 5537 & deinceps, Æra Olympiadum Auctoris uno anno tantum antevertit Æram Olymp. a Chronologis receptam. Nam

Juxta Chronologos

anno Per. Jul.	anno Æræ Vulg.	anno Mundi	anno Olympiadis
4744	31	5540	202æ, 3°. a media æstate.

Juxta Auctorem Chronici

anno Per. Jul.	anno Æræ Vulg.	anno Mundi	anno Olympiadis
4744	31	5540	202æ, 4°.

Et,

Et, quod notandum, ex teſtimonio Phlegontis p. 219. D. patet, id requiri, ut dies Marc. 23, anno Mundi 5540^{o} cadat in Olympiadis $CCII^{æ}$ annum 4^{um}. Confer p. 374. D.

Hinc videtur probabile,

1^{o}, Annos Olympiadicos apud Auctorem Chronici incipere a præcedente æſtate, quæ initium anni Mundani in ſequente Martio præcedit.

2^{o}, Melius eſſe, ut anni Olympiadici, qui annum M. 5536 præcedunt, uno anno in Æra Mundana protrudantur, quam ut anni Olymp., qui annum M. 5536 ſequuntur, uno anno in Æra Mundana retrudantur.

CXVII.

De Æra Incarnationis Chriſti Auctoris Chronici.

Auctor hujus Chronici Æra incarnationis, vel nativitatis Chriſti, quantum obſervare potui, ſemel tantum utitur, eamque ſtatim ad annum paſſionis reducit.

Ratio hujus rei, ex iis, quæ antea vidimus, ſatis clara eſt: quia nempe annus conceptionis & nativitatis Chriſti, licet in Æra Mundi affixus eſſet anno 5507^{o}, ſimul tamen relatus erat, ob cauſam, quam ante vidimus, ad annum Imperii Auguſti Cæſaris 40^{um}, cum revera pertineret, & referri debuiſſet ad ejus Imperii annum 42^{um}. Ac proinde ille annus quodammodo dubius erat.

Locus ubi illa Æra occurrit, reperitur p. 388. B. Ubi ad annum Heraclii 6^{um}, Ind. IV. *Poſt Conſ. Heraclii Aug.* 5. Olymp. $CCCLIX^{æ}$, annum 1^{um} hæc annotantur, *a nativitate Domini Chriſti, uſque ad hunc Conſulatum completi ſunt (anni)* 619, *& cœpit annus* 620^{us}. *Ex his auferuntur anni uſque ad crucifixionem ejus* 33, *& relinquuntur* 586. &c.

Annus Heraclii 6^{us} eſt Mundi 6125^{us}.

Annus crucifixionis eſt Mundi 5540^{us}.

Illi anni 586 ita numerantur ab Auctore, ut annus Mundi 5540^{us}, in quo Chriſtus crucifixus eſt, ſit 1^{us}, & annus Heraclii 6^{us}, Mundi 6125^{us} ſit ultimus ſeu 586^{us}, ut probavi §° 85.

Sit ergo

		annus M. 5507^{us}	nativitatis 1^{us}
		adde annos 33	adde annos 33
annus 1^{us}	eſt	annus M. 5540^{us}	nativitatis 34^{us}
adde annos 585		annos 585	annos 585
annus 586^{us}	eſt	annus M. 6125^{us}	nativitatis 619^{us}

Unde ſequitur, ut jam monui §° 85, quando Auctor dicit illo anno Heraclii VI°, Ind. IV^{a}, *impletos eſſe annos 619, & incepiſſe annum 620^{um}*, hoc ita intelligendum eſſe ac ſi dixiſſet, hoc anno implentur anni 619, & deinde anno Heraclii ſequente 7°, Indict. V^{a} incipiet annus 620^{us}.

Niſi ſtatuamus Auctorem ex hypotheſi dare Chriſto a nativitate uſque ad mortem annos 33 & dies 89, licet ex calculo revera illi tantum det annos 32 & dies 89. Nam

ex illa hypotheſi concurrunt

	annus vitæ Chriſti a præc. Dec. 25. incipiens	annus Mundi a ſeq. Mart. 21. incipiens
	34^{us}	5540^{us}
adde annos	585	585
	619^{us} incip. Dec. 25,	6125^{us} incip Mart. 21.

deſinet itaque annus 619^{us} in die Dec. 24, anno 6125° adhuc currente.
& incipiet annus 620^{us} in die Dec. 25, anno 6125° adhuc currente.

Tum enim poteſt dicere, *a nativitate Chriſti uſque ad hunc conſulatum impleti ſunt anni 619, & incepit annus 620^{us}*, quia durante & currente hoc conſulatu utrumque fit.

CXVIII.

De Æra Aſcenſionis Chriſti Auctoris Chronici.

Hac Æra Auctor ſæpius utitur: loca ſtatim videbimus.

Incipit ab aſcenſione Chriſti, ſeu ejus aſſumptione in cœlos.

Chriſtus in cœlos aſcendit quadrageſimo poſt reſurrectionem die, Artemiſii (Maji) menſis die 3°, Feria V^{a}. Ut Auctor dicit p. 223. B.

Ab hoc die incipit 1^{us} aſcenſionis annus.

Concurrunt itaque

annus Olympiad.	annus Indict.	annus Tiberii	annus Mundi	annus Aſcenſionis
CCII^{æ}, 4^{us}	IV^{æ}	XIX^{us}	5540^{us}	1^{us}
	incipit a præced. Septemb.	incipit a ſequentis Martii die 21.	incipit ab eodem Martii die 21°.	incipit a ſequentis Maji die 3°.

CXIX.

CXIX.

Loca recenſentur ubi Æra Aſcenſionis Chriſti occurrit.

Hoc Chronicon perluſtrans, obſervavi loca ſequentia, in quibus hæc Æra occurrit. Nempe occurrit

annus Aſcenſionis Chriſti				
* 2.	p. 229.	C.	Vide §um	120.
4.	p. 229.	D.	—— —	121.
* 39.	p. 246.	D.	—— —	122.
40.	p. 247.	D.	—— —	123.
* 133.	p. 257.	D.	—— —	124.
* 205.	p. 268.	C.	—— —	126.
* 255.	p. 274.	B.	—— —	125.
267.	p. 275.	C.	—— —	128.
269.	p. 275.	D.	—— —	127.
* 295.	p. 282.	B.	—— —	129.
301.	p. 284.	D.	—— —	130.
* 351.	p. 304.	B.	—— —	131.
* 401.	p. 314.	C.	—— —	132.
* 422.	p. 319.	D.	—— —	133.

Anni qui ſtellula * notantur, in iis omnia concordant.

In anno 267 & 269 clare eſt error unius anni, qui in Æra aſcenſionis ſuperfluus eſt.

In anno 40 & anno 301 eſt vitioſa lectio, & legendum eſt anno 39° , & anno 300°.

In anno 4° , vel vitioſa lectio eſt pro 5° vel de anno 4° exeunte capiendum.

CXX.

De anno Aſcenſionis Chriſti 2do, *cujus mentio p.* 229. C.

Hoc ſecundo (inquit) *anno in cœlos aſſumptionis Domini Philippus Apoſtolus Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum, primitias vocationis gentium prædicatione Chriſti adduxit.*

Loquitur, ut ex præcedente patet, de anno Imperii Tiberii 20°, initium sumente a die Mart. 21°, Indict. Vª, (Olymp CCCIIIª anno 1°,) Cycli Solis XXV°, Lunæ XII°, sub consulatu Aruntii & Ænobarbi, quo Apostoli, post Pascha Christi emortuale, præcedentis anni, primum Pascha Christianum celebrarunt die Aprilis 13°, Dominicâ, Luna XVª.

Qui annus tot characteribus insignitus, est,

Annus Mundi 5541us, Æræ Vulg. 32us.

C X X I.

De anno Ascensionis Christi 4°, *cujus mentio p.* 229. D.

Ubi ad *Olymp.* CCIIIª annum 4um, *Tiberii* XXIIum, qui tamen a sequentis Martii die 21°, fit XXIIIus, *Ind.* VIII, *Leliano & Plauto Coss.* Currente sub his Coss. a Januario adhuc anno Mundi 5543°, & incipiente, a sequentis Martii die 21, anno Mundi 5544.

Hæc leguntur : *Quarto anno in cœlos assumptionis Domini*, *Petrus Apostolus Hierosolymis Antiochiam magnam profectus verbum Dei docuit &c.*

Hic videtur error, & loco τετάρτῳ scribendum esse πέμπτῳ.

Vel statuendum, hoc, quod hic narratur, accidisse, anno ascensionis 4° excunte, ante diem Maji 3um anni Æræ Vulgaris 35mi, Mundi 5544mi, adeoque anno M 5543° adhuc currente, vel in initio anni M. 5544mi, qui ab 21° Martii incipit.

Non enim hinc concludendum est annum ascensionis 1um non connectendum esse cum anno Tiberii 19°, & Mundi 5540°, incipiente utroque a die Martii 21°, qui Christo emortualis est, & in quo 4° post resurrectionem die in cœlos assumptus est: sed annum 1um ascensionis connectendum esse cum sequenti anno Mundi 5541°, & a Januario incipiendum esse. Ex præcedenti enim hujus Æræ anno, & ex tot sequentibus annis contrarium patet.

C X X I I.

De anno Ascensionis Christi 39°, *cujus mentio p.* 246. D.

Ad annum *Olymp.* CCXIIª, 2um, *Vespasiani* 2dum, (qui est Mundi 5578us) *Ind.* XIIª, *Vespasiano solo Consule.*

Hæc

Hæc leguntur: *Trigesimo nono anno in cœlos assumptionis Domini, Titus Vespasiani filius Judæam, urbemque Hierosolymam cepit, peragrata universa Palæstina, & Templum Judæorum evertit. Erat autem dies festi Paschatis, quum urbem Hierosolymam cepit.*

Olymp. CCIIª, 4us,	Ind. IVª,	Tiberii XIX,	Mundi 5540us,	Ascens. 1us	
adde annos			38	38	
Olymp. CCXIIª, 2us,	Ind. XIIª,	Vespas. IIdo,	Mundi 5578us,	Ascens. 39us	

Hæc plane concordant, nisi quod annus ascensionis 39us incipiat immediate post illud Pascha, in quo urbem captam esse dicit.

Hic annus ascensionis 39us cadit in annum Æræ Vulg. 69um.

CXXIII.

De anno Ascensionis Christi 40°, *cujus mentio p.* 247. D.

Ad eundem annum, paulo post p. 247: hæc leguntur:

Inchoante cæterum quadragesimo anno in cœlos ascensionis Domini, secundo autem anno Vespasiani, Judæorum ἡγεμόνες τέλεον ἐπαύσαντο, τῆς ἐσχάτης αὐτοῖς ἁλώσεως καταλαβούσης, (quod non male vertit interpres: *Duces defecerunt omnino, postrema hac captivitate deleti.*

Colligitur universum tempus ad secundum annum Vespasiani, & postremam expugnationem Hierosolymorum, a decimo quinto quidem anno inclusive Tiberii Cæsaris, & salutaris prædicationis initio, εἰς ἔτη τεσσαράκοντα δύο. *A sexto* (lege *octavo*, ut patet ex anno Olympiadico addito: confer p. 145. D.) *autem anno Darii Hystaspis, quo secunda Templi ædificatio contigit, seu a* 2° *anno Olympiadis LXIIIª, ad præsentem annum* 2um *Vespasiani*, εἰς ἔτη 597. *A prima autem constructione ejus, sub Salomone facta*, εἰς ἔτη 1103.

Hic habemus tres annorum summas, quæ nos ducunt ad annum Vespasiani 2um & ultimum excidium Hierosolymitanum, quod eo anno circa tempus Paschale contigit.

Illa formula loquendi συνάγεται ὁ πᾶς χρόνος ἀπὸ ... ἐπὶ ... εἰς ἔτη &c. significat, si a termino a quo, *inclusive sumpto*, numerationem instituas, & annos elapsos colligas, usque ad terminum ad quem, exclusive sumptum, tum summam annorum elapsorum ascendere ad tot annos.

In hac numeratione & collectione annorum terminum a quo inclusive

 sumen-

ſumendum eſſe, id Auctor de prima ſumma annorum, ubi terminus a quo eſt XVus annus Tiberii Cæſaris, expreſſe monet.

Veſpaſiani annus 2dus eſt juxta Canonem Auctoris Chronologicum, annus Mundi 5578us, incipiens a Mart. 21. Nam, ut ex Chronico patet

Claudius imperavit annos 14. . . .	Colliguntur anni 5562
Neroni dat annos 14.	Colliguntur anni 5576
Galba, Otho, & Vitellius non conſiderantur.	
Veſpaſianus Imp. annos 9, *lege* 10; *	Colliguntur anni 5586
Titus Imp. annos 2.	Colliguntur anni 5588

* Pro IX legendum eſſe X patet, non tantum, quia expreſſe dicitur, colliguntur anni 5586, quæ ſumma collecta X annos requirit, ſed etiam, quia actu annos X expanſos Veſpaſiano tribuit.

Computemus jam tres illas ſummas annorum, quæ nos ad annum Imperii Veſpaſiani ducunt.

Prima ſumma annorum

Tiberii XVus,	Prædicationis 1us,	Mundi 5536us
adde	annos 42	annos 42
Veſpaſ. IIdus,	Prædicationis 43us,	Mundi 5578us

Prædicatio Chriſti incepit anno Tiberii XVo exeunte, & anno Mundi 5536o exeunte, anno Æræ Vulg. 28o ineunte, a die Jan. 6o, quo Chriſtus baptiſatus eſt.

Ergo annus prædicationis Chriſti 42us incipit anno Veſpaſ. 1o, & Mundi 5577o exeunte & Æræ Chriſti Vulg. 69o ineunte, a die Januarii 6o. & annus 43us incipit anno Veſpaſiani 2o, & Mundi 5578, exeunte.

Secunda ſumma annorum,

Darii Hyſtaſp. VIIIus,	Olymp. LXIIIæ,	annus 2us,	Mundi 4981us
adde	Olymp. CXLIX, & annum 1		annos 597
Veſpaſiani IIdus,	Olymp. CCXIIæ,	annus 3us,	Mundi 5578us
	* aufer	annum 1	
	Olymp. CCXIIæ,	annus 2us	

* Auferendus hic annus 1, quia annus Tiberii XVus, eique connexus annus Mundi 5536us, abſque anno Olympiadico tranſiit, ut antea vidimus,

mus, qui ſi additus fuiſſet, cum anno Veſpaſiani 2^{do} concurreret Olymp. CCXII^{a} annus 3^{us}.

Tertia ſumma annorum.

Auctor ædificationem Templi cœptam connectit cum anno Imperii Salomonis 2^{o}, qui eſt Mundi 4468^{us}, hæc ædificatio tum cœpta, poſt 7 annos, abſoluta eſt, anno Imperii Salomonis 9^{o}, Mundi 4475^{o}; & hic eſt terminus numerationis a quo.

Salomonis IX^{us},	Mundi 4475^{us}
adde	annos 1103
Veſpaſiani II^{dus},	Mundi 5578^{us}

His tribus ſummis annorum adde hanc quartam

Tiberii XIX^{us},	Mundi 5540^{us},	Aſcenſ. 1^{us} incip. a Maji 3
adde	annos 38	annos 38
Veſpaſiani II^{dus},	Mundi 5578^{us},	Aſcenſ. 39^{us} incip. a Maji 3^{o}

Ergo error eſt, quando ſcribit Auctor *inchoante quadrageſimo anno* aſcenſionis, ſcribendum erat *inchoante trigeſimo nono anno aſcenſionis*. Quemadmodum paulo ante dixerat p. 246. D. *Trigeſimo nono anno aſcenſionis* &c. Vide §^{um} 122.

CXXIV.

De anno Aſcenſionis Chriſti 133, *cujus mentio p.* 257. D.

Ad *Olymp.* CCXXXV^{a} annum 4^{um}, *Marci Aurelii Antonini, qui & Verus dictus, & Lucii Aurelii Commodi IV^{um}, Ind. I^{a}, Æliano & Paſtore Coſſ.*

Annotatur: *Anno* 133^{o} *in cœlos aſſumptionis Domini, maximis Aſiam turbantibus perſecutionibus, multi martyrio vitam finierunt, inter quos Polycarpus Smyrnæ Epiſcopus.*

Annus Veri & Commodi IV^{us} eſt juxta Canonem Chronol. Auctoris, annus Mundi 5672^{us}.

Olymp. CCII^{a}, 4^{us}, Ind. IV^{a}, Tiberii XIX,	M. 5540^{us},	Aſc. 1^{us}
adde XXXIII	annos 132	annos 132
Olymp. CCXXXV^{a}, 4^{us}, Ind. I^{a}, Veri IV,	M. 5672^{us},	Aſc. 133^{us}

Hæc

Hæc plane concordant, nisi quod passio Polycarpi statuatur facta tempore Paschali, & annus ille ascens. incipiat a sequentis Maji die 3°. Confer §um 86.

CXXV.

De anno Ascensionis Christi 255, cujus mentio p. 274. B.

Ad *Olymp.* CCLXVI, annum 2um, *Cari cum filiis Carino & Numeriano*, IIIum (qui est Mundi 5794) *Ind.* IIIa, *Carino II, & Numeriano Coss.*

Annotatur: *Anno 255 in cœlos assumptionis Domini, facta est persecutio Christianorum, & multi Martyres facti sunt, inter quos S. Georgius, & S. Babylas.*

Olymp. CCIIæ, 4us,	Ind. IVa,	Tiberii XIX,	Mundi 5540us,	Asc. 1us		
adde LXIII, 2			annos 254	254		
Olymp. CCLXVIæ, 2us,	Ind. IIIa,	Cari III,	Mundi 5794us,	Asc. 255us		

Hæc plane concordant:

CXXVI.

De anno Ascensionis Christi 205°, cujus mentio p. 268. C.

Ad *Olymp.* CCLIIIæ, annum 4um *Alexandri Mammææ F.* XIIIum, *Ind.* XIIIa, *Perpetuo & Cornelio Coss.* Qui est annus Mundi 5744us.

Annotatur: *Anno 205 in cœlos assumptionis Domini, S. Cyprianus Martyrium subiit.*

Olymp. CCIIæ, 4us,	Ind. IVa,	Tiberii XIX,	Mundi 5540us,	Asc. 1us
adde LI			annos 204	204
Olymp. CCLIIIæ, 4us,	Ind. XIIIa,	Alex. XIII,	Mundi 5744us,	Asc 205us

Hæc plane concordant.

CXXVII.

De anno Ascensionis Christi 269. cujus mentio p. 275. D.

Ad *Olymp.* CCLXIX, annum 3um, *Diocletiani* XIIIum, *Ind.* Ia, *Maximiano Herculio V & Maximiano Jovio Cæsare II Coss.* Qui est annus Mundi 5807us.

Anno-

Annotatur, *anno 269 in cœlos Aſcenſionis Domini, & prædictis Coſſ. Martyrium ſubiit S. Gelaſinus.*

Olymp. CCII^{a}, 4^{us}, Ind. IV^{a}, Tiberii XIX, M. 5540^{us}, Aſc. 1^{us}
adde LXVII annos 268 268

Olymp. CCLXIX^{a}, 4^{us}, Ind. II^{a}, Dioclet. XIV, M. 5808^{us}, Aſc. 269^{us}

Hæc non concordant, ſed unius anni error eſt, ut ad oculum patet.

CXXVIII.

De anno Aſcenſionis Chriſti 267. cujus mentio p. 275. C.

Ad *Olymp.* CCLXIX, annum 1^{um}, *Diocletiani* XI^{um}, *Ind.* XIV^{a}, *Tuſco & Anullino Coſſ.* qui eſt annus Mundi 5805^{us}.

Annotatur, *anno 267 in cœlos aſſumptionis Domini, & prædictis Coſſ. Martyrium ſubiit S Menas, in Cotiæo, Phrygiæ ſalutaris civitate, Athyr 15°, III Iduum Novemb.*

Olymp. CCII^{a}, 4^{us}, Ind. IV^{a}, Tiberii XIX, M. 5540^{us}, Aſc. 1^{us}
adde LXVI, 2 annos 266 266

Olymp. CCLXIX^{a}, 2^{us}, Ind. XV^{a}, Diocl. XII, M. 5806^{us}, Aſc. 267^{us}

Hic itidem error unius anni eſt.

Videtur hic error inde ortus, quod Auctor reperiens hoc annotatum ad annum Diocletiani XI^{um} apud alium Auctorem, id ad ſuum Diocletiani annum XI^{um} tranſtulerit, & ſic uno anno citius, ac debuit, collocaverit.

Et hic error admiſſus videtur alterum quem §° præc. vidimus, poſt ſe traxiſſe.

Confer §^{um} 97, ubi de Æra Diocletianea agitur. (*Sed dubito, an inde aliquid peti poſſit ad fontem hujus erroris detegendum; videntur enim ea magis obeſſe, quam prodeſſe.)

CXXIX.

De anno Aſcenſionis Chriſti 295, cujus mentio p. 282. B.

Ad *Olymp.* CCLXXVI^{a}, annum 2^{um}, *Conſtantini M.* XX^{um}, *Ind.* XIII^{a}, *Paulino & Juliano Coſſ.* Qui eſt annus M. 5834. Æræ Vulg. 325.

Annotatur, *anno 295 in cœlum aſſumptionis Domini, & XX Imperii*

 Con-

Constantini Pii, mensis Desii die 19^{o}, Concilium Nicænum haberi curavit Imperator.

Mensis Desius est Romanorum Junius.

Olymp. 202^{a},	4^{us},	Ind. IV^{a},	Tiberii XIX,	Mundi 5540^{us},	Asc. 1^{us}
adde 73,	2			annos 294	annos 294
Olymp. 276^{a},	2^{us},	Ind. XIII^{a},	Const. XX,	Mundi 5834^{us},	Asc. 295^{us}

Hæc plane concordant.

Sequitur deinde recapitulatio annorum ab Orbe Condito, usque ad τὴν εἰκοσαετηρίδα Constantini Augusti.

In qua recapitulatione ultimus terminus, annus nempe Constantini XX^{us}, exclusive sumendus est.

Et circa cursum Olympiadum aliquid notandum erit.

Vide sequentem pag.

A Creatione Adam usque ad Diluvium anni	2262	collig^{r}	2262
A Diluvio ad Abrahamum	1070	—	3332
A Natali Abrahami usque ad 80^{um} annum Mosis, inclusive	505	—	3837
Ab 80mo anno Mosis exclusive, seu ab 81^{o}, sive ab Exitu filiorum Israël, usque ad 3^{um} annum Abdon, quo capta est Troja	404	—	4241
A 4^{o} anno Abdon, usque ad 2^{um} annum Salomonis exclusive, quo cœpit prima constructio templi .	226	—	4467
Ab anno 2^{o} Salomonis inclusive, usque ad 50^{um} annum Oziæ inclusive, seu 1^{am} Olympiada exclusive	264	—	4731
Ab initio 1^{æ} Olympiadis inclusive, usque ad 6^{tum} annum Darii Hystaspis, quo perfecta est 2da templi ædificatio	248	—	4979
A 7mo anno prædicti Darii, usque ad 15^{um} Tiberii, seu ad salutare Baptisma	557	—	5536
A 16^{o} anno Tiberii, seu a 2do anno inclusive, CCLXX^{æ} (lege CCII^{æ}) Olympiadis, usque ad XX^{um} annum exclusive Constantini M. Imperatoris, & 2^{dum} annum inclusive, Olympiadis CCLXXVI^{æ}	297	—	5833
summa	5833		

A

A Creatione Mundi (inquit) *usque ad XX annum* (exclusive) *Constantini sunt anni* 5833 (completi elapsi.)

Omnes hæ summæ annorum particulares, tam expansæ, quam collectæ, & summa collecta totalis, exacte cum Canone Auctoris Chronologico concordant.

Calculus autem Olympiadum ulteriorem considerationem meretur, ob defectum illum unius anni in concursu Æræ Olymp. cum Æra Mundana, de quo antea egimus. Vide

anno M. 4731.	Olymp. 0,	annus 0.			anni	Olymp.
adde annos 248.	Olymp. 62,	annos 0.	colliguntur	4979.		62 : 0.
item annos 557.	Olymp. 139,	annos 1.	———	5536.		201 : 1.
item annos 297.	Olymp. 74,	annos 1.	———	5833.		275 : 2.
elapsi anni 5833.	Olymp. 275,	& anni 2.				

Hinc patet

A Mundo condito usque ad annum Constantini 20um exclusive, elapsos esse annos 5833, adeoque annum Constantini 20um esse Mundi 5834um.

Et a 1a Olympiade, quæ cum anno M. 4732o incepit, inclusive, usque ad annum Constantini 20um exclusive, elapsos esse annos 1102, seu integras Olympiadas 275, & præterea annos 2; adeoque annum Constantini 20um esse Olymp. CCLXXVIæ annum 3tium. Quod etiam ita deberet esse, sed quia in concursu Æræ Olympiadum cum Æra Mundi, unus annus Mundi (nempe annus Tiberii XVus & Mundi 5536us) absque anno Olympiadico illi adnexo transiit, hinc post illum annum Mundi, Æra Olymp. uno anno deficit, ac proinde annus Constantini 20us connectitur cum Olymp. CCLXXVIæ, anno 2o.

Hinc etiam patet

A 1a Olymp., quæ cum anno M. 4732 incepit, inclusive, usque ad annum Tiberii XVum, Mundi 5536um inclusive, elapsos esse annos 805, seu integras Olympiadas 201, & præterea annum 1.

Adeoque annum Tiberii XVIum, Mundi 5537um esse Olympiadis CCIIæ, annum 2um, & ab illo anno inclusive, usque ad annum Olymp. CCLXXVIæ, annum 2um (qui est Constantini XIXus, Mundi 5833us) inclusive, elapsos esse annos 297, seu integras Olympiades 74 & præterea annum 1. Quæ omnia ita deberent esse, sed quia annus Tiberii XVus, Mundi 5536us, absque anno Olymp transiit, hinc annus Tiberii XVIus est Olymp. CCIIæ, annus 1us, & Constantini XXus est Olymp. 276æ, annus 2us.

 Obser-

Observatio.

Ex hac recapitulatione videmus in Canone Auctoris Chronologico,

Tiberii annum XV^{um}		
Baptismum Christi	}	concurrere
annum M. 5536^{um}		
Olymp. CCII^æ, annum 1^{um} *		* ex ordine.
Tiberii annum XVI^{um}		
annum M. 5537^{um}	}	concurrere
Olymp. CCII^æ, annum 2^{um} *		* ex ordine.

Unde confirmantur ea, quæ ante diximus de annis Tiberii, & defectu in Æra Olympiadum, §° 113, 114, 116.

CXXX.

De anno Ascensionis Christi 301, *cujus mentio p.* 284. D.

Ad *Olymp.* CCLXXVII^æ annum 3^{um}, *Constantini* 25^{um}, Ind. III^a, *Gallicano & Symmacho Coss.* qui est Mundi 5839^{us}, Æræ Vulgaris 330.

Annotatur *Anno* 301 *in cœlos assumptionis Christi, & XXV° ejus Imperii, Constantinus piissimus . . . ædificata urbe maxima, illustri, felici, eaque Senatu cohonestata, eam Constantinopolim vocavit V Iduum Maji, hebdomadis Feria II, Indictione III^a, &c.*

Si annus Constantini XX^{us}, ut §° præcedenti vidimus, fuit ascens. 295^{us}, non potest Constantini XXV^{us} esse ascensionis 301^{us}, sed debet necessario esse ascens. 300^{us}.

Nam intra Concilium Nicænum, habitum anno Constantini 20°, Æræ Vulg. 325°, a die Junii 19, usque ad dedicationem Constantinopolis anno Constantini 25°, Æræ Vulg. 330, die Maji 11°, Feria 2^a, intersunt anni, non VI, sed V.

Unde puto legendum τ loco τα", 300, loco 301.

CXXXI.

De anno Ascensionis Christi 351, *cujus mentio p.* 304. B.

Ad *Olymp.* CCXC^æ, annum 2^{um}, *Gratiani, cum Valente & Theodosio*, 3°, *Ind.* III^a, *Syagrio & Eucherio Coss.* Qui est annus Mundi 5890^{us}, Æræ Vulg. 381^{us}.

An-

Annotatur: *Trecentesimo quinquagesimo primo anno in cœlos assumptionis Domini, congregata est Synodus CP.*

Olymp. 202ª, 4ᵘˢ, Ind. IVª, Tiberii XIX, Mundi 5540ᵘˢ, Asc. 1ᵘˢ
adde 87 : 2 annos 350 annos 350

Olymp. 290ª, 2ᵘˢ, Ind. IXª, Gratiani III, Mundi 5890ᵘˢ, Asc. 351ᵘˢ
&
Theodosii.

Hæc plane concordant.

CXXXII.

De anno Ascensionis Christi 401, *cujus mentio p.* 314. C.

Ad *Olymp.* CCCIIª, annum 4ᵘᵐ, *Theodosii Junioris* XXIIIᵘᵐ, *Ind.* XIVª, *Antiocho & Basso Coss.* Qui est annus Mundi 5940ᵘˢ, Æræ Vulg. 431ᵘˢ.

Annotatur: *In anno* 401 *in cœlos assumptionis Domini, & Theodosii Junioris Augusti Imperii anno* 23°, *& prædictis Consulibus, facta est tertia Synodus Ephesi.*

Olymp. 202ª, 4ᵘˢ, Ind. IVª, Tiberii XIX, Mundi 5540ᵘˢ, Asc. 1ᵘˢ
adde 100 : 0 annos 400 annos 400

Olymp. 302ª, 4ᵘˢ, Ind. XIVª, Theod. Jun. 23, Mundi 5940ᵘˢ, Asc. 401ᵘˢ

Hæc plane concordant.

CXXXIII.

De anno Ascensionis Christi 422, *cujus mentio p.* 319. D.

Ad *Olymp.* CCCVIIIª, annum 1ᵘᵐ, *Martiani* 2ᵘᵐ, *Ind.* Vª, *Sphoracio & Herculano Coss.* Qui est annus Mundi 5961ᵘˢ, Æræ Vulg. 452ᵘˢ.

Annotatur: *Anno* 422 *in cœlos assumptionis Domini, facta est quarta Synodus Chalcedone.*

Olymp. 202ª, 4ᵘˢ, Ind. IVª, Tiberii XIX, Mundi 5540ᵘˢ, Asc. 1ᵘˢ
adde 105 : 1 annos 421 annos 421

Olymp. 308ª, 1ᵘˢ, Ind. Vª, Marciani 2ᵘˢ, Mundi 5961ᵘˢ, Asc. 422ᵘˢ

Hæc plane concordant.

CXXXIV.

Schema Æræ Aſcenſionis.

Olymp.	Ind.		Mundi	Aſcenſ.	Æræ Vul.
202ª, anno 4°	IVª	Tiberii XIX.	5540	1	31
203ª, anno 1°	Vª	Tiberii XX.	5541	2	32
212ª, anno 2°	XIIª	Veſpaſian. II.	5578	39	69
235ª, anno 4°	Iª	Veri IV.	5672	133	163
253ª, anno 4°	XIIIª	Alexandr. VIII.	5744	205	235
266ª, anno 2°	IIIª	Cari III.	5794	255	285
276ª, anno 2°	XIIIª	Conſtant. XX.	5834	295	325
277ª, anno 3°	IIIª	Conſtant. XXV.	5839	*300	330
290ª, anno 2°	IXª	Gratiani III.	5890	351	381
402ª, anno 4°	XIVª	Theod. XXIII.	5940	401	431
308ª, anno 1°	Vª	Marciani II.	5961	422	452

Ex tot Exemplis concordantibus Æra aſcenſionis conſtituitur & confirmatur.

Confirmantur quoque ex hac Æra ea, quæ de anno crucifixionis diximus, nam crucifixio & aſcenſio Chriſti in eundem annum Mundi incidunt.

Confirmantur etiam ea, quæ de annis Tiberii, & de concurſu Æræ Mundi, Olympiadum & Indictionum diximus.

CXXXV.

De fine primæ & initio ſecundæ Periodi DXXXII annorum a Paſſione Domini.

In Præfationis Parte 2ª p. 22, 23, dixerat ſe hoc oſtenſurum. Confer §um 15, in fine.

Quod ibi in ſe receperat, præſtat in Chronico p. 373. D. & ſeq.

Hoc quinto & trigeſimo (inquit) *anno Imperii Juſtiniani, & poſt Conſulatum Baſilii XXI, vigeſimo Martii menſis, Indictione Xª, & tertio anno CCCXXXVª Olympiadis, impleti ſunt DXXXII anni Paſchalis,*

Cycli

Cycli Sanctæ & Vivificæ Crucis, in qua, vel *ex quo, pro nobis voluntariam & vivificam suscepit mortem Christus verus Deus noster, & nos Christiani celebrare cœpimus Sanctam ejus Resurrectionem. Et incipit secunda Periodus Paschalis Cycli DXXXII annorum, a vigesimo primo inclusive Martii-mensis, præsentis Indictionis, in quo* (die 21° Martii) *Æquinoctium reperitur.*

Ex his verbis colligeres secundæ Periodi, 532 annorum, annum 1^{um} concurrere, a die Mart. 21° cum anno Imperii Justiniani 35°, labente adhuc Indictione X^{a}.

Sed si hæc mens Auctoris fuit, tum uno anno aberrat. Nam

Juxta Canonem Chronologicum

annus Justin. 35^{us}, est M. 6071^{us}, sit ille 1^{us}
aufer Periodum annorum 532

erit annus Tiberii 18^{us}, qui est M. 5539^{us}, annus 1^{us}

Adeoque annus crucifixionis Christi, quem tamen expresse dixit, & in sequentibus dicet, esse annum Tiberii 19^{um}, & Mundi 5540^{um}.

Si vero calculum a priori instituas,

annus Tiberii XIX^{us}, est M. 5540^{us}, & Periodi 1^{us}
adde Periodum annorum 532

erit annus Justin. 36^{us}, qui est M. 6072^{us}, Periodi 1^{us}

Sed hanc non esse mentem Auctoris, sed eum annum Justiniani 35^{um} considerare, ut ultimum seu 532^{um} primæ Periodi, patet ex calculo subjuncto, quo primam hanc Periodum per partes colligit. p. 374. D. & p. 375. A.

Computetur (inquit) *initium* ἀποκαταστάσεως *(restitutionis, revolutionis, seu Periodi DXXXII annorum)*

A V° anno inclusive Philippi Junioris & Philippi filii ejus, Coss. Decio & Gratiano, 1° *anno CCLXVII Olympiadis;*

Ex quo regrediens vel *ascendens ad XIX*^{um} *annum Tiberii Cæsaris, seu* 4^{um} *annum CCII Olympiadis, in quo facta est salutaris passio Domini nostri Jesu Christi, invenies tempus annorum* 218.

Descendens vero ad VIII annum Constantini M Imperatoris, quo prima Indictio posita est, in Consulatu Volusiani & Aniani, colliges annos 65.

A IX° autem anno Constantini usque ad præsentem X^{am} *Indictionem,*

nem, anni XXXV^ti Imperii Justiniani, in consulatu Basilii XXI solius, congregabis tempus annorum 249.

Ita ut simul sint, a salutari Paschate, usque ad præsentem XXXV^tum annum Imperii Justiniani, & 3^um annum CCCXXXV^æ Olympiadis, anni 532.

Ad has temporum notas observamus

1°, Pro anno V° Philippi legendum esse anno IV° (pro ε' legendum δ') quod patet ex consulatu & anno Olympiadico, qui adjungitur, quique non cum V° sed IV° Philippi anno concurrit, ut videre licet p. 269. D. Præterea si numeratio a Philippi anno V° inclusive retrorsum institueretur, falleret, & daret annos 219, non 218.

2°, Passionem Christi connecti cum anno Tiberii XIX°, & cum eodem anno Tiberii connecti Olymp. CCII^æ annum 4^um, quod notandum, quia præcedentia confirmat.

3°, Non recte connecti annum Constantini 8^um, Ind. I^am, & Consulatum Volusiani & Aniani: ut videre licet p. 281 B. Adeoque si consulatum hunc retinere velis, legendum esse, ad IX^um annum exclusive Constantini M. Imperatoris, quo secunda Ind. posita est, in consulatum Volusiani & Aniani; Sin Indictionem I^am, & annum Constantini VIII^um retinere velis, quod mihi videtur faciendum, tum consulatus corrigendus est.

4°, Rationem aliquam debere subesse, quare Auctor calculum hunc hoc modo instituat, ut annus Philippi V^us, & consulatus Decii & Gratiani sit quasi cardo numerationis: quam tamen detegere nondum potui.

His observatis calculus ipse instituendus, & considerandum terminum a quo esse annum Tiberii XIX^um, Olymp. CCII^æ annum 4^um, quo salutaris passio contigit, & terminum ad quem esse annum Justiniani 35^um, Olympiadis CCCXXXV^æ annum 3^um, & utrumque terminum inclusive sumendum esse ut nascatur summa DXXXII annorum.

Ab anno Tiberii XIX° (qui est M. 5540) *inclusive, usque ad annum Philippi Junioris & Philippi filii ejus IV^um, inclusive, sunt anni* . .	218,	colliguntur 5757
Ab anno V° inclusive Philippi Junioris & Philippi filii ejus, usque ad annum VIII^um inclusive Constantini M., quo prima Indictio posita est, sunt anni	65,	colliguntur 5822
A IX anno inclusive Constantini M., usque ad XXXV^um annum inclusive Justiniani, sunt anni . .	249,	colliguntur 6071
summa est	532	

Ergo

Ergo annus Passionis (M. 5540^{us}) Tiberii XIX^{us} est 1^{us}, & annus Justiniani XXXV^{us} (M. 6071^{us}) est ultimus primæ Periodi DXXXII annorum.

Idem patet ex calculo Olympiadum:

Olymp. 202^{a}, annus 4^{us}, seu M. 5540^{us},	est Periodi annus 1^{us}	
adde Olymp. 132, & annos 3, seu annos 531	annos 531	
Olymp. 335^{a}, annus 3^{us}, seu M. 6071^{us},	est Periodi annus 532^{us}	

Ergo secundæ Periodi annus 1^{us} est Justiniani Imp. XXXVI^{us}, qui est Olympiadis CCCXXXV^{a}, annus 4^{us}, & M. 6072^{us}.

Ac proinde Auctor in initio p. 373. D. & p. 374. A. se non recte expressit, vel verba ejus corrupta sunt.

CXXXVI.

Regulæ Paschales ab Auctore p. 225. D. propositæ.

Illi igitur (Apostoli), inquit, *primum, ut dictum, hoc præsenti anno* (M. 5541°) *celebrantes* (Pascha) *tradiderunt Sanctis Sancti Dei Ecclesiis, unoquoque anno observare XIV^{am} primi mensis, Lunæ, post* ἐπίβασιν (*adventum*) *diei, quo vernum Æquinoctium fit, hoc est,* 21^{mi} *secundum Romanos Martii mensis. Extra omnem controversiam est, & magna luminaria in Mundi fundatione, post* 3^{um} *diem esse creata, & post mysticam Domini cum Discipulis Cœnam, in tempore Passionis, tribus diebus ante Sanctam Resurrectionem, peractam fuisse. Recte* (itaque) *definitum est ante XI Kal. Aprilis* (videtur legendum *XII Kal. April.*, *& vertendum esse, definitum est XII Kal. Aprilis Pascha celebrare non licere*) *Pascha peragere non licere, neque prius quam XI Kal. Apr., neque ulterius quam VII Kal. Maji, Paschale Festum celebrare. Ita igitur hisce designatis ab XI Kal. Apr. usque ad VII Kal. Maj., diebus* κανονιςέον. Interpres vertit, *Regula sumenda est.*

Et si in Dominicam incidat XIV^{a} Luna, in sequentem Dominicam nos Catholicæ Ecclesiæ Christi discipuli Pascha peragimus, ne cum Judæis illud celebremus.

Si autem in II^{am} forte, aut III^{am}, aut IV^{am}, aut V^{am}, aut Parasceven, aut Sabbatum, ut in superioribus dictum est, XIV^{a} inciderit Luna

proxime ſequenti Dominica nos Chriſtiani peragimus Paſcha, extenſa nimirum quota (ſeu *ætate*) *Lunæ propter Dominicam diem.*

CXXXVII.

De adverſariis quos refutat p. 226. &c.

Non defuere, inquit, *quidam, qui dum contra receptum ab omnibus, quæ ſub Sole ſunt, Sanctis Dei Eccleſiis, in celebrandis Feſtis Paſchalibus morem, non linguas duntaxat, ſed etiam manus* (ſcribendo ſcilicet) *exercere audent; non dubitant etiam in hoc S. Dei Eccleſiam reprehendere, quod venerandum Feſtum Reſurrectionis Chriſti Dei noſtri ex mortuis, Paſcha appellat.*

Ad quam reprehenſionem reſpondet, vocabulum Phaſeth ſeu Paſcha notare διάβασιν, καὶ ἔκβασιν, καὶ ὑπέρβασιν. Et propterea Eccleſiam non ſolum Paſſionem Domini, ſed etiam ejus Reſurrectionem recte Paſcha appellare: Quia per Paſſionem Chriſti & ejus Reſurrectionem, διάβασιν, καὶ ἔκβασιν, καὶ ὑπέρβασιν natura humana accepit ex manu illius, qui imperium mortis habet, & ex morte ipſa, & inferno, & corruptione vel perditione. Quippe, ſi Chriſtus id nobis per mortem largitus ſit, multo magis per reſurrectionem, quia in reſurrectione factus eſt primitiæ dormientium.

Et quod attinet inſtantiam adverſariorum ex verbis Legis, in quibus immolatio agni Paſchalis alligatur Lunæ XIV^{a}, & illa XIV^{a} duntaxat appellatur, ſequentes autem VII dies, a Luna XV—XXI^{am}, nomine Feſti azymorum veniunt.

Reſpondet hoc recte fieri, quia Judaicum Paſcha celebrabatur in memoriam tranſitus Dei, quo per terram Ægypti tranſiit, & ædes Iſraëlitarum prætertranſiit, & Exitus Iſraëlitarum ex Ægypto, quod factum ad veſperam & in nocte illius diei XIV^{a}. Sed hoc non repugnare, quin Eccleſia quoque recte faciat, quando Paſcha Chriſtianum celebrans in memoriam reſurrectionis Chriſti, & illius tranſitus, modo dicti, quem humana natura per eum accepit, illud celebret in die Dominica, in quamcunque ex VII diebus poſt XIV^{am} illa incidat, & illi diei Dominicæ nomen Paſcha det, quia nempe Chriſtus reſurrexit in die Dominica, Lunam XIV^{am} proxime ſequente.

CXXXVIII.

De Computo LXX hebdomadum Danielis.

Triplex harum hebdomadum Computus reperitur apud Auctorem.

Primus Computus incipit ab anno Darii Hystaspis 8° inclusive, Olymp. LXIII^a^, anno 2°, qui est Mundi 4981, quo Templi restauratio tandem confecta est, a Pontificatu Jesu filii Josedec, cum Zorobabele.

Et numerat ab illo anno, annos 483, quot faciunt VII & LXII septimanæ apud Danielem.

Definitque in anno Cleopatræ 8°, qui est Mundi 5463, & Alexandri Jannæi (qui Rex simul & summus Pontifex fuit) 30°, quo unctus dux, a Daniele prædictus, finem accepit.

Vide p. 146. A. p. 188. D. & 189. B. & 208. C.

Secundus Computus quem Africano tribuit, &, ut videtur, ad suam Chronologiam accommodat. p. 164. B.

Incipit ab anno Artaxerxis Longimani XVII°, Olymp. LXXXI^a^, anno 3°, qui est Mundi 5054^us^.

Numerat annos 490, quot faciunt LXX hebdomades Danielis.

Extendit se, ut dicit Auctor, non tantum ad initium prædicationis Christi, sed ad annum Tiberii 22^um^, seu Olymp. CCI^a^ annum 4^um^, (error in Olymp) qui est annus Mundi 5543.

Ita

Ut LXIX hebdomadæ (qui faciunt annos 483) impleantur in anno Tiberii XIV°, (lege XV°) & 1° anno, Olymp. CCII^a^, quo (anno Tiberii XV°) adventus ad Baptismum, & initium salutaris prædicationis magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi (contigit.) qui est Mundi 5536^us^.

Et ut reliqua seu ultima septimana, quæ confortabit fœdus multis, impleatur, ut dictum est, anno Imperii Tiberii Cæsaris 22°.

Ejus (septimanæ) vero dimidium, seu annus 4^us^, in quo auferetur hostia, ut dicit Propheta, incidat anno Imperii Tiberii XIX°, seu anno 4° Olympiadis CCII^a^, quo voluntariam & vivificam sustinuit crucem Christus verus Deus noster.

Vide ſequens Schema.

Artax. Longim.	annus XVII.	Mundi 5054^{us}.	LXX hebdom. 1^{us}
adde		annos 482	annos 482
Tiberii Cæſar.	annus XV.	Mundi 5536^{us}.	LXX hebdom. 483^{us}
adde		annos 4	annos 4
Tiberii Cæſar.	annus XIX.	Mundi 5540^{us}.	LXX hebdom. 487^{us}
adde		annos 3	annos 3
Tiberii Cæſar.	annus XXII.	Mundi 5543^{us}.	LXX hebdom. 490^{us}

Item hoc Schema.

Art. Long. XVII.	Olymp. 81^{a},	annus 3^{us}.	LXX. hebdom. 1^{us}
adde	Olymp. 120,	& annos 2,	ſeu annos 482
Tiberii XV.	Olymp. 202^{a},	annus 1^{us}.	LXX hebdom. 483^{us}
adde		annos 4	annos 4
Tiberii XIX.	Olymp. 202^{a},	annus 5^{us}.	LXX hebdom 487^{us}
adde		annos 3	annos 3
Tiberii XXII.	Olymp. 203^{a},	annus 4^{us}.	LXX hebdom 490^{us}

NB. Ita deberent Olympiades concurrere cum annis Tiberii, ſed quia Tiberii annus XV^{us} revera ſine Olympiade tranſiit, hinc eſt quod Olympiades annis Tiberii a XVI^{o} & deinceps adſcriptæ, unitate minores ſint: ut ante oſtendimus.

NB. Hinc etiam mirifice confirmantur, quæ de anno *Chriſti* baptiſmali & emortuali diximus.

Tertius Computus, quem Auctor etiam Africano tribuit. p. 165. D.

Incipit ab anno Darii Nothi X^{o}, Olymp. XC^{a}, anno 1^{o}, qui eſt Mundi 5088^{us}.

Numerat annos 490, quot faciunt LXX hebdomades.

Definit anno Veſpaſiani 2^{o}, & anno 2^{o} Olymp. $CCXII^{a}$, qui eſt Mundi 5578^{us}, quo ineunte urbs a Romanis capta circa tempus Paſchale.

Vide ſequens Schema.

Darii Nothi X.	Olymp. 90^{a},	annus 1^{us}.	Mundi 5088^{us}
adde	Olymp. 122,	& annos 2.	ſeu annos 490
Veſpaſiani II.	Olymp. 212^{a},	annus 3^{us}.	Mundi 5578^{us}
	aufer	annum 1	
	Olymp. 212^{a},	annus 2^{us}.	

NB. An-

NB. Annus Darii Nothi X^{us} debet inclusive sumi, & considerari ut aliqua sui parte elapsus, quando LXX hebd. incipiunt, & tum annus 490^{us} complebitur in initio currentis anni Vespasiani 2^{di}.

Confer §um 123^{um}.

CXXXIX.

De regno Herodum & anno Nativitatis Christi.

Anno (inquit) *Augusti Cæsaris* 8° *Herodes a Romanis Rex constituitur.* p. 191. A.

Imperat autem Herodes Judæis annos 37. *Ejus Regni anno* 35° *Jesus Christus nascitur in Bethlehem Judææ. p.* 191. B.

Ad annum Imperii Augusti 44^{um} annotat mortem Herodis. p. 206. Hinc cognoscitur annus nativitatis Christi.

Vide sequens Schema.

Augusti annus 8^{us}, est M. 5473^{us},	& Herodis	1^{us}
adde annos 34	annos 34	annos 34
Augusti annus 42^{us},	M. 5507^{us},	Herodis 35^{us}

erit annus natalis Christi.

&

Augusti annus 44^{us}, M. 5509^{us}, Herodis 37^{us} erit annus mortis Herodis.

Fateor Auctorem ad annum Augusti 42^{um} annotare *infanticidium* Bethlehemiticum Herodis jussu peractum: Sed hoc est consequens illius artificii, quo nativitatem Christi & annum M. 5507^{um} retulerat ad annum Augusti 40^{um} de quo antea egimus.

Huic Herodi dat successorem Archelaum filium, eique dat annos Regni IX. p. 191. B. 206. A. 218. D.

Dicit post Archelaum regnasse in Galilæa Herodem Tetrarcham, Archelai fratrem: eique dat annos Regni 28, p. 191. B. Sed tantum annos 24, p. 206. C. ut & p. 218. D, ubi tamen addit, quod regnaverit usque ad mortem Tiberii. Hic duo anni vel superesse, vel deficere in Auctoris Chronologia videntur.

Hunc Cajus Caligula simul ac imperare cœpit, in exilium misit, & Herodem Agrippam Regem Judæorum constituit, qui regnavit annos 7, sub Cajo Caligula quidem 4, sub Claudio autem 3. p. 230. B.

A Claudii anno 4° usque ad Vespasiani 1um regnavit Rex Agrippa, annos 26. p. 246. C.

Augusti annus	8.	Herodis annus	1us.	M. 5473.			
	42.		35us.	5507.	Christi	1us.	
	44.		37us.	5509.		3.	
	45.	Archelai annus	1us.	5510.		4.	
	53.		9us.	5518.		12.	
	54.	Herod. Tetr.	1us.	5519.		13.	
Tiberii annus	15.		18us.	5536.		30.	
	19.		22us.	5540.		34.	
	21.		24us.	5542.		36.	
	23.		26us.	5544.		38.	
Caji Calig.	1us.	Herod. Agrip.	1us.	5545.		39.	
Claudii annus	3us.		7us.	5551.		45.	
	4us.	Reg. Agrippæ	1us.	5552.		46.	
Vespasiani	1us.		26us.	5577.		71.	

NB. Si Herodis Tetrarchæ annus 1us ponatur incipere currente adhuc anno Mundi 5518°, poterit ejus annus 28us jam initium sumsisse ineunte Imperio Caji.

Vel potius dicendum, Auctorem hæc non potuisse in sua Chronologia digerere, quæ de horum annis apud alios inveniebat: & tamen seriem principum Judæorum voluisse contexere, usque ad excidium Hierosolymitanum, ob Computum tertium LXX hebdomadum, in illo excidio desinentem, quem §° præcedenti vidimus.

CXL.

CURÆ SECUNDÆ.

Corriguntur supra dicta §° 21 & 22.

Schema Cycli Solis.

	anno Cycli Solis	Feria Aprilis die 1°	Feria Martii die 1°
B.	28	I	V
	1	II	VI
	2	III	VII
	3	IV	I
B.	4	VI	III
	5	VII	IV
	6	I	V
	7	II	VI
B.	8	IV	I
	9	V	II
	10	VI	III
	11	VII	IV
B.	12	II	VI
	13	III	VII
	14	IV	I
	15	V	II
B.	16	VII	IV
	17	I	V
	18	II	VI
	19	III	VII
B.	20	V	II
	21	VI	III
	22	VII	IV
	23	I	V
B.	24	III	VII
	25	IV	I
	26	V	II
	27	VI	III
B.	28	I	V

Qui describitur in Chronico, in Præfatione, p. 13.

	anni Cycli Solis	Feria Martii die 17°.24°.31°.
B.	1	VII
	2	I
	3	II
	4	III
B.	5	V
	6	VI
	7	VII
	8	I
B.	9	III
	10	IV
	11	V
	12	VI
B.	13	I
	14	II
	15	III
	16	IV
B.	17	VI
	18	VII
	19	I
	20	II
B.	21	IV
	22	V
	23	VI
	24	VII
B.	25	II
	26	III
	27	IV
	28	V
B.	29	VII

Quo utitur Auctor Chronici Paschalis. Vide supra §° 33.

CXLI.

Observationes quædam ad præcedens Schema Solis Cycli.

1ª, Hic Cyclus Solis in Chronico Paſchali exhibetur in Præfatione p. 13, & diſpoſitus eſt in formam τρόχου, ſive *Rotæ*. Ego autem hunc Cyclum diſpoſui in formam Laterculi, incipiens a Cycli anno 28°. Eique a dextris adpoſui annos Cycli Solis, a Cycli anno 1° decurrentes, & horum annorum Epactas, ſive Ferias concurrentes cum Martii die 17°, juxta mentem Auctoris.

2ª, Hæc Rota in editione Pariſ. non edita eſt ea in forma, in qua juxta monitum, quod Rotæ inſcribitur, edi debuiſſet. Tum enim Cycli anni debuiſſent, non in exteriori Rotæ zonâ, ſed extra Rotam collocari; (quemadmodum factum eſt p. 15. in *Rota*, quæ Cyclum Lunæ exhibet) nam in monito legitur, τὰ μὲν ἔξωθεν τοῦ τροχοῦ δηλοῦσιν τὸ πόσοι κύκλοι εἰσίν.

3ª, In monito, quod Rotæ inſcribitur, videntur verba quædam excidiſſe; alias enim monitio imperfecta foret. Verba quæ exciderunt, meo judicio, hæc ſunt, quæ infra lineâ ſubductâ notantur, καὶ τὰ ἔσωθεν τοῦ τροχοῦ δηλοῦσιν τὸ εἰς ποίαν ἡμέραν ἐμβαίνει (Ὁ ΑΠΡΙΛΛΙΟΣ ΜΗΝ. ΚΑΙ Ὁ Γ′ ΤΡΟΧΟΣ, vel ΚΑΙ Ὁ ΕΝΔΟΤΕΡΟΣ ΤΡΟΧΟΣ ΔΗΛΟΙ ΤΟ ΕΙΣ ΠΟΙΑΝ ΗΜΕΡΑΝ ΕΜΒΑΙΝΕΙ) ὁ Μάρτιος μήν. ὅπου ἡ &c. Confer monitum, quod inſcribitur Rotæ, in qua exhibetur Cyclus Lunæ, p. 15.

4ª, Hæc Rota loco ſuo mota eſt, nam Cyclo Lunæ, qui in alia Rota exhibetur, poſtponi debuiſſet; ut liquet ex monito, quod in altera illa Rota legitur.

5ª, Ubinam autem in hac Rotâ, βν° ſeu ſignum Biſſexti erat ἐστιγμαλισμένον, mihi non conſtat; an ſcilicet in exteriori parte ad annos Cycli, an vero in interiori, ut factum eſt in Rota Maximi.

6ª, Huic Rotæ hic titulus ſuperſcribitur: Κύκλος τῆς Ὀκτωκαιεικοσαετηρίδος τοῦ ἡλίου, εἰς ἑαυτὸν ἀνακυκλούμενος, πάντοτε σημαίνων ἐν ἑκάστῳ ἔτει ἐπακτὰς τοῦ ἡλίου.

CLXII.

CXLII.

Corriguntur ante dicta §° 22.

Explicatio Cycli Solis,

Qui in Rota describitur, in editione Paris. p. 13. *& in Schemate, quod §° 140 proposui.*

Rota, prout in edit. Paris. exhibetur, habet, præter signa Bissexti, extra Rotam ad marginem exteriorem collocata, *tres zonas.*

Schema etiam, a me supra §° 140 descriptum, habet, præter signa Bissexti, ad sinistram a latere collocata, *tres columnas.*

Prima Rotæ zona, quæ exterior est, & prima Schematis columna, quæ ad sinistram sita est, exhibet Cycli Solis annos XXVIII.

Secunda Rotæ zona, quæ media est, & secunda Schematis columna, numeratione a sinistra ad dextram instituta, exhibet Ferias concurrentes cum Kalendis mensis Aprilis; hoc ordine, Cycli anno 1°, II. 2°, III. 3°, IV. 4°, V. & sic porro. Vide supra, §° 141°, Observ. 3^{am}. & nota, eandem Feriam, quæ concurrit cum Aprilis die 1°, etiam concurrere, non tantum cum Martii die 25°, sed etiam cum Martii die 18°, quo die Auctor statuit Mundum creatum esse.

Tertia Rotæ zona, quæ interior est, & tertia Schematis columna, a sinistra ad dextram numerata, exhibet Ferias concurrentes cum Kalendis mensis Martii; hoc ordine, Cycli anno 1°, VI. 2°, VII. 3°, I. 4°, III. & sic porro.

Signa Bissexti, quæ Cycli annis apponuntur, indicant in annis illis in mense Februario, qui illas Kalendas Aprilis, & Martii præcedit, insertum fuisse diem Bissextilem, & signant illos Cycli annos, 4^{um} nempe, 8^{um}, 12^{um}, &c. ut Bissextiles.

CXLIII.

Illustrantur & corriguntur, ea quæ dicta erant §° 23.

De hujus Cycli Solis differentia a Cyclo Solis, quo Auctor utitur.

Hunc Cyclum Solis diversum esse ab illo Cyclo Solis, quo Auctor utitur in Chronico in Computo ad inveniendam Feriam in quolibet die dato, certum est, & ex Schemate, quod præcedenti §° 140 proposui, ad oculum videre licet.

Differt enim ratione initii, nam qui in hoc Cyclo 1us, ille in Auctoris Cyclo 2us, Cycli annus numeratur.

Differt præterea in eo, quod hic Cyclus Ferias cum Kalendis Aprilis & Martii concurrentes quidem exhibeat, non autem Ferias cum Martii die 17° concurrentes, quas tamen Auctoris Cyclus exhibet, & quibus Auctor tanquam Epactis utitur.

Non tamen adeo diversus est hic Cyclus ab Auctoris Cyclo, ut quidem antea mihi videbatur.

Nam si 28um hujus Cycli annum pro 1° habeas, prodibit ipse Auctoris Cyclus.

Et, quod attinet Epactas Auctoris, seu Ferias cum Martii die 17° concurrentes, hæ facile dignoscuntur ex Feriis cum Kalendis Aprilis & Martii concurrentibus, præsertim ubi observaveris easdem Ferias, quæ cum Kalendis Aprilis concurrunt, etiam cum Martii die 18°, qui Auctori primus Mundi dies est, concurrere; ac proinde statim per se prodere Ferias cum proxime præcedenti die Martii 17° concurrentes, quæ Auctoris Epactæ sunt.

CXLIV.

Ad illustrationem eorum, quæ supra, §° 27—30, dicta sunt, & in sequentibus dicentur, repetitur Schema Cycli Lunæ, quod in Chronico pag. 15 exhibetur, addito Cyclo Lunæ, quo Auctor in Chronico utitur.

anni Cycli	Pascha Legale	Fundament. Lunæ	anni Cycli	Epactæ Lunæ	Pascha Legale	
19	April. 13.	XXX	1	XXX.o.	April. 13.	
1	April. 2.	XII	2	XI	April. 2.	
2	Mart. 22.	XXIII	3	XXII	Mart. 22.	
3	April. 10.	IV	4	III	April. 10.	
4	Mart. 30.	XV	5	XIV	Mart. 30.	
5	April. 18.	XXVI	6	XXV	April. 18.	
6	April. 7.	VII	7	VI	April. 7.	
7	Mart. 27.	XVIII	8	XVII	Mart. 27.	
8	April. 15.	XXIX	9	XXVIII	April. 15.	
9	April. 4.	X	10	IX	April. 4.	
10	Mart. 24.	XXI	11	XX	Mart. 24.	
11	April. 12.	II	12	I	April. 12.	
12	April. 1.	XIII	13	XII	April. 1.	
13	Mart. 21.	XXIV	14	XXIII	Mart. 21.	
14	April. 9.	V	15	IV	April. 9.	
15	Mart. 29.	XVI	16	XV	Mart. 29.	
16	April. 17.	XXVII	17	XXVI	April. 17.	p. 288.
17	April. 5.	VIII	18	VII	April. 5.	. . 6.
18	Mart. 25.	XIX	19	XVIII	Mart. 25.	. 26.
19	April. 13.	XXX	1	XXX	April. 13.	
	sive Luna XIV Paschal.	sive Ætas Lunæ in Kal. Januarii		sive Ætas Lunæ Prid. Kal. Martii	sive Luna XIV^a^ Paschalis	

Qui describitur in Chronico, in Præfatione p. 15.

Quo Auctor Chronici Paschalis ipse utitur. Vide supra §° 36.

CXLV.

Illustrantur & corriguntur ea, quæ dicta erant §° 29. De hujus Cycli Lunæ differentia ab illo Lunæ Cyclo, quo Auctor utitur.

Hunc Cyclum Lunæ diversum esse ab illo, quo Auctor utitur in Chronico in Computo suo Lunari, & qui exhibetur in illis Schematibus, quæ reperiuntur p. 197, & 288, certum est, & ex Schemate, quod præced. §° 144 proposui, ad oculum videre licet.

Differt enim ratione initii; nam qui in hoc Cyclo 1us, ille in Auctoris Cyclo 2us Cycli annus numeratur.

Differt præterea in eo, quod hic Cyclus ætatem Lunæ in Kalendis Januarii quidem exhibeat, & hanc pro fundamento Lunæ habeat, non autem ætatem Lunæ in pridie Kal. Martii, quam tamen Auctoris Cyclus exhibet, & quâ Auctor tanquam Epactis utitur.

Non tamen adeo diversus est hic Cyclus ab Auctoris Cyclo, ut quidem antea mihi videbatur.

Nam, si 19um hujus Cycli annum pro 1° habeas, prodibit ipse Auctoris Cyclus.

Et, quod attinet Epactas Auctoris, seu ætates Lunæ in pridie Kalendas Martias, hæ facile dignoscuntur ex ætate Lunæ in Kalendis Januarii: præsertim ubi observaveris Lunam eandem ætatem, quam habet in Kalendis Januarii, etiam habere in Kalendis Martii; ac proinde ætatem Lunæ in Kalendis Januarii, quæ eadem est in Kalendis Martii, statim per se prodere ætatem Lunæ in die qui illas Kalendas Martias proxime præcedit, qui dies Epactarum Auctoris locus proprius est.

Accedit etiam conformitas in Saltu Lunæ, qui utriusque Cycli anno 19° inseritur: unde etiam circa computum Lunæ XIVæ Paschalis, in utroque Cyclo, idem incommodum oritur, in hoc quidem Cyclo in tribus ultimis annis, 17° scilicet, 18°, & 19°, in Auctoris autem Cyclo, in duobus ultimis Cycli annis, 18° scilicet & 19°. Cycli enim decemnovalis Alexandrinorum annus 19us, cui Saltus Lunæ inseritur, est hujus quidem Cycli annus 16us, Cycli autem Auctoris annus 17us. Unde etiam in hoc Cyclo, anno Cycli 16°, in illo autem Auctoris Cyclo, anno Cycli 17° Saltus Lunæ inseri debuisset. Quod dum

non

non fit, ſed in utroque Cyclo Saltus Lunæ inſertio differtur ad Cycli annum 19um, illa dilatio efficit, ut in ſupradictis illis utriusque Cycli annis Lunæ XIVæ Paſchales non prodantur in illis menſium diebus, quibus in Cyclo decemnovali Alexandrinorum affixæ erant, ſed uno die protrudantur: cujus veſtigium apparet in illo Schemate Cycli Auctoris, quod reperitur in Chronico p. 288. Vide ſupra §° 36 & 38. impr. infra. §° 150.

CXLVI.

Corriguntur, quæ dicta erant, ſupra §° 30. Conjectura de his Cyclis, Solis & Lunæ, qui in Chronico exhibentur p. 13 & 15.

1°, Conjecturam de his Cyclis, quam ſupra, §° 30, propoſui, quæque ex erroneo conceptu de illo Solis Cyclo imprimis orta erat, nunc rejicio. Quia, poſtquam naturam illius Solis Cycli melius perſpexi, majorem convenientiam deprehendi inter hos Cyclos, tam Solis, quam Lunæ, & illos, quibus Auctor in Chronico utitur. Vide quæ dixi ſupra §° 143 & 145.

2°, Nullus dubito, quin duo hi Cycli ſint illorum, qui eam a Mundo Condito Æram inſtituerunt, quæ habet in Mundi anno 1° Indictionem Iam, & quæ vulgo Conſtantinopolitana dicitur, & a Theophane (quia Conſtantinopolis *Roma nova* appellabatur,) *ſecundum Romanos* vocatur; quique illum Lunæ Cyclum ordinarunt, cujus annus 1us habet Lunam XIVam Paſchalem in Aprilis die 2°, quemque Dionyſius Abbas, paucis mutatis, adeptavit, &, contradiſtincte ad Cyclum decemnovalem Alexandrinorum, *Cyclum Lunarem* vocat; & qui præterea illum Solis Cyclum inſtituerunt, in quo Cycli annus 1us concurrit cum Cycli Solis Alexandrinorum anno 13°, ſeu qui habet Lit. Dom. F. poſt A. G. ſive, qui concurrit cum Cycli Solis, qui Periodo Julianæ innectitur anno 18°. Quæ omnia ab his Computiſtis ita ordinata & inſtituta erant, eum in finem, ut quivis Æræ hujus Mundanæ annus datus, per 28, 19, & 15 diviſus, proderet Cycli Solis, Lunæ, & Indictionis annum labentem: quod ultimum imprimis obtinere voluerunt, eumque in finem Æræ Aniani & Panodori Mundanæ, quæ in Mundi anno 1° habebat Indictionem 2dam, annos 16 adjecerunt, eamque tot an-

nis prævertunt. Quo facto, coacti fuerunt initia Cycli Solis & Lunæ jam recepta & in Æra Aniani & Panodori servata & adhibita, mutare, & Cycli Solis Alexandrinorum annum 13um assumere pro sui Cycli Solis anno 1°, & Cycli Lunæ Alexandrinorum annum 4um adhibere pro sui Cycli Lunæ anno 1°. Et hæc est vera atque unica ratio, cur hi Cycli Solis & Lunæ hæc obtineant initia.

3°, Eandem hanc Æram cum his Cyclis illi innexis adhibuerunt quoque illi Computistæ, qui οἱ πενταπλοῦντες καὶ ἑξαπλοῦντες Maximo vocantur, & quos Petavius *Undecuplatores* appellat, & de quibus Maximus in Computo suo variis in locis agit. Sed hi non fuere hujus Æræ & Cyclorum illi innexorum primi Auctores. Quod patet ex eorum Computo sexagesimali, cui illa ἑξάπλωσις καὶ πεντάπλωσις inserviebat, qui recentioris ævi est, & quem in finem quoque in suo Lunæ Cyclo saltum Lunæ inseruerunt Cycli anno 11°, quo fit ut inde a Cycli anno 12° inclusive usque ad annum Cycli 19um, vel potius 16um, inclusive ætates Lunæ in Kalendis Januarii in suo Cyclo unitate majores habeant, quam in illo Lunæ Cyclo, qui in Chronico p. 15 describitur, reperiuntur.

4°, Dionysius, ut jam monui, hunc Lunæ Cyclum, qui huic Æræ innectitur, adoptavit, quum Cyclum suum Paschalem XCV annorum ederet anno Æræ Christi Vulg. 525°. Unde merito concludere licet, quod hi Computistæ, qui hanc Æram Mundanam, cum his Cyclis huic Æræ innexis, primitus constituerunt, Dionysio fuerint antiquiores. Non enim ipse Dionysius hujus Cycli Lunaris primus inventor fuit; quia nulla ratio excogitari potest, cur non, si ipse ejus inventor fuisset, hunc Cyclum suum Lunarem incepisset ab illo, qui nunc Cycli 19us annus est, & in Kalendis Januarii habet Lunam 1am seu Neomeniam: Accedit, quod in Cyclo suo Lunari saltum Lunæ Cycli anno 16° inserit, ut hunc inflecteret ad Cyclum decemnovalem Alexandrinorum, qui Cyclo XCV annorum, quem edebat, Cyclus ipsius capitalis erat. Alia nunc non addo.

5°, Usus itaque hujus Æræ, & Cyclorum huic Æræ innexorum, ut ex præmissis patet, jam satis antiquus erat, & apud eos, qui hos Computistas sequebantur, jam satis invaluerat, quando Auctor hoc Chronicon Paschale edebat.

6°, Accedit, quod Æra Auctoris Chronici Paschalis hanc Æram, & initia horum Cyclorum tantum uno anno prævertebat; &, quod hi Cycli, ut vidimus supra §° 143 & 145. facile ita inflecti possint, ut inde illi, quibus Auctor utitur, prodeant.

7°, Hinc

7°, Hinc puto Auctorem hos Cyclos in præfatione sui Chronici præmisisse, tam in suum usum, quam in usum aliorum, qui alteri Æræ his Cyclis illi innexis assueti erant, ut fundamenta seu documenta sui Computi Paschalis.

8°, Quo facit etiam illa distinctio annorum in Cyclo Lunæ, quo unus idemque annus, exempli gratia, annus in Cyclo Lunæ, quo utitur, 2us vocatur annus φύσει quidem 1us, θέσει autem 2us. De quo §° 42 & 164.

CXLVII.

CURÆ TERTIÆ,

Ad Chronicon Paschale.

Observationes præcedentes perlegere cœpi, ut erronea corrigerem, obscurius dicta illustrarem, & novas observationes adjicerem.

CXLVIII.

De Cyclo Solis, *quo Auctor utitur.*

De hoc Cyclo Solis jam supra egi variis in locis, nempe §° 15, N° 2, a. §° 25, 26. §° 33, 34, 35. §. 41. §° 140–43.

Æra, qua Auctor utitur, est Æra Mundana quæ a Mundo Condito initium sumit: anni in hac Æra Mundi, omnes & singuli, incunt ab Æquinoctio verno in Martii die 21°.

Annus Mundi in hac Æra primus, init a Mundi die 4°, in quo *luminaria* creata sunt, adeoque a Feria IVa, (Mundus enim conditus die Dominica, seu Feria Ia).

Annus Mundi in hac Æra primus est primus quoque ab anno revera Bissextili dierum 366. (Habuit enim in præcedenti Februario proleptico diem Bissextilem insertum, ante initium anni a die Martii 21° ineuntis.)

Cyclus Solis, quo Auctor utitur, omnium primus initium sumit, una cum anno Mundi 1°, in die Mundi 4°, in quo Sol & reliqua luminaria creata sunt.

Anni

Anni Cycli Solis omnes & ſinguli, una cum annis Mundi, ineunt ab Æquinoctio verno, in die Martii 21°, & cum annis Mundi pari paſſu ambulant.

Annus Cycli Solis primus ſemper init a Feria IVa.

Annus Cycli Solis primus, quia antequam iniret, habuerat in præcedenti Februario diem Biſſextilem, ſemper quoque primus eſt ab anno revera Biſſextili, dierum 366. Licet, more Computiſtis ſolito, ipſi anno primo Nota Biſſexti apponatur, & ſic annus 1us ut Biſſextilis ſignetur.

Cyclus Solis, quia ejus annus primus init a Feria IVa, habet in Computo Solari, ad Feriam indagandam, *Catholicas* ſeu *Regulares tres*, quas Auctor ingenioſe vocat πρὸ φωστήρων, *anteluminares*, quia in primo Mundi anno ante Feriam IVam in qua luminaria creata ſunt, tres dies a primo Mundi die, quæ Dominica fuit, effluxerant. Vide Diſſ. noſtram de Computo Solari in genere.

Epactæ hujus Cycli Solis affixæ ſunt diei Martii 17°, & exprimunt Feriam in illo die.

Hæ Epactæ ſunt Epactæ ſimplices & proprie dictæ. Vide eandem Diſſertationem de Computo Solari in genere.

Progrediuntur hoc ordine, VII. I. II. III. V. &c., & anno Cycli 5°, 9° &c. binario creſcunt: & ſic indicant annum Cycli 4um, 8um &c. eſſe revera Biſſextilem, dierum 366. Vide ſupra §° 33, 140.

Monitum Auctoris p. 14a, annum primi Cycli Solis primum *nullas Epactas habere*, annum vero ſecundi, tertii &c. Cycli Solis primum VII Epactas habere, nullius momenti eſt: nam licet verum ſit, in Mundi anno primo nullam diem κατὰ φύσιν præceſſiſſe diem Martii 18um, quo Mundus conditus eſt, tamen technice & in Computo Solari ad indagandam Feriam, æque Cycli primi anno primo dari poſſunt Epactæ VII, eæque affigi diei Martii 17°, Mundi Conditi primum diem immediate præcedenti, ac anno primo ſequentium Cyclorum idque tanto magis, quia in Computo plane eodem redit ſive anno Cycli huic vel illi dentur Epactæ VII, ſive nullæ, cum in omnibus illis annis dies Mart. 18us, æque ac in anno Mundi 1°, cadat in Dominicam.

Obſervationes.

1a, Nota eandem Feriam, quæ concurrit cum die Martii 17°, etiam concurrere cum die Martii 24°, cui *concurrentes Dionyſii* alligantur, & cum die Martii 31°, cui *Epactæ Maximi* affixæ ſunt.

2a, Nota

2ª, Nota hunc Cyclum præſupponere in die præcedentis Januarii 1°, Feriam I^{am}, & in præcedenti die Martii 1°, Feriam V^{am}, & prodere in ſequentis Aprilis die Feriam I^{am}, quas Ferias in illorum menſium diebus habet annus 28^{us} illius Cycli Solis, quem Auctor exhibet in præfatione Chronici ſui p. 13ª.

3ª, Nota hunc Cyclum præſupponere in præcedentis Sept. die 1°, Feriam V^{am}.

4ª, Nota hunc Cyclum præſupponere in præcedentis menſis Ægyptiorum Thoth die 1°, qui in diem Auguſti 30^{um} incurrit, Feriam III^{am}.

5ª, Nota hunc Cyclum initium ducere ab illo die Mundi & ab illa Feria, in quo & in qua γένεσις φωστήρων contigit, & Sol curſum ſuum cœpit, & propterea ab Auctore appellari τὴν κατὰ φύσιν ὀκτωκαιεικοσαετηρίδα τοῦ ἡλίου, p. 12ª.

6ª, Nota hunc Cyclum initium ducere ab Æquinoctio verno, in die Martii 21°, quod itidem, ut videtur, juxta receptam opinionem, κατὰ φύσιν erat.

7ª, Nota hunc Cyclum initium ducere ab anno poſt annum Biſſextilem primo, quod etiam κατὰ φύσιν erat.

8ª, Nota, hunc Cyclum Æræ Auctoris Mundanæ naturaliter innexum eſſe. Vide Diſſ. de Computo Solari in genere.

CXLIX.

De Computo Solari ad Feriam indagandam, quo Auctor utitur.

De hoc Computo ſatis diſtincte egi ſupra §° 43—50.

Nunc tantum obſervo

1°, Hunc Computum eſſe ſimpliciſſimum, & nihil habere ſingulare, præter illud compendium calculi, de quo egi ſupra §° 49.

2°, Ex hoc Solo Computo ea omnia deduci poſſe, quæ ſupra §° 148 notavi. Confer Diſſ. noſtram de Computo Solari in genere.

C L.

Dubium circa Epactas & Lunas XIV^as, anno Cycli 18° & 19°, distinctius solvitur ad illustrandum §^um 38.

Ad illud dubium, quod supra §° 38 proposui, & examinavi, respondendum est cum distinctione.

1°, Quod attinet Epactas,

Dico illas debere uniformiter procedere ab anno Cycli 1° usque ad annum Cycli 19^um, ita ut nullus in iis Saltus Lunæ appareat: adeoque Epactas in Cyclis, qui p. 197 & p. 288 exhibentur, etiam anno Cycli 18 & 19, recte notatas esse.

Confer Epactas Cycli Lunaris, quem *Undecuplatores* in suo calculo supponebant, quas exhibeo, & de quibus ago in Observationibus ad Comp. Pasch. S. Maximi §° 68.

Confer Epactas Cycli Lunaris, quas Beda calculo invenit, ad prodendam ætatem Lunæ in Kal. Jan., Libro de Natura rerum & Temp. ratione C. 57. & nostras observationes ad Cyclum Lunarem Dionysii & Bedæ, §° 45.

Confer imprimis Schema Cycli Lunaris, ab Auctore exhibitum p. 15.

Confer denique fundamentum Lunæ (licet ex hypothesi semper binario majus) in Κανονίῳ, quod Isaacus Argyrus exhibet, in suo Computo C. 10. p. 371.

Constructores autem hujus Cycli Lunaris rem ita ordinarunt, ut facilitas & uniformitas in calculo ad inveniendas Epactas, servaretur.

Cum tacita, implicita, vel expressa cautela, *memento, anno Cycli hic 18° & 19°*, in calculo ad inveniendam ætatem Lunæ, *unitatem semper adjiciendam esse.* Ut l. c. apud Bedam fit.

Proinde in Schemate, quod supra §° 36 proposui, anno Cycli 18°, non VIII, sed VII, & anno 19°, non XIX, sed XVIII Epactas adscribere debuissem.

2°, Quod attinet Lunas XIV^as,

Dico illas (nec non Neomenias, &c.) suo loco notandas, & recte exhibendas esse, ita ut in earum progressu *Saltus Lunæ* suo loco insertus appareat.

Adeoque in Schemate, quod §° 36 proposui, & Auctori attribuo, Lunas

Lunas XIV^as^ recte & suo loco notatas esse ad annum Cycli 18^um^ & 19^um^, ita ut inde appareat Saltum Lunæ anno Cycli 17° (qui cum anno Cycli decemn. Alexandr. 19° concurrit) insertum esse.

Ita enim quoque in Cyclo Lunæ, qui ab Auctore p. 15 exhibetur, ut & in Κανονίῳ apud Isaacum Argyrum C. 10. pag. 371 proposito, Lunæ XIV^æ^ recte & suo loco notantur in anno illius Cycli Lunaris 17°, 18°, & 19°, ita ut inde appareat anno illius Cycli Lunæ 16° (qui cum anno Cycli decemn. Alexandr. 19° concurrit) Saltum Lunæ suo loco insertum esse.

Et, quod adhuc magis stringit, Auctor in suo, quem p. 197 proponit, Cyclo, ætates Lunæ in Kal. Sept. ita disposuit, & anno Cycli sui 18° & 19° ita adscripsit, ut inde appareat, Saltum Lunæ suo loco anno Cycli 17° insertum esse.

Unde concludo, in Cyclo, p. 288 ab Auctore proposito, in Lunis XIV^tis^ anni 18^vi^ & 19^ni^ exprimendis errorem irrepsisse; non tam a manu sculptoris, quam scioli cujusdem Critici aut Computistæ: adeoque pro Apr. 6 & Mart. 26 legendum esse Apr. 5 & Mart. 25.

C L I.

De Cyclo Lunæ, *quo Auctor utitur.*

De hoc Cyclo jam in præcedentibus egi §° 36—42. §° 51—66. §° 15, N° 2, b. §° 92—99. §° 144, 45. §° 150.

Quædam tamen ad illustrationem eorum, quæ ante dicta sunt, & ad distinctiorem hujus Cycli cognitionem addenda sunt.

Quod faciam per Capita.

C L I I.

De hujus Cycli initio.

Certum est Mundi annum 1^um^ esse quoque primi Cycli Lunæ annum 1^um^.

Certum quoque est primum Cycli Lunæ annum esse illum, qui habet Neomeniam Paschalem in die Martii 31°, & Lunam XIV^am^ in die Aprilis 13°.

Certum denique eſt annum primi Cycli Lunæ primum incipere (una cum anno in Æra Auctoris Mundana primo, & cum anno primi Cycli Solis primo) in Mundi die 4°, in quo *luminaria*, Sol, Luna & Sydera creata ſunt, ab Æquinoctio verno, in die Martii 21°. Id enim Auctor expreſſe dicit p. 12. A. Cyclum ſuum Lunæ, æque ac Solis initium ſumere cum ipſa γενέσει τῶν φωστήρων, & propterea ipſi vocatur ἡ κατὰ φύσιν ἐννεακαιδεκαέτηρις.

Sed, quod antea non ita animadverteram, cum in die Mundi 4°, in Æquinoctio in die Martii 21°, ſit, juxta Auctoris Computum, Luna XXIª, & cum Cyclus Lunæ poſt XIX annos evolutos, eandem Lunam in eundem Solaris anni diem reducat, hinc ſequitur

1°, Quod non tantum primi Cycli, ſed & ſequentium omnium Cyclorum annus primus ineat ab Æquinoctio vernali in die Martii 21°, una cum anno Solari naturali, ſeu cum anno in Æra Auctoris Mundana, & quidem, NB, *non a Neomenia*, *ſed a Luna XXIª*.

2°, Quod anni in Auctoris Cyclo Lunæ omnes & ſinguli ineant ab Æquinoctio in die Martii 21°, *a Luna quacunque in diem illum incurrente*, æque ac anni in Cyclo Solis, omnes & ſinguli, ineunt, una cum annis Mundi, ab eodem Martii die 21° a Feria quacunque in illum diem incidente.

3°, Quod anni in Auctoris Cyclo Lunæ, æque ac in ejus Cyclo Solis, omnes & ſinguli, *pari paſſu ambulent*, *& ejusdem quantitatis ſint cum annis Mundi*, cum hac tantum differentia, quod in annis Cycli Lunæ dies Biſſextiles non numerentur, licet tacite conſiderentur, adeoque in hoc concurſu Februarius ſemper conſideretur dierum tantum 28.

Hoc inſolens videri poteſt, & revera eſt, Computiſtæ enim ſolent rem aliter concipere. Sed non ita incongruum eſt, ut primo obtuitu videtur.

Nam in Computo Lunari proprie non ſpectatur curſus Lunæ, ſed ejus diſcurſus per omnes anni Solaris dies, & inprimis per menſis Martii & Aprilis dies.

Præterea in Computo perinde eſt ſive res hoc modo, ut Auctor facit, ſive alio modo, ut Computiſtæ ſolent, concipiatur: plane enim eodem modo in Computo Lunari, ad ætatem Lunæ in aliquo Solaris anni die, indagandam, procedendum eſt. Et conſtitutio ac diſpoſitio Cycli Lunaris XIX annorum Lunarium, cum ſuis Neomeniis, & menſibus Embolimis præſupponitur, & ut cognita ſupponitur.

Qualem autem Cyclum Lunarem Auctor præſupponat, hoc ex ejus Com-

Computo Lunari determinandum eſt, imprimis ex Epactis & Catholicis, quibus utitur in Computo ad annos, in Cyclo ſuo a Luna quacunque in die Martii 21° ineuntes, ad Neomeniam reducendos, ſine quo Ætas Lunæ in die dato deprehendi non poteſt. Qua de re mox agam. §° 157 & ſeqq.

Præterea hoc determinari poteſt ex collatione illius Cycli Lunæ, cujus Schema Auctor exhibet p. 15. Qua de re jam aliquid dixi, ſupra §° 141, 45. Sed plura addam in ſequentibus.

Ne autem aliquem offendant inſolitæ illæ, ac duriores, quibus uſi ſumus, locutiones, videlicet, *annos in Auctoris Cyclo Lunæ omnes & ſingulos inire a fixo Solaris anni die Martii* 21°, *a Luna quacunque in illum diem incurrente*, & imprimis illa, *annos in Auctoris Cyclo Lunæ omnes & ſingulos pari paſſu ambulare cum annis Solaribus, quibus Auctor in Æra ſua Mundana utitur*, *& eſſe cum illis ejusdem quantitatis*, *hoc eſt*, non numeratis diebus Biſſextilibus, *dierum* 365. Et ne propterea hunc concipiendi modum rejiciat, quia hoc modo anni Lunares videantur cum annis Solaribus confundi, imo in annos Solares converti. Neceſſarium erit, ut hæc ulterius explicentur. Quod faciam paragrapho ſequenti.

CLIII.

Quæ de initio hujus Cycli Lunæ dicta ſunt §° 152 *ulterius explicantur.*

In utroque conceptu conſideratur & præſupponitur Cyclus Lunaris, XIX annorum Lunæ Solarium, qui cum totidem annis Solaribus, (qui hic ex hypotheſi Auctoris ſemper ineunt, non a Januario, neque a Sept. ſed ab Æquinoctio verno, in die Martii 21°) paria faciunt: & in horum annorum Lunarium & Solarium concurſu conſideratur & præſupponitur, & ut cognitum aſſumitur, primo quota Luna reperiatur in primo die primi anni Solaris, quæ hic eſt Luna XXI^{a}, unde oriuntur *Catholicæ* ſeu *Regulares XX*, tot enim diebus illa Lunatio, quæ in primo Cycli Lunæ anno, initium anni Solaris immediate præcedit, illud initium ſeu primum diem anni Solaris, Martii 21^{um} prævertit. Secundo, quænam ſit quantitas anni Lunaris communis & Embolimæi, ex cujus comparatione cum anno Solari dierum 365, oriuntur Epactæ undenariæ, quæ anno Cycli 1° ordinario ſtatuuntur nullæ,

ſed ab Auctore ponuntur XXX, quod tamen in Computo Lunari eodem redit, de quo infra agam §° 155. De Saltu Lunæ, ſive anno defectivo hic non loquor, quia ad rem de qua hic agitur, nihil facit.

Computus Lunaris his principiis nititur, & in genere inſervit ad ætatem Lunæ indagandam, ſive ad deprehendendum quota Luna ſit, per omnes & ſingulos anni Solaris dies, ſpatio XIX annorum.

Hic Computus Lunaris dupliciter conſiderari poteſt.

Ut hoc clarius reddatur, loquemur de aureo numero, vel aureis numeris, ac ſi jam eo tempore in uſu fuiſſent.

Computus Lunaris, primo modo conſideratus, inquirit quomodo aurei numeri in Kalendario, iis vacuo, notandi ſint, ſive inquirit quibus in anno Solari diebus, per ſpatium XIX annorum, Neomeniæ affigendæ ſint in Kalendario. Unde Ætas Lunæ in cujuslibet anni quolibet die cognoſcitur, & figitur.

Et hi Computiſtæ nomen Cycli Lunæ dant illi Cyclo XIX annorum Lunarium, ſemper a Neomenia incipientium, cujus ope hoc inquirunt, & efficiunt.

Computus Lunaris alio modo conſideratus, concipit, ut ita loquar, Kalendarium, aureis numeris, ope illius Cycli, jam inſignitum, per ſpatium XIX annorum: & illi ſpatio XIX annorum Solarium, in cujus annis ſingulis Luna (prout aurei numeri docent & produnt) per omnes anni Solaris dies, diverſimode diſcurrit, donec illo ſpatio XIX annorum Solarium evoluto, illius diſcurſus Lunæ ἀποκατάστασις fiat, & anno Solari 20° ineunte eadem Luna redeat ad primum anni Solaris diem, quota ante XIX annos in illo die fuerat, ad ſimilem diſcurſum denuo redintegrandum, illi, inquam, ſpatio XIX annorum Solarium in relatione ad hunc Lunæ diſcurſum, etiam dari poteſt, quod Auctor facit, nomen Cycli Lunæ, & anni hujus Cycli Lunæ ita concipi poſſunt, ut §° præcedenti vidimus. Computus autem Lunaris, qui hic peragitur, inquirit & explorat quaſi, an aurei numeri recte & ſuis locis notati ſint: & ſic revera ætatem Lunæ inquirit.

Hoc exemplo Cycli Solis porro illuſtrari poteſt. Modo dies Dominicas a quibus hebdomades initium ducunt, conſideres in Cyclo Solis ad inſtar Neomeniarum in Cyclo Lunæ, & annum Solis concipias etiam ac ſi conſtaret LII vel LIII hebdomadibus, ad inſtar anni Lunaris, qui XII vel XIII menſibus Lunaribus conſtat.

Conſideratur & præſupponitur quoque hic Cyclus Solis XXVIII annorum

norum hebdomadicorum, qui cum totidem annis Solaribus (hic ex hypothesi Auctoris a die Martii 21° ineuntibus, paria faciunt: & in horum annorum hebdomadicorum & Solarium concursu consideratur & præsupponitur, & ut cognitum assumitur, primo quota Feria reperiatur in primo die primi anni Solaris, quæ hic est quarta, unde oriuntur Catholicæ seu Regulares III., tot enim diebus illa hebdomas, seu ejus Dominica dies quæ in primo Cycli Solis anno, initium anni Solaris immediate præcedit, primum illius anni Solaris diem, Martii 21um prævertit: Secundo quænam sit quantitas anni Solis hebdomadici, tam LII, quam LIII hebdomadum, ex cujus comparatione cum anno Solari, qui ordinario dierum 365, & unoquoque anno quarto dierum 366 est, oriuntur Epactæ Solis, quæ anno Cycli 1° statuuntur nullæ vel VII, quod in Computo Solari eodem redit. Non moneo hic, etiam de primo Cycli anno, ut cognitum assumi quotus sit ab anno Bissextili proxime transacto, quia ad rem, de qua agitur, nihil facit.

Computus Solaris his principiis nititur, & in genere inservit ad indagandam Feriam, sive ad deprehendendum quota Feria Septimanæ sit, per omnes & singulos anni Solaris dies, spatio XXVIII annorum.

Hic Computus Solaris quoque dupliciter considerari potest.

Ut hoc clarius reddatur, loquemur de Literis Dominicalibus, ac si jam eo tempore in usu fuissent.

Computus Solaris primo modo consideratus, inquirit, quomodo Literæ Dominicales in Kalendario, iis vacuo, notandæ sint, sive inquirit, quibus in anni Solaris diebus, per spatium XXVIII annorum, Litera Dominicalis, quæ diem Dominicam prodit, affigenda sit, sive in quos anni Solaris dies Dominica dies seu Feria Ia incurrat.

Et huic Cyclo XXVIII annorum hebdomadicorum, semper a die Dominica incipientium, cujus ope hoc inquirunt & efficiunt, nomen Cycli Solis dari posset, quod tamen Computistæ, quantum hactenus animadvertere potui, non faciunt.

Computus Solaris alio modo consideratus, concipit, ut ita loquar, Kalendarium Literis Dominicalibus, ope illius Cycli, jam insignitum, per spatium XXVIII annorum. Et illi spatio XXVIII annorum Solarium, in cujus annis singulis Feriæ (prout Literæ Dominicales docent & produnt) per omnes anni Solaris dies, diversimode discurrunt, donec illo spatio XXVIII annorum Solarium evoluto, eædem Feriæ & eodem ordine redeant, & similis Feriarum discursus redintegretur in sequentibus 28 Solaribus annis, illi, inquam, spatio XXVIII annorum Solarium, in

in relatione ad hunc Feriarum diſcurſum, a Computiſtis nomen Cycli Solis dari ſolet, & annos in hoc Cyclo ita concipere ſolent, ut ineuntes omnes & ſingulos a Feria quacunque in die anni Solaris primo, qui hic eſt Martii 21us, & ut cum annis Solaribus pari paſſu ambulantes, &, numeratis etiam diebus Biſſextilibus, eandem quantitatem habentibus. Computus autem Solaris, qui hic peragitur, inquirit & explorat quaſi, an Literæ Dominicales recte & ſuis locis diſpoſitæ ſint: Quod revera idem eſt ac Feriam inquirere in anno, & ejus die dato.

C L I V.

Alius conceptus de initio annorum in Cyclo Lunæ proponitur & rejicitur.

Si quis concedat, ex iis, quæ Auctor p. 12 dicit, patere, quod annus Cyclorum Lunæ primus ſemper ineat ab Æquinoctio verno in die Martii 21°, a Luna XXIa.

Sed neget inde ſequi, quod reliqui anni in Cyclo Lunæ, quoque ineant ab Æquinoctio in die Martii 21°, a Luna quacunque in illum diem incurrente.

Et contra contendat, quod reliqui anni in Cyclo Lunæ ineant omnes, æque ac primus, a Luna XXIa, ſed a die anni Solaris quocunque, diem Æquinoctii præcedente, in quem illa Luna XXIa incurrit.

Tum oriretur tale Schema Cycli Lunæ, in quo anni omnes & ſinguli ineunt a Luna XXIa.

annus Cycli	init		
1us	Mart. 21.	Luna	XXIa
2us	Mart. 10.	——	XXIa
3us	Febr. 27.	——	XXIa
4us	Mart. 18.	——	XXIa
5us	Mart. 7.	——	XXIa
6us	Febr. 24.	——	XXIa

& ſic porro.

Hic

Hic conceptus ex Computo Auctoris Lunari refelli non poteſt: Computus enim hoc conceptu admiſſo etiam rite procedit.

Neque hoc mirum, cum etiam, ut vidimus ſupra §° 152, in Computo perinde ſit, ſive anni in Cyclo Lunæ concipiantur ut ineuntes ſemper a Neomenia, quæ Æquinoctium adminimum diebus 20 præcedit, in quemcunque Februarii diem incidat, ſive concipiantur, ut ineuntes ſemper ab Æquinoctio in die Martii 21°, a quacunque Luna in illum diem incurrente.

Sed refellitur hic conceptus ex ipſa rei natura, & iis, quæ ſupra §° 153 dicta ſunt: alteruter enim modus naturaliter eligendus videtur: & quia ordinarius eligi non poteſt, alter eligi debet, cujus exemplum in Cyclo Solis habemus: præſertim cum nihil ab Auctore, quantum mihi conſtat, dicatur, quo hic conceptus probari, & hoc Schema confirmari poſſit.

C L V.

De Epactis Lunæ in hoc Cyclo.

De iis ſupra variis in locis jam egi; loca §° 148, inter ea, quæ ibi notantur, inveniri poſſunt.

Nunc autem

1°, Quæritur an Auctor primi Cycli ſui anno primo det Epactas nullas?

Ad hanc quæſtionem ſupra affirmative reſpondi, idque deduxi ex monito de Cyclo Solis, p. 14, ubi expreſſe dicit primi Cycli Solis annum primum habere *Epactas nullas*, & talem addit rationem, unde mihi videbatur id merito quoque concludi de Cyclo Lunæ. Præterea id ex Computo confirmare ſtudui, ſupra §° 57.

Nunc autem ea de re dubito, quia Auctor de Cyclo Lunæ hoc, ne verbo quidem, monet, quod tamen videtur fieri debuiſſe, ſi idem in Cyclo Lunæ obtineret. Et quod attinet Computum, ex eo, ſi recte conſideretur, illud probari non poteſt; ille enim æque probaret ſecundi Cycli anno 1° nullas Epactas dari.

Sed, quicquid hac de re ſit, quia primum Cyclum tantum concernit, non eſt magni momenti.

2°, Quæritur, an Auctor reliquorum Cyclorum annis primis, adeoque ordinario anno Cycli Lunæ 1° det Epactas XXX.

Ad hanc quæſtionem nunc, ut antea, affirmative reſpondeo, quia,

ut etiam antea monui, Auctor in Schemate Cycli sui Lunæ, quod p. 197 & 288 proponit, expresse anno Cycli 1° Epactas XXX adscribit; & in Computo Lunari anni Cycli 1^mi, & quidem ad inveniendam Lunam XIV, iis utitur, & invenit numerum LXXIV, a quo duo menses, dierum XXX, auferendi sunt, p. 75.

3°, Quæritur, cur anno Cycli 1° det Epactas XXX.

Respondeo breviter, quia Auctor voluit in Computo annum Cycli sui 1^um, qui a Martii 21° die init, & qui ope Catholicarum XX reducitur ad Neomeniam in die Martii 1°, per harum XXX Epactarum adjectionem, porro reducere ad Neomeniam in die Januarii 30°. Et hoc modo ostendere in Computo suo præsupponi Cyclum XIX annorum Lunarium, quorum 1^us init a Neomenia in die Januarii 30°. Cur autem voluerit hunc Cyclum ab illa Neomenia Jan. 30, & non a Neomenia Mart. 1, initium ducere, hoc patebit ex iis, quæ dicentur infra §° 157 & seqq.

4°, Quæritur, an Epactæ Auctoris sint Epactæ simplices?

Respondeo esse simplices, non enim componuntur, neque cum Catholicis, quæ hic sunt XX, & separatim adjiciuntur, neque cum die Kalendarum Martiarum, quemadmodum fit in Epactis, quæ fundamentum Lunæ vocantur, in Cyclo Lunæ qui exhibetur p. 15.

5°, Quæritur an sint Epactæ proprie dictæ?

Respondeo, si excipias, quod anno Cycli 1° non dentur nullæ sed XXX Epactæ (quod tamen in Computo eodem redit, modo observetur quantitas mensis Lunaris, qui sequitur) & si observes Epactas in anno Cycli 18° & 19°, facilioris calculi gratia in Epactarum inventione, esse unitate minores, quam Saltus Lunæ, qui anno 17° revera, sed tacite insertus est, requirit, nihil video, quominus Epactæ proprie dictæ vocari possunt, cum ex Sola comparatione anni Solaris, dierum 365, cum anno Lunari, ubi defectus est XI dierum, oriantur, & ut dies adjectiles considerentur, & adhibeantur.

6°, Quæritur, cui diei Epactæ Auctoris affixæ sint?

Respondeo, ut antea, absque hæsitatione, affixas esse diei Februarii ultimo seu 28°, nam in anno Cycli 1° Catholicæ, XX, eum annum, incipientem a die Martii 21°, reducunt ad Martii 1^um.

7°, Quæritur, an exprimant ætatem Lunæ in die Februarii 28°?

Respondeo, hoc ex præcedentibus sequi, & in iis, quæ supra hoc ipso §°, N° 3° dicta sunt, supponi.

Hujus autem positionis consectarium est, *NB.*

1°, In

1°, In die Febr. 28°, in anno Cycli 1°, esse Lunam XXX^am^ & per consequens in die Januarii 30° esse Lunam I^am^, seu Neomeniam.

2°, Lunam, quæ in anno Cycli 1° hanc præcedit, & in die Januarii 1° nascitur, esse Cavam dierum XXIX.

Notandum autem, ut jam antea monui, Epactis anni 18, & 19, ut ætatem Lunæ in die Februarii 28° recte prodant, addendam esse unitatem.

Et præterea hoc quam maxime observandum est, *NB*:

a. Ætatem Lunæ eandem esse in Kal. Martii, qualis fuerat in Kal. Jan., adeoque fundamentum Lunæ, quod in Cyclo Lunæ p. 15 proposito, alligatur Kal. Januarii, posse transferri ad Kal. Martii.

b. Ætatem Lunæ eandem esse in die Febr. 28°, qualis fuerat in die Dec. 31. cum dies 59, quæ faciunt duos menses, primum Cavum, alterum Plenum intercedant, adeoque easdem Epactas affixas esse diei Febr. 28°, quæ affixæ sunt diei Dec. 31°.

8°, Quæritur, an Auctor his Epactis diei Febr. 28° affixis, unquam utatur, præterquam ad inveniendas Lunas XIV^as^ Paschales, & unam alteramve Lunam, quæ in mensem Paschalem labentem, vel ultra diem Martii 21^um^ in mensem Solarem Martium incurrit?

Respondeo contrarium mihi hactenus non constare.

C L V I.

De Catholicis, quibus Auctor utitur, earumque denominatione.

Auctorem in Computo suo Lunari adhibere Catholicas seu Regulares XX, clarum est. Annus enim in Cyclo Lunæ ejus 1^us^ init a Lunâ XXI^a^ in die Martii 21°, adeoque in illa Lunatione, quæ Martii die 1° initium sumit, dies XX elapsi erant, antequam annus in Cyclo 1^us^ iniret, quæ dies XX in Computo Lunari semper adjiciendæ sunt.

Certum quoque est has Catholicas XX venire sub splendidis nominibus XIII περὶ τῶν φωστήρων, & VII περὶ σελήνων, quæ simul XX faciunt.

In genere quoque clarum est, cur ita vocentur, nempe, quia diem illum, quo γένεσις τῶν φωστήρων facta est, qui est Martii 21, adeoque etiam tempus, quo ἡ σελήνη lucere cœpit, antevertunt.

Sed

Sed cur hos XX dies in XIII & VII distinguat, & illis XIII nomen περὶ φωστήρων det, illos VII vero περισελήνους appellet, fateor me nondum capere.

Rationem quidem hujus distinctionis & denominationis reddere conatus sum, supra §° 59 & 63. Sed illa mihi ipsi non satisfacit.

Forte Auctor voluit artificium Computi, & illud incongruum, quod Luna 21ª creata fuerit, tegere his splendidis nominibus, & frustra alia ratio quæritur: Auctorem enim illud incongruum in suo Cyclo Lunæ, quem κατὰ φύσιν vocat, animadvertisse, aliunde constat.

C L V I I.

De Cyclo XIX annorum Lunarium qui in Computo Auctoris præsupponitur.

Hic Cyclus detegitur, quando observantur Neomeniæ, ad quas anni Auctoris, a Martii die 21° ineuntes, in Computo ejus Lunari, ope Catholicarum & Epactarum reducuntur.

Et inveniuntur illæ Neomeniæ, quas exhibui supra §° 58. Modo levis adhibeatur mutatio circa annum 18ᵘᵐ & 19ᵘᵐ quam ibidem in illo Schemate jam monstravi. Rationem autem hujus mutationis exposui, supra §° 150.

Si autem illud Schema recte consideretur, & conferatur cum Schemate Cycli Lunæ, quod Auctor p. 15 exhibet, & imprimis cum illo Schemate Cycli Lunæ, qui in calculo τῶν πενταπλούντων & ἑξαπλούντων supponitur, quod in Observationibus nostris ad S. Maximi Computum Paschalem proposui §° 69. Patebit

A. Quod Auctor Neomenias, quæ in illo Cyclo erant tertiæ, in hoc suo Cyclo fecerit primas annorum Lunarium Neomenias.

B. Quod Auctor fundamentum Lunæ, quod in illo Cyclo affixum erat Kalendis Januariis, revera transtulerit in hoc suo Cyclo ad Kalendas Martias: seu, quod eodem redit, easdem plane Epactas, quæ in illo Cyclo, diei Dec. 31° affixæ erant, in hoc suo Cyclo diei Februarii 28° affixisse. Quo fundamento indicavi supra §° 155. N° 3° & 7°.

C. Quod Auctor annum in illo Cyclo 19ᵘᵐ jusserit in hoc suo Cyclo esse 1ᵘᵐ.

Corollarium.

Hinc porro patet, illum Cyclum Lunæ, quem Auctor exhibet p. 15, non adeo diversum esse ab hoc Cyclo XIX annorum Lunarium, quem Auctor in Computo suo præsupponit, sed contra, hos Cyclos quam maxime convenire, & mutatis mutandis revera eosdem esse. Vide quæ jam notavimus, supra §° 140—46.

CLVIII.

De Neomeniis hujus Cycli an habeat sibi proprias.

Ad hanc quæstionem respondeo cum distinctione.

Si hoc quæratur in relatione ad Cyclum decemnovalem Alexandrinorum, respondeo Auctorem in hoc Cyclo suo Lunari habere quidem easdem Neomenias Paschales, sed non retinuisse omnes Neomenias in iisdem anni Solaris diebus quibus ab Alexandrinis affixæ erant, sed plures loco suo movisse, & ex Cavis Plenas, & ex Plenis Cavas fecisse. Vide quæ de situ mensium Embolimorum dicentur, infra §° 159, 60.

Si hoc quæratur in relatione ad Cyclum Lunarem, quem Auctor p. 15 exhibet, & qualem undecuplatores (quorum S. Maximus meminit) in calculo suo præsupponebant, respondeo Auctorem in hoc suo Cyclo Lunari retinuisse easdem Neomenias, quas in illo Cyclo inveniebat.

Si hoc quæratur in relatione ad Cyclum Dionysii & Bedæ, de quo in Dissertatione speciali fuse egi, respondeo Auctorem in hoc suo Cyclo habere easdem, si non omnes, plerasque tamen, quas ille Cyclus habet. Vide infra §° 161.

CLIX.

De mensium Embol. situ in Auctoris Cyclo Lunari.

Situs mensium Embolimorum in illo Lunæ Cyclo, quem Auctor p. 15 exhibet, determinatur ex ætate Lunæ in Kal. Januariis; & confirmatur ex calculo πενταπλούτων & ἑξαπλούτων, de quo vide Observat. nostras ad Comput. S. Maximi Paschalem, §° 65—69.

Unde patet in illo Cyclo tres vel quatuor menses Embolimos loco suo motos, & infra Lunam Januarii retrusos esse, quatuor autem vel tres suo loco retentos esse, & mensem Paschalem immediate præcedere: Vide Schema in Observationibus ad S. Maximum §° 69. & Schema in Diss. de Cyclo Lunari Dionysii & Bedæ §° 44.

An autem hi menses Embolimi, qui in illo Cyclo Lunari, p. 15 ex-

 hibito,

hibito, retruduntur infra Lunam Januarii, etiam per annum ita dispergantur, ut in Cyclo Dionysii Lunari id factum esse Beda testatur, hactenus mihi non constat.

Hunc eundem situm, quem menses Embolimi in illo Cyclo, p. 15 exhibito, obtinebant, Auctor in hoc suo Cyclo, meo judicio, retinuit.

Quod licet ex Auctoris Computo Lunari non adeo clare probari possit, tamen ex eo recte concluditur, quod Auctor illum Lunæ Cyclum operi suo præmiserit p. 15, ut fundamentum & documentum sui Computi, & quod convenientiam illius cum hoc Auctoris Cyclo jam antea §° 144—46, & 157, deprehendimus, & in sequentibus porro ostendemus.

De dubio circa unum ex Embolimis mensibus, agemus infra §° 160.

C L X.

De dubio situ unius Embolimi mensis in Cyclo p. 15. exhibito.

Mensis Embolimus, de cujus situ dubitatur, pertinet ad annum in illo Cyclo 19um, in Cyclo Auctoris 1um, in Cyclo autem decemn. Alexandrinorum 3um.

Quæritur an hic mensis Emb. infra Lunam Januarii retrudatur, an vero mensem Paschalem immediate præcedat.

Schema mensis Embolimi retrusi.

mens.	Lunatio	Lunatio	Lunatio	Lunatio
Embol.	1a, P.	2a, C.	3a, P.	4a, C. Paschalis
Dec. 2 *	Jan. 1 *	Jan. 31 *	Mart. 1 *	Mart. 31.

Schema mensis Embolimi suo loco retenti.

Lunatio	Lunatio	Lunatio	mens.	Lunatio
1a, P.	2a, C.	3a, P.	Embol.	4a, C. Paschalis
Dec. 2 *	Jan. 1 *	Jan. 30 *	Mart. 1 *	Mart. 31.

Ex utriusque hujus Schematis consideratione, & ex horum Schematum comparatione cum Auctoris Epactis & Computo, & cum undecuplatorum calculo circa annum eorum 19um, videtur concludendum esse quod in illo Lunæ Cyclo, quem Auctor p. 15 exhibet, ea dispositio & consecutio Lunationum, & is situs mensis Embolimi fuerit, qualis in Schemate secundo exhibetur.

Nam primo Auctor anno Cycli sui Lunaris 1° dat Epactas XXX, quæ affixæ diei Februarii 28°, & exprimentes Ætatem Lunæ in illo die,

die, præſupponunt Lunam illam, quæ Februarii 28° die XXXª eſt, natam eſſe in Januarii 30° die.

Secundo, Auctor in Computo ad inveniendam Lunam XIVam Paſchalem anno Cycli ſui 1°, p. 75, expreſſe adhibet XXX Epactas, & invenit numerum dierum LXXIV, a quo duæ Lunationes Plenæ auferendæ, juxta Auctoris methodum; unde ſequitur in anno Cycli ejus 1°, duas Lunationes Plenas menſem Paſchalem immediate præceſſiſſe, unam ex ordine, alteram Embolimæam: plane ut in anno Cycli ejus 5, 8, & 16.

Tertio, Auctor annos in Cyclo ſuo ſemper inire facit a Neomenia tertia, eaque Plena, annorum in illo Cyclo, quem p. 15 exhibet; quod argumentum tamen minus ſtringit, vel cum præcedenti coincidit.

His accedit, quod in calculo πενταπλȣντων & ἐξαπλȣνlων, circa annum in Cyclo, qui in calculo illo præſupponitur, 19um, videatur ſupponi, quod inter Lunationem iſtius anni primam & Lunationem Paſchalem, intercedat menſis Embolimus; plane ut in calculo anni, 5, 8, & 16.

Ab altera Parte ſi hæc Schemata comparentur cum iis, quæ Beda, Cyclum Lunarem Dionyſii explicans dicit, nec non quæ S. Maximus habet de Cyclo πενταπλȣντων & ἐξαπλȣντων, videtur contrarium concludendum eſſe.

Nam primo, Beda expreſſe Lunam Decemb. die 2° natam ſtatuit eſſe Lunam Embolimæam. Vide Diſſ. noſtram de Cyclo Lunari Dionyſii & Bedæ, variis in locis.

Præterea S. Maximus in Comp. Paſch. Parte 1ª, C. 16. indicat in Cyclo undecuplatorum Neomeniam citimam, unde eorum anni incipiant, eſſe eam, quæ cadit in Decemb. diem 4um, ultimam vero, quæ in diem Januarii 1um incidit: unde ſequitur anni in eorum Cyclo 19ni Lunationem Iam eſſe eam; quæ Neomeniam habet in Januarii die 1°. Fateor Maximum loqui non de Cyclo, quem illi in Computo ſeu calculo ſuo præſupponebant & adhibebant, ſed de illo Cyclo, cujus ipſi Auctores erant, cui in anno 11° Saltum Lunæ inſeruerant, ut ex collatione Cap. 11mi & 12mi patet: Sed tamen propterea vis argumenti non plane perit, nam illud irregulare, quod Saltus Lunæ, anno XI° inſertus, huic Cyclo intulerat, iterum aufertur, & res quaſi in integrum reſtituitur propter Saltum Lunæ, qui anno illius Cycli 16° (qui anno in Cyclo decemn. 19° reſpondet) inſeri debuiſſet, cum hic de anno Cycli eorum 19° agatur.

Ut autem his meam ἐπίκρισιν ſubjiciam; mea ſententia hæc eſt, argumenta ab utraque parte allata vim ſuam habere, ſed nec hæc, nec illa omni exceptione majora eſſe: poteſt enim utriſque aliquid opponi, quo

eorum

eorum vis, ad illud determinandum, quod hic quæritur, & illud probandum, quem in finem adducuntur, infringatur.

Potiora tamen mihi hactenus videntur, quæ pro Schemate ſecundo militant.

Unde etiam in ſequentibus rem ita conſiderabo, & illum menſem Embolimum ita concipiam, nempe ut in illius Cycli anno 19°, in anno vero Cycli Auctoris 1° immediate ante menſem Paſchalem poſitum, ſive ſuo loco retentum.

CLXI.

Schema Cycli Lunæ quod p. 15 exhibetur, & ex quo Cyclus Auctoris deducitur.

anno p.15.	Cycli Auct.	Lunatio 1ª P.	Lunatio 2ª C.	Lunatio 3ª P.	Lunatio 4ª	
1	2	Dec. 21 *	Jan. 20	Feb. 18 *	Mart. 20	
2	3	— 10 *	— 9	— 7 *	— 9	
3	4	— 29 *	— 28	— 26 *	— 28	
4	5	— 18 *	— 17	— 15 *	— 17	
5	6	— 7 *	— 6	— 4 *	— 6 *	April. 5.
6	7	— 26 *	— 25	— 23 *	— 25	
7	8	— 15 *	— 14	— 12 *	— 14	
8	9	— 4 *	— 3	— 1 *	— 3 *	April. 2.
9	10	— 23 *	— 22	— 20 *	— 22	
10	11	— 12 *	— 11	— 9 *	— 11	
11	12	— 31 *	— 30	— 28 *	— 30	
12	13	— 20 *	— 19	— 17 *	— 19	
13	14	— 9 *	— 8	— 6 *	— 8	
14	15	— 28 *	— 27	— 25 *	— 27	
15	16	— 17 *	— 16	— 14 *	— 16	
16	17	— 6 *	— 5	— 3 *	— 5 *	April. 4.
17	18	— 24 *	— 23	— 21 *	— 23	
18	19	— 13 *	— 12	— 10 *	— 12	
19	1	— 2 *	— 1	Jan. 30 *	— 1 *	Mart. 31.
				Lunatio 1ª P.	Lunatio 2ª	Lunatio 3ª
				juxta Auctorem Chronici Pasch.		

CLXII.

CLXII.

De annis Embolimæis in Cyclo Auctoris Lunari.

Quæritur quinam in hoc Auctoris Cyclo Lunari, cujus Schema supra §° 161 proposui, sint Embolimæi?

Ad hanc quæstionem cum distinctione respondendum est.

Si quæratur, quinam anni sint revera Embolimæi, habentes menses XIII.

Tum respondeo, in hoc Cyclo Auctoris annos Embolimæos esse 1^{um}, 3^{um}, 6^{um}, 9^{um}, 11^{um}, 14^{um}, & 17^{um}. Vide supra §° 58.

Si quæratur, quinam anni dicantur & signentur Embolimæi.

Tum respondeo Embolimæos dici & signari in hoc Auctoris Cyclo, 1^{um}, 4^{um}, 6^{um}, 9^{um}, 12^{um}, 15^{um}, & 17^{um}. Quod patet ex Schemate hujus Cycli p. 288 ab Auctore propositi. Confer supra §° 94, 95.

Corollarium.

1^{um}, Anni, qui in hoc Auctoris Cyclo revera sunt Embolimæi, etiam revera sunt Embolimæi in illis Cycli Lunaris p. 15 exhibiti, annis, qui his respondent: & qui in hoc Auctoris Cyclo Embolimæi dicuntur & signantur, etiam Embolimæi dicuntur & signantur in illis Cycli p. 15 exhibiti, annis, qui his respondent.

2^{um}, Qui in hoc Auctoris Cyclo Embolimæi dicuntur & signantur, respondent iis annis, qui in Cyclo decemnovali, Embolimæi dicuntur & signantur, quique in Enneadecaëteride Alexandrina, ex prima ejus institutione revera Embolimæi erant.

CLXIII.

Cur Auctor Æram Constantinopolitanam uno anno in sua Æra præverterit.

Cyclus Solis p. 13, & Cyclus Lunæ p. 15, ab Auctore exhibiti, Æræ Constantinopolitanæ innexi erant.

Præterea Æra illa hanc habebat perfectionem seu commoditatem, non tantum ut, divisa per 28 & 19, annum hujus Cycli Solis & Lunæ proderet, sed etiam, ut divisa per 15, Indictionem labentem exhiberet.

Causa itaque esse debet, cur relicta hac Æra, aliam assumpserit, quæ hanc uno anno antevertat. Quod fecit dum annum in illis Cyclis ultimum jusserit in suis Cyclis fieri primum.

Hujus rei causa repetenda ex iis, quæ Auctor in Præfatione hujus Chronici dicit.

Nempe Auctor voluit Cyclum Solis & Lunæ exhibere, qui essent κτ̀ φύσιν, & talem per consequens quoque Æram.

Cyclus Solis & Lunæ κτ̀ φύσιν Auctori erant, qui initium primum ducerent ab ipsa γενέσει τ͂ φωςήρων, Solis & Lunæ, quæ facta est Mundi die 4°, quo *luminaria* creata sunt.

Præterea Auctori κτ̀ φύσιν erat, quod anni Solares inirent ab uno ex quatuor cardinibus anni, & quidem in specie ab *Æquinoctio verno*, adeoque a die Martii 21°, *cui*, ut dicit, *Deiferi Patres in Concilio Nicæno, hoc Æquinoctium affixerant:* & ut annus Solaris primus nulla haberet λεπτὰ, hoc est, nullas sexagesimas diei partes, quales 15 (quæ sex horas faciunt) habet annus, qui a Bissextili secundus est: adeoque ut annus Mundi & Cycli Solis primus esset quoque primus a Bissextili, sive ut in ejus Æra & Cyclo Solis annus 4^us^ demum reciperet diem Bissextilem, & fieret dierum 366. Vide p. 12, 14.

Hæc omnia simul obtinere non poterat, si Æram Constantinopolitanam retinuisset, & Cyclorum Solis & Lunæ huic Æræ innexorum annum primum etiam suorum Cyclorum primum fecisset; sed hæc obtinebat, quando Æram CP. uno anno prævertebat, & ex illorum Cyclorum anno ultimo, primum suorum deduceret.

Ut hæc clarius patescant, exhibebo Schema tam anni primi Auctoris, quam anni primi Æræ CP, qui Auctori secundus est. Et quædam addam, quæ in sequentibus inservire possunt.

anno M. Auctoris 1° Cycli Lunæ θέσει 1°, φύσει 19°

Jan. 1° B.	Mart. 17°	Mart. 18°	Mart. 20°	Mart. 21°
Feria I^a^	Feria VII^a^	Feria I^a^	Feria III^a^	Feria IV^a^
Luna I^a^	Luna XVII^a^	Luna XVIII^a^	Luna XX^a^	Luna XXI^a^
		Mundus creatus		Æquinoctium
				γένεσις φωςήρων
				1^us^ a Bissextili.

anno M. Auctoris 2°, Æræ CP. 1°. Cyclo Lunæ anno θέσει 2°, φύσει 1°

Jan. 1°	Mart. 17°	Mart. 18°	Mart. 20°	Mart. 21°
Feria III^a^	Feria I^a^	Feria II^a^	Feria IV^a^	Feria V^a^
Luna XII^a^	Luna XXVIII	Luna XXIX^a^	Luna I^a^	Luna II^a^
	Mundus creatus		γένεσις φωςήρων	Æquinoct.
			Luna nova creata	2^us^ a Biss.

Ex

Ex his Schematibus ad oculum patet, si Auctor voluisset Æram CP retinere, tum juxta Auctoris principia

1°, Mundum creatum fuisse in Martii die 17°, Feria I[a].

2°, Γένεσιν τῶν φωστήρων factam esse in die Mundi 4°, Martii 20°.

3°, Æquinoctium, diei Mart. 21° affixum non cadere in Mundi diem 4[um], sed 5[um], adeoque non in eundem Mundi diem, quo γένεσις τῶν φωστήρων facta est, sed in sequentem.

4°, Annum Solarem Mundi primum, utpote a die Mundi 5° ineuntem, & secundum ab anno Bissextili, habiturum fuisse Epactam unam, quia non ab ipsa γενέσει φωστήρων, sed uno die post, iniret, & λεπτὰ XV, seu horas VI, quia non demum 4[us], sed jam 3[us] hujus Æræ annus reciperet diem Bissextilem, & fieret dierum 366, quippe anni Auctoris ineunt ab Æquinoctio, in die Martii 21°.

Adeoque annus Æræ CP primus satisfacere non poterat omnibus characteribus simul, quos Auctor requirebat: annus vero, qui hunc præcedit, iis omnibus simul satisfacit: & hæc est causa cur Auctor Æram CP uno anno prævertit.

Remanet quidem dubium seu potius incommodum aliquod circa Lunam. Sed de eo agemus §° sequenti.

CLXIV.

Quid Auctor sibi velit, dum in Cyclo distinguat annum ΚΑΤΑ ΘΕΣΙΝ *&* ΚΑΤΑ ΦΥΣΙΝ.

Hac de re jam egi supra §° 42 & 64, & tres solutiones proposui, primam §° 42, secundam & tertiam §° 64.

Duas postremas, utpote minime satisfacientes, rejiciendas & delendas esse judico.

Quod primam attinet, in iis, quæ illo §° 42 notavi, rem ipsam vidi, sed non pervidi.

Quæ ibi recte dicta sunt, hic non repetam, sed conferri volo cum iis, quæ §° præcedenti notavimus, & imprimis cum Schematibus, quæ ibidem exhibentur. Nunc autem hæc tantum observo.

Auctor, dum ob rationes, quas vidimus, relicta Æra CP, novam Æram Mundi condit, quæ illam uno anno prævertit, atque hoc modo ordinem annorum in suo Lunæ Cyclo (qui cum anno Mundi 1° init) ita ponit, ut annum Cycli primum deducat ex anno, qui in illo Lunæ Cyclo, qui Æræ CP innectitur, 19[us] est, & annum Cycli sui 2[um] ex an-

 no,

no, qui in illo Cyclo 1^{us} eſt, & ſic porro; coactus eſt talem Lunæ annum, in Cyclo ſuo primum Cycli annum ponere, qui init a Luna XXI^{a}, quique præſupponit Lunam, quum die Mundi 4° primum crearetur, creatam eſſe non novam, aut plenam, ſed XXI^{am}. Quod certe non *juxta* φύσιν, ſed *contra* φύσιν erat: κατὰ φύσιν enim eſt, Lunam vel in *conjunctione*, vel in *oppoſitione* cum Sole creatam.

Hoc incommodum & irregulare ipſe animadvertit, & agnoſcit ordinem annorum in ſuo Lunæ Cyclo non eſſe κατὰ φύσιν, adeoque annum, quem in ſuo Lunæ Cyclo primum numerabat, eſſe θέσει quidem primum; non autem φύσει.

Præterea obſervavit, quod, ſi retinuiſſet Æram CP (quod tamen ob rationes imprimis Solares, quæ apud eum prævalebant, facere non potuit, nec voluit) tum habiturus fuiſſet in 4° Mundi Lunam I^{am} ſeu novam, quod κατὰ φύσιν eſt. Vide §° præced. Schema ſecundum.

Atque hanc ob cauſam agnoſcit talem annum in ordine annorum Cycli Lunæ eſſe, & dici poſſe φύσει primum.

Cum autem in Æra Mundi, quam aſſumpſerat, & in Cyclo Lunæ, qui huic Æræ ab Auctore innexus erat, ille annus numerabatur & ponebatur ordine ſecundus, hinc eundem illum annum vocat θέσει quidem 2^{um}, φύσει vero 1^{um}, & ſic porro 3^{um}, 4^{um} &c. in ordine annorum in Cyclo ſuo, annum vocat θέσει quidem 3^{um}, 4^{um} &c. φύσει vero 2^{um}, 3^{um} &c. & denique eodem modo procedens, annum, qui in ſuo Lunæ Cyclo, ordine numerandi, 1^{us} erat, appellat θέσει quidem 1^{um}, φύσει vero 19^{um}.

Atque hoc modo quaſi corrigere, vel potius tegere voluit illud, quod circa Lunam contra φύσιν admittere cogebatur, dum Æram CP uno anno vellet prævertere, ut omnia quaſi κατὰ φύσιν in ſua Æra & Cyclis ſuis ordinaret.

C. L X V.

Oſtenditur, quod Auctor potuerit Conceptionem Joannis Baptiſtæ illigare anno M. 5505°, juxta ordinarium Computum.

Auctorem illigaſſe Conceptionem Joannis Baptiſtæ anno M. 5506, &, ut hoc facere poſſet, adhibuiſſe Computum Lunæ plane extraordinarium, vidimus ſupra §° 107.

Auctorem juxta ſua principia ſtatuere Joannem Baptiſtam conceptum eſſe die Septemb. 24°, oſtendimus ibidem §° 107.

Hoc

Hoc autem eum non potuisse obtinere, juxta ordinarium Computum, & hypothesin de ministerio Zachariæ, in anno M. 5506°, patet, nam juxta ordinarium Lunæ Computum, cadit Luna Iª septimi mensis Judaici in diem Sept. 20, Luna Xª in diem Sept. 29, & Luna XVª, ac Festum Scenopegiæ in diem Octob. 4um: & hinc est quod illum extraordinarium Lunæ Computum excogitaverit, & adhibuerit.

Ibidem §° 107, in fine etiam monui Auctorem potuisse ordinarium Computum retinere, & annum M. 5505 assumere pro anno Conceptionis Joannis Baptistæ.

Hoc autem nunc paulo clarius ostendere volui, ut ea, quæ §° 107 dicta sunt illustrentur.

Annus Æræ Auctoris Mundanæ 5505 dat Cycli Auctoris Lunæ 14um, Solis vero 17um annum, & Computus ordinarius Auctoris dat in illis Cycli annis Lunam Iam & Feriam VIam in die Sept. 1°.

Adeoque juxta Auctorem caderet eo anno:

Festum	*septimi mensis*		*Feria*	in die	
Tubarum	*Luna*	Iª	VIª	Sept.	1°
Encæniorum	—	VIIIª	VIª	—	8°
Expiationis	—	Xª	Iª	—	10°
Scenopegiæ	—	XVª	VIª	—	15°
Ἐξόδιον	—	XXIIª	VIª	—	22°
Sabbatum	—	XXIIIª	VIIª	—	23°
Abitus Zachar.	—	XXIVª	Iª	—	24°

Ponimus hic abitum Zachariæ in die Sept. 24°, adeoque eo ipso die, quo Conceptio Joannis Baptistæ facta fuisse statuitur: quod nemini obstare debet, cum domus ejus non ita longe aberat ab Hierosolymis, utpote habitans in montanis Judææ, quin Elisabetha eo ipso die potuerit concipere; potuit enim summo mane abire, imo potuit die præcedenti Sept. 23°, ad vesperam, Sabbato finito iter ingredi.

Et quicquid hac de re sit, hoc saltem patet, hunc annum satis commodum esse, ut Auctor, si hunc annum voluisset eligere, facile potuisset eum ad scopum suum adhibere, & accommodare.

Si autem ab hoc anno discesseris, nullus alius spatio aliquot annorum tam infra, quam ultra hunc annum, occurrit qui juxta ordinarium Lunæ Computum scopo Auctoris satisfacere possit, ut ex collatione Κανονίου, quod S. Maximus composuit, & in quo diem Sept. vel Octob. in quem Xª septimi secundum Hebræos mensis cadit, per XIX Cycli Lunæ annos,

nos, exhibet, patescere potest. Hæc enim Neomenia septimi mensis, quæ cadit in diem Sept. 1um, & dat Lunam Xam in die Sept. 10°, omnium citima est: & ea, quæ huic proxima est, & cadit in diem Sept. 2um, & dat Lunam Xam in die Sept. 11°, & ἐξόδιον in die Sept. 23°, pertinet ad annum Cycli Lunæ, juxta Maximum, 5um, qui concurrit cum anno Cycli Lunæ, juxta Auctorem 3° adeoque cum Æræ ejus Mundanæ anno 5496° & 5513°, qui nullo modo in considerationem venire possunt.

Cur ergo Auctor ab hoc anno recessit, & sequentem annum assumpsit, antea quidem §° 107 respondi, Auctorem forte hoc non animadvertisse, sed hoc vix credibile est, Auctorem non animadvertisse, quomodo, juxta ordinarium suum Lunæ Computum, Festa illa Judaica hoc anno M. caderent, eumque non considerasse, an hæc scopo suo satisfacerent nec ne: præsertim cum annum sequentem assumens, necesse habuerit, talem extraordinariæ Lunæ Computum comminisci.

Cum itaque hic annus M. 5505us, ut vidimus, scopo ejus potuerit satisfacere, videtur alia hujus rei ratio quærenda esse: de qua vide seq. §um 166.

CLXVI.

Cur Auctor annum Mundi 5507um, & non annum 5506um elegerit, pro anno Concept. & Nativitat. Christi, quæritur.

Ratio hujus rei peti non potest ex anno Conceptionis Joannis Baptistæ, cum, ut præcedenti §° *165* vidimus, annum M. 5505, juxta ordinarium Lunæ Computum, pro anno Conceptionis Joan. Bapt., commode eligere potuisset, & ut eam anno M. 5506° illigaret, tali extraordinario & irregulari Lunæ Computo opus habebat.

Annus M. 5506us æque commode, ac annus M. 5507us, pro anno Conceptionis & Nativitatis Christi assumi potuisset; saltem hactenus non video, quid obstet.

Imo si annum M. 5506um elegisset, varia incommoda evitasset, imprimis, quæ circa Baptismum, & annos vitæ & ministerii Christi occurrunt, de quibus fuse egi supra §° 109, 10, 11.

Habuit itaque Auctor alias, & quidem prægnantes rationes, ob quas annum M. 5507um, pro anno Conceptionis & Nativitatis Christi, voluerit assumere, & quæ eum, ut hoc facere posset, coëgerunt, annum M. 5506 pro anno Conceptionis Joannis Baptistæ admittere, & illum irregularem Lunæ Computum adhibere; quæque eum in illas angustias

circa

circa annum Baptiſmi & annos vitæ & miniſterii Chriſti, redegerunt, ut Baptiſmum Chriſti ſubdole duplici Mundi anno illigaverit.

Quænam autem illæ hujus rei cauſæ fuerint, non niſi conjectura probabili aſſequi poſſumus.

Inter has præcipua, ſi non unica, fuiſſe videtur, quod Incarnationem Chriſti voluerit retinere affixam eidem anno & iisdem Feriis, cui & quibus in Æra Conſtantinopolitana affixa erat, & a recepta opinione eorum, qui hanc Æram admiſerant, hac in re non recedere.

Hoc aſſertum præſupponit Chriſtum incarnatum, hoc eſt conceptum ſtatui anno Æræ CP. 5506° in die Martii 25°, Feria 2da. & annum Incarnationis Chriſti 1um concurrere cum anno Æræ CP. 5506°. Auctoris enim Æra Mundi Æram CP. uno anno prævertit, adeoque annus M. juxta Auctorem 5507us concurrit cum anno Æræ CP. 5506°, illo enim labente a præcedenti Septembri init Auctoris annus M. 5507us a ſequenti Martio, ejusque die 21°.

Idem aſſertum porro præſupponit Chriſtum incarnatum, hoc eſt, natum ſtatui anno Æræ CP. 5507° jam labente a Septemb., in ſequentis Dec. die 25°, Feria IVa, labente adhuc anno M. juxta Auctorem, 5507°, qui a præcedentis Martii die 21 cœperat.

Ita ut utraque Æra conferat Incarnationem Chriſti, hoc eſt, ejus Conceptionem Martii 25, Feria IIa, & ejus Nativitatem Dec 25, Feria IVa, in annum Per. Jul. 4711, ante Æram Vulg. 3°, Litera Dom. F.

Fuiſſe autem, qui Incarnationem Chriſti alligarunt anno M. 5506°, patet, nam

1°, Hippolytus Thebanus, in fragmento quod Caniſius, & ex eo Joan. Alb. Fabricius, cum S. Hippolyti operibus edidit, dicit: *Numeratis autem Periodis, impleta eſt Xa Periodus in anno 5320°*, ἀρξαμένης ἢ τ͂ ια″ περιόδε, ρπϛ′ διήλθοσαν ἔτη, hoc eſt, *inchoatæ autem XIæ Periodi*, 186 *anni tranſierunt*, *& incarnatus eſt Dominus noſter J. C., quemadmodum* ἡ βίβλος ἢ Νικομηδείας, ϗ ἢ Μεταφρέσε *continet*. Vide Obſervat. noſtras ad hoc Fragm. §° 8.

2°, Anonymus in Excerpto, quod inter Selecta ad illuſtrationem Chronici Paſchalis editum eſt, N° VII. p. 424, 25, dicit: *Qui accuratius tempora deſcripſerunt . . . dicunt, quod* Ἡ ΜΕΝ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΛΟΓΟΥ ΕΝΑΝΘΡΩΠΗΣΙΣ ΓΕΓΟΝΕ ΕΝ ΕΤΕΙ ΑΠΟ ΚΤΙΣΕΩΣ ΚΟΣΜΟΥ ,εφϛ″ ΤΟ ΔΕ ΣΩΤΗΡΙΟΝ ΑΥΤΟΥ ΠΑΘΟΣ, ἐπὶ τριάκοντα τρεῖς χρόνους τοὺς πάντας, ὡς ὡμολογῆται, ἀνεστράφη ἐπὶ τ͂ γῆς, ΕΝ ΕΤΕΙ ΕΦΛΘ″. Vide Diſſ. noſtram ad hoc excerptum.

3°; Ce-

3°, Cedrenus in Hiſtoriarum Compendio, edit. Baſileenſ. Græco-Lat. p. 143. dicit: *Auguſti Cæſaris anno 42 naſcitur Chriſtus Deus noſter*: ἔτος τοῦτο, κτίσεως κόσμου, κατὰ τὰς ἀκριβεστέρας ἀναγραφὰς, ͵εφϛ΄, μηνὶ Δεκεμβρίῳ κε΄, ἡμέρᾳ δ΄. *Cyclus Solis erat decimus octavus, & Lunæ XVus.* Vide quæ ibidem ſequuntur p. 143 & 144. de Baptiſmo & Paſſione Chriſti, & patebit Cedrenum, quum hæc ſcriberet, ante oculos habuiſſe Chronicon Paſchale. Idem p. 150. linea 48, ſcribit, *anno Mundi 5506°, Auguſti vero 42°, decretum ab ipſo exiit, ut totus Mundus cenſeretur,* ΕΝ Ω ΕΤΕΙ καὶ *Dominus noſter Jeſus Chriſtus* ἐγεννήθη. Vide quoque p. 151. lin. 44 item p. 152, lin. 58, ubi oraculum Zachariæ factum eſſe dicit anno M. 5506°, menſe Sept. Nec non p. 153, lin. 38 &c. & p. 156, lin. 40 &c. Confer Petavium in Uranologio, ſive Auctario ad Doctrinam Temp. Lib. 8°, C. 1. p. 293. & p. 294. A. B. Et nota argumentum ex Cedreno pro anno M. 5506° non ſtringere, ſi nempe Cedrenus hæc ex Chronico Paſchali deſumpſerit, Auctor enim Chronici Incarnationem Chriſti non in annum M. 5506, ſed 5507 confert; ſed ad inveniendam Feriam & ætatem Lunæ in illo anno, ſumit 5507 ÷ 1, hoc eſt, 5506 qui numerus anni dati, uno dempto, diviſus per 28 & 19, relinquit 18 & 15, & hinc videtur Cedrenus collegiſſe, in illo Chronico ſtatui Chriſtum natum anno M. 5506, Cyclo Solis 18, Lunæ 15. Vide Diſſ. noſtram ad hæc Cedreni loca de annis Chriſti.

CLXVII.

Quæritur unde Auctor habeat illa λεπτὰ *22, in Computo ultimi ſeu emortualis Paſchatis Chriſti, de quo egi ſupra §° 106.*

Auctor habet λεπτὰ illa 22 ab iis, quos Maximus πενταπλοῦντας & ἑξαπλοῦντας vocat, & de quibus fuſe agit in Computo ſuo Paſchali.

Vide noſtras ad S. Maximum Obſervationes §° 66, ad calculum anni, in Cyclo eorum, 10mi.

Ubi a Jan. 1 — Mart. 24 colligunt ſexageſimas diei partes . .	83
Aufer, juxta eorum calculum pro die uno reſtituendo . .	60
Relinquuntur	23
Aufer, quia Auctor non ultra diem Martii 23, colligit, Sexageſimam	1
Relinquuntur λεπτὰ, ſeu Sexageſimæ	22

Nota annum in Cyclo Auctoris Chronici Paſchalis, 11um, eſſe annum, in Cyclo illorum 10um. & utrumque habere in Martii 24um Lunam XIVam Paſchalem Nicænam.

CLXVIII.

CLXVIII.

Canon Chronologicus Auctoris Chronici, a Creatione Mundi ad Heraclium per annos expansos & collectos.

		Colliguntur
Adam genuit anno Ætatis	230	230
Seth	205	435
Enos	190	625
Cainan	170	795
Malalëel	165	960
Jerad	162	1122
Enoch	165	1287
Mathuſalah	187	1474
Lamech	188	1662
Noë	500	2162
Sem	100	2262
Arphaxad	135	2397
Cainan	130	2527
Sala	130	2657
Heber	134	2791
Phaleg	130	2921
Rhagau	132	3053
Seruch	130	3183
Nachor	79	3262
Thara	70	3332
Abraham, ad vocationem	75	3407
Abraham, poſt vocationem	25	3432
Iſaac	60	3492
Jacob	83	3575
Levi	47	3622
Caad	60	3682
Amram	75	3757
Mozes, ante Exitum	80	3837
Mozes, in deſerto	40	3877
Joſua	27	3904
Chuſarſathem	8	3912

		Colliguntur
Gothoniël	32	3944
Eglon	18	3962
Aod	56	4018
Semegar	24	4042
Jabis	20	4062
Debora	40	4102
Oreb & Zeb	7	4109
Gedeon	40	4149
Abimelech	3	4152
Thola	23	4175
Jair	22	4197
Ammonitæ	18	4215
Jephtha	6	4221
Eſſebon	7	4228
Æalon	10	4238
Labdon	8	4246
Philiſtæi	40	4286
Sampſon	20	4306
Interregni & pacis	40	4346
Heli	40	4386
Samuel	20	4406
Saul	20	4426
David	40	4466
Salomon	40	4506
Roboam	17	4523
Abiud	3	4526
Aſa	44	4570
Joſaphat	25	4595
Joram	10	4605
Ochozias	1	4606
Gotholia	6	4612
Joas	40	4652
Ameſſias	29	4681
Ozias, qui & Azarias	52	4733
Joadam	16	4749
Achaz	16	4765
Ezechias	29	4794
Manaſſe	55	4849

Am-

		Colliguntur
Ammon	2	4851
Josias	31	4882
Joachaz, qui & Sellem, menses 3. . .	.	4882, mens. 3.
Jechonias, qui & Joachim, annos & menses 3.	12	4894
Jechonias alter, menses 3. . . .	.	4894, mens. 3.
Zedecias, qui & Mathanias	11	4905, mens. 6.
Zedeciæ annus 12^us, quo (ut videtur) consumuntur illi menses 6, & qui concurrit cum anno 21°, Nabuchodonosoris, quo dantur alii menses 6.	.	4906
Nabuchodonosoris annus 22^us & 23^us, dant annos	2	4908
Evilad-Marodach	7	4915
Balthasar	4	4919
Darius Medus	3	4922
Darius, Assueri F. . . .	13	4935
Cyrus	30	4965
Cambyses	8	4973
Darius, Hystaspis F. . . .	36	5009
Xerxes	28	5037
Artaxerxes Longimanus	41	5078
Darius Nothus	19	5097
Sogdianus	7	5104
Artaxerxes Mnemon	40	5144
Artaxerxes Ochus	27	5171
Arsiochus	4	5175
Darius, qui & Arsaces	6	5181
Ptolomæus, Lagi F.	40	5221
Ptolomæus Philadelphus . . .	38	5259
Ptolomæus Euergetes . . .	26	5285
Ptolomæus Philopator	17	5302
Ptolomæus Epiphanes . . .	24	5326
Ptolomæus Philometor	35	5361
Ptolomæus Euergetes II.	29	5390
Ptolomæus Physcon	17	5407
Ptolomæus Alexander	10	5417
Ptolomæus Physcon	8	5425
Ptolomæus Auletes	30	5455
Cleopatra	22	5477

		Colliguntur
Julius Cæſar annos 5, regnante Cleopatra anno Imperii ejus 6—10.		
Auguſtus Cæſar, annos 56, menſes 6, cum Cleopatra annos 12, anno Imperii ejus 11—22 : deinde ſolus 44.	44	5521
Tiberius, annos 22, menſes 6.	23	5544
Caligula	4	5548
Claudius	14	5562
Nero	14	5576
Galba, Otho, Vitellius.		
Veſpaſianus	10	5586
Titus	2	5588
Domitianus	16	5604
Nerva	1	5605
Trajanus	19	5624
Hadrianus	21	5645
Antoninus Pius	23	5668
Verus & Commodus	19	5687
Commodus	12	5699
Pertinax, menſes 2.		
Didius Julianus, menſes 7.	.	5700
Septimius Severus	19	5719
Anton. Caracalla	7	5726
Macrinus	1	5727
Anton. Heliogabalus	4	5731
Alexander Mammææ F.	13	5744
Maximinus	3	5747
Balbinus: Publius.		57
Gordianus Senior	6	5753
Philippus Junior, cum Filio Philippo	6	5759
Decius	1	5760
Gallus	3	5763
Valerianus	14	5777
Claudius	2	5779
Aurelianus	6	5785
Florianus, dies 97.		
Probus	6	5791
Carus, cum Filiis Carino, & Numeriano	3	5794
Diocletianus	20	5814

Con-

		Colliguntur
Constantinus M. annos 31, menses 10.	32	5846
Constantinus Junior, Constans, & Constantius	24	5870
Julianus Apostata	2	5872
Jovianus, menses 10, dies 15	1	5873
Valentinianus	14	5887
Gratianus, cum Valente, & Theodosio M.	16	5903
Arcadius & Honorius	14	5917
Theodosius Junior	42	5959
Marcianus	7	5966
Leo Magnus	16	5982
Leo Junior	1	5983
Zeno	17	6000
Anastasius	27	6027
Justinus, Thrax	9	6036
Justinianus, annos 38, & menses 11.	39	6075
Justinus Junior, annos 11, & menses 8.	12	6087
Tiberius, solus	4	6091
Mauricius	20	6111
Phocas	8	6119
Heraclius.		

In ejus Imperio desinit Chronicon.

CLXIX.

Observationes ad præced. Canonem Chronol.

1ª, Tiberio damus Imperii annos 22 & menses 6, juxta Chronologos, & in Canone annos 23, quia Auctor revera illi tot annos tribuit, licet contrarium videatur, ut suo loco antea probavimus, §° 114. N° 2°.

2ª, Vespasiano damus Imperii annos 10, quia ejus annus 10ᵘˢ expresse numeratur p. 248. B. & anni collecti tot annos requirunt, nam annus Neronis 14ᵘˢ expresse numeratur p. 245. D. & menses, quos Galba, Otho, & Vitellius imperarunt, non numerantur.

3ª, In annis Commodi p. 262. C. evidens error est in annis collectis, & legendum, ut scripsimus in Canone Chron. 5699, non 5690, ut editur.

CLXX.

Notabilia Historica & Epochæ illustrantur.

Anno Sem 100°, Noë 600°, M. 2262°, Diluvium exstitit. Tot annos etiam Africanus a M. Condito ad Diluvium computat; siquidem accurati Geneseos Libri ostendunt, Methusalah quum esset annorum 187, generasse Lamechum. p. 21. D.

Anno Phaleg 130°, Mundi 2921°, post Diluvium 659°, facta est ædificatio Turris Babel, & confusio Linguarum. p. 25. A.

Anno Abrahami 75°, Mundi 3407°, post ædificationem Turris Babel 486°, Abraham vocatur ex Ur Chaldæorum.

Anno Abrahami 76°, M. 3408° incipiunt anni CCCCXXX promissionis Abrahamo factæ, & desinunt in anno Mozis 80°, M. 3837°, p. 52. A.

Anno Mozis 81°, M. 3838°, post Diluvium 1576° contigit Exitus Filiorum Israël ex Ægypto: isque annus Mozis 81^{us} Auctori est 1^{us} exitus ex Ægypto.

Anno Mozis 81°, M. 3838° incipiunt numerari Jubilæi. p. 209. D.

Anno Mozis 82°, M. 3839°, ineunte primum Pascha in Ægypto celebratum est.

Anno Salomonis 2°, M. 4468°, Exitus ex Ægypto 631°, Templum 1^{um} cœpit ædificari. p. 91. B. & 283. B.

Anno Salomonis 9°, M. 4475°, Templi ædificatio absoluta est. p. 91. B. a quo ad Excidium Templi 2^{di} anno Vespasiani 2°, M. 5578° numerantur anni 1103, p. 248. A.

NB. In recapitulatione annorum a Mundo Condito ad annum XV Tiberii Cæsaris, M. 5536^{um}, quæ reperitur p. 215. A. connectitur initium ædificationis Templi 1^{mi} cum anno Salomonis 4°, Mundi 4451°. Sed in illa Recapitulatione licet totalis summa cum Canone Auctoris Chronologico conveniat, particulares summæ tamen, inde ab Exitu ex Ægypto, plane ab illo Canone alienæ, &, ut mihi videtur, ex alterius Auctoris Chronologia desumptæ sunt.

Anno Oziæ Regis Judæ, qui & Azarias dictus est, 51°, M. 4732° incipit Auctor numerare Olympiades, quæ ordine progrediuntur usque ad annum Tiberii Cæsaris XIV^{um}, M. 5535^{um}, Olymp. CCI^{a}, annum 4^{um}, sed tum revera annus Tiberii XV^{us} M. 5536^{us}, absque anno Olympiadico,

piadico, illi connexo, tranſit, & anno Tiberii XVI°, M. 5537°, connectitur Olymp. CCII^{a} annus 1^{us}, & ſic tum porro ad finem Chronici progrediuntur: ut antea oſtendimus.

Anno Ezechiæ Regis Judæ 4°, M. 4769°, Hoſeæ Regis Iſraëlis 9°, Exitus ex Ægypto 932°, a ducatu Joſuæ 892°, a regno Hieroboami 263°, contigit captivitas Iſraëlis Aſſyriaca. p. 108. B.

Ab anno Joſiæ 16°, M. 4867° incluſive, uſque ad annum M. 4936^{um}, Cyri 1^{um}, incluſive, numerantur anni LXX. p. 120. B.

Ab anno Salomonis 2°, M. 4468 incluſive, quo Templum cœpit ædificari, uſque ad annum Zedekiæ XI^{um}, M. 4905, incluſive, quo a Chaldæis incenſum, ſunt anni 438. Ab anno autem Salomonis 9°, M. 4475° incluſive, quo Templi ædificatio abſoluta, uſque ad annum Zedekiæ 11^{um}, M. 4905^{um} incluſive, ſunt anni 431. Itaque duæ ſummæ annorum, quos Templum 1^{um} ſtetit, ab Auctore expreſſæ, una 425 annorum p. 135. D. altera 442 annorum p. 137. A. aberrant a Canone Auctoris Chronologico.

Ab anno, poſt Zedekiæ 11^{um}, 1°, qui eſt Mundi 4906^{us}, incluſive, uſque ad annum Darii Hyſtaſpis 2^{um}, M. 5975^{um}, incluſive, numerantur anni LXX captivitatis, a Jeremia prædicti p. 136. C. Confer p. 143. D. & p. 144. D.

Anno Cyri 1°, M. 4936° reverſi Iſraëlitæ fundamenta Templi jecerunt, ſed vicinis gentibus Judæos incurſantibus, opus imperfectum manſit uſque ad annum Darii Hyſtaſpis 2^{um}, M. 4975^{um}.

Anno Darii Hyſtaſpis 2°, M. 4975°, iterum ædificationi Templi incubuerunt, atque opus perfecerunt, ejus anno 8°, M. 4981°: atque ſic ab anno Cyri 1°, M. 4936°, uſque ad hunc annum duravit ædificatio Templi per 46 annos. p. 145. A. Refert tamen p. 283. C. ædificationis Templi abſolutionem ad annum Darii Hyſtaſpis 6^{um}, M. 4579^{um}. Item p. 247. D. ubi tamen pro 6° legendum eſt 8°.

Anno 6° Darii Codomanni, M. 5181° Alexander M. occupat Babylonem, & deletum eſt regnum Perſarum, quod ab anno Cyri 1° ſtetit annos 246.

Ab anno Ptolomæi Lagi 17°, Mundi 5198° putantur anni Syro-Macedonum, ſeu Apamienſium in Paſchalio, hoc eſt, Auctoris Chronico Paſchali. p. 171. D. Confer p. 320. A.

Anno Cleopatræ 6°, M. 5461° incipit annus 1^{us} Imperii Julii Cæſaris, p. 164. D. p. 187. B.

Anno eodem Cleopatræ 6°, Julii Cæſaris 1°, Mundi 5461°, incipit

pit Auctor numerare Indictiones, quæ inde progrediuntur usque ad annum Tiberii Cæsaris XIVum, Mundi 5535um, cui adscribitur Indictio XVa, sed annus Tiberii XVus, M. 5536us revera absque Indictione, illi connexa, transiit, & anno Tiberii XVIo, M. 5537o adscribitur Indictio Ia, & sic tum porro ad finem Chronici progrediuntur. Illæ, quæ annum Tiberii XVum præcedunt, uno anno anticipant, sed quæ annum XVum Tiberii sequuntur, recte habent. Incipit Ind. a præced. Septembri. Hæc in præcedentibus ostendimus, §o 113, 114.

Ab eodem anno Cleopatræ 6o, Julii Cæsaris 1o, M. 5461o Antiocheni annos suos putant a die Maji 12o, p. 187. B. occurrit hæc Æra Antiochena. p. 294. 320. 328. 331. 334.

Anno Cleopatræ 22o, Mundi 5477o, Augusti Cæsaris 12o, Augustus Cæsar Ægyptum subjugat, & Imperium Ptolomæorum delet, quod ab anno 1o Ptolomæi Lagi, M. 5182o usque ad hunc Cleopatræ annum 22um, Mundi 5477um inclusive, stetit annos 296. p. 192. C. Confer p. 189. D.

Anni Tiberii a XVo ad XXIIum in Chronico annotati, durant tantum a Januario ad Martii diem 20, & sub iisdem Coss. a die Martii 21o incipiunt ejus Imperii anni sequentes a XVIo ad XXIIIum; ut in præcedenti ostendimus, §o 113, 114.

Anno Augusti Cæsaris, non 40o, sed 42o, qui est Mundi 5507as, ante Æram Christi Vulg. 3us, nascitur Christus die Decemb. 25. Ut fuse in præced. ostendimus, §o 113.

Anno Tiberii Cæsaris 15o, M. 5536o, utroque exeunte, vel ad finem vergente (incipiunt enim a die Martii 21o, & desinunt in sequentis anni Juliani die Martii 20o) baptisatur Christus die Januarii 6o.

Anno Tiberii 19o, M. 5540o, crucifigitur Christus die Mart. 23, resurgit Mart. 25. & in cœlum ascendit die Maji 3, a quo Æra Ascensionis putatur. Anno Æræ Vulg. 31o.

FINIS.



BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Indagine, Johannes <<ab>>,

Observationes in Heraclii imperatoris Methodum Paschalem ut et in Maximi Monachi Computum Parchalem, nec non in Anonymi Chronicon Paschale Anonymi Chronicon Paschale eiusque Chronotaxin et Methodum Paschalem

Amstelodamum 1836

4 P.lat. 1057-4
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10686044-9